TIONES

RIAE

ASTICAE

AS

NEP. ALBER

LIS PIIS

LINGV. HEBR. ARCHAE.
CAN. VET. TEST. APOLOG.
REG. SCIENTIAR. UNIVERS.
BL. ORD. LIBROR. HEBR.
G. NEC NON FACULT.
IOR EDIDIT.

US V.

TIOR, TOTAQUE NO-
LABORATA.

ltate Superiorum.

AE,
-EPISCOPALIS 1825.

INSTITUTIONES
HISTORIAE
ECCLESIASTICAE

QUAS

JOANNES NEP. ALBER

E SCHOLIS PIIS

S. THEOL. DOCTOR, LINGV. HEBR. ARCHAE.
BIBL. INTRODUCT. IN LIBR. CAN. VET. TEST. APOLOG.
EORUMDEM, ET EXEGES. IN REG. SCIENTIAR. UNIVERS.
PESTIENS. PROFESSOR PUBL. ORD. LIBROR. HEBR.
IN HUNG. REVISOR REG. NEC NON FACULT.
THEOLOG. SENIOR EDIDIT.

TOMULUS V.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR, TOTAQUE NOVIS CURIS ELABORATA.

Cum Censura et Facultate Superiorum.

AGRIAE,
TYPIS LYCEI ARCHI-EPISCOPALIS 1825.

PARS V.

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

A SECULO XVI. USQUE AD SECULUM XIX.

§. 1.

Pius III. Julius II. Quæ huic negotia intercesserint cum Republica Veneta, et Ludovico XII. Rege Galliæ.

Post Alexandrum VI. Romanus Pontifex factus est Franciscus Piccolomineus Cardinalis Pii II. ex sorore nepos, cujus etiam nomen assumpsit, dictus in Pontificatu Pius III. Hujus fama bonitatis animi omnium ad bene de Religione, deque rebus humanis sperandum excitati fuere. Tricesimo post creationem die (non conveniunt omnes accurate quoad diem scriptores) ex ulcere cruris, quo diu laboraverat decessit nullis rebus abs se gestis, quas maximo animo conceperat: nam et Ecclesiam Romanam renormare, concilium cele-

brare, ac in Turcas proficisci avunculi imitatione studuerat. Sunt verba Volaterrani lib. 22. Illud de concilio proximo biennio, ac deinceps singulis trienniis habendo erat positum a Cardinalibus post mortem Alexandri VI. electuris novum Pontificem inter capita, ad quæ servanda quisque illorum se obstrinxerat jure jurando, si Pontifex eligeretur. Consilium de concilio habendo ad mores, et disciplinam, quæ nimis collapsa erant, instauranda, bonum, et salutare fuit, sed cassum quoad ligandum futurum Pontificem. Quod jam antea etiam tentatum cum fuisset, Innocentius VI. (Supra Part. IV. §. 27.) statuerat decreto suo fore semper irritum, atque inane. Romanus Pontifex a Christo plenam potestatem accepit regendæ Ecclesiæ, ut est definitum in Concilio Florentino. Hancne igitur Pontificis plenam potestatem poterunt Cardinales circumscribere, quæ illi data a Christo est? Hoc vero iidem iterum facere ausi sunt Pio III. mortuo, congregati ad eligendum Pontificem: sed quod idem ansam etiam præbuit schismati, dum jus indicendæ, et convocandæ Synodi, quod proprium est Romani Pontificis, Cardinales invasissent, eo prætextu, quia ille hoc facere neglexerit quasi contra fidem, a se datam ante sui electionem. Id, quod deinde adhuc distinctius videbimus.

Pio III. in Pontificatu successit Julianus Rovereus Cardinalis Sixti IV. nepos, assumpto nomine Julii II. Non deerant, qui dicerent, illum hoc nomen sibi sumpsisse non ab Julio I. Papa, verum ab Julio Cæsare, qui jam tunc spiraverit illum martem, quem ostendit in suo deinde Pontificatu, quippe qui nimium perstrepuerit armis. Quod magis ingeniose, quam vere dictum putandum

est:

est: sed neque habet aliquem certum auctorem. Veneti post obitum Alexandri VI. Ariminum, Faventiam, pluraque oppida ex Patrimonio S. Petri occupaverant. Julius ista repetiit. Non tantum vero nihil impetravit, sed Veneti, etiam Faventiam novis propugnaculis instruendo, ad resistendum se compararunt. Julius recurrit ad Maximilianum Regem Romanorum, et Ludovicum XII. Regem Galliæ, petiitque, ut more suo pristino adessent, et curam susciperent Romanæ Ecclesiæ. Eo magis pronum utrumque habuit, quod sua etiam studuerint recuperare; quæ ex eorum terris erant per Venetos decerpta, perinde ut hoc fecerant in terris Pontificiis. Quorum potentiam veriti Veneti complura Romano Pontifici restituerunt, et cum eo in gratiam redierunt.

Accidit postea, ut Genuenses adversum Gallos, in quorum fidem se non multo ante contulerant, rebellaverint dejectis Genuæ Regiis insignibus, Gallisque ejectis ex urbe. Ad hos coercendos Rex ipse cum magno exercitu adventabat in Italiam. Regis ipsius adventus, et tantus exercitus suspicionem injecerant Julio Pontifici majora ipsum moliri, nec tantum de Genuensibus sub suam potestatem revocandis, cogitare, sed etiam de subjuganda sibi tota Italia, eoque magis adductus in hanc suspicionem est, quod Rex Galliæ jam etiam Pontifici svasisset, ut si Maximilianus vellet venire in Italiam, et peteret Imperialem coronam sibi imponi, hunc nequidem Romam admitteret. Quo audito Maximilianus graviter commotus, adversus Galliæ Regem, conventum totius Imperii Constantiæ celebravit, universique Germaniæ Principes suas ei omnes vires, atque opes adversus Gallum polliciti sunt. Romam cum deinde

Ma-

Maximilianus ivisset, ut coronaretur magno, et valido instructus exercitu, jam Gallus Genuensibus domitis rediverat. At vero Veneti se Maximiliano opposuerunt, atque iter intercluserunt, etiam ex sola suspicione, quasi cum tanto exercitu, quo nihil opus esset, si tantum coronari vellet, venisset ad opprimendam totam Italiam. Imperator hac Venetorum temeritate gravissime offensus contra hos iniit fœdus cum Galliæ, et Hispaniæ Rege Ferdinando, atque ipsum etiam Julium Papam ad hoc pertraxerat, ut illos insolentes sua potentia coecerent, atque ea, quæ illi ex ipsorum terris occupaverant, recuperarent.

Itaque Veneti undique bello appetebantur. Pontifex non tantum suum in eos armaverat militem, sed interdicto etiam Ecclesiastico ipsos subjecerat. Cui tamen Veneti non obtemperarunt, sed ad generale concilium appellarunt: cum autem molem belli non possent sustinere, nec conatus abstrahendi Maximilianum a fœdere, quod contra ipsos erat initum, et Cameracense vocatum, ipsis successisset; gratiam Romani Pontificis, quæsiverunt, eamque invenerunt. Noluit hos opprimi Pontifex, qui contra Turcas in mari pro muro essent Italiæ. Gallus jam ex Italia tenebat Mediolanum, et Genuam: cujus potentia ne nimium increscoret, æque cavendum existimabat Pontifex. Eadem de causa etiam Helvetas abstraxit a Gallis, sibique adjunxit idem Pontifex quin et Ferdinandum Hispaniæ Regem collato ei in regnum Neapolitanum, et Siciliæ perpetuo jure, quod Rex Galliæ ægerrime ferebat, utpote, qui jus hoc sibi vendicaret. Minæ belli hinc primum jactæ a Gallo in Pontificem, et Ferdinandum, dein-

de

de autem exarsit nimis indignum. Instituerat is ante Turone Cleri conventum generalem, consultaveratque, quantum sibi liceret adversus Pontificem, ejusque potestatem. Deliberatum, et statutum est: Pontifici Romano, ubi neque de Religione, neque de fundis ejus Pontificatus controversia esset: non licere bellum suscipere, et gerere adversus aliquem Christianum Principem: huic vero si lacessitus ab eo esset licitum esse, vim vi repellere, Pontificiasque terras, et urbes occupare, ita tamen, ut rebus compositis, illas Pontifici restituere: quodsi vero Pontifex implacabili odio nulla de causa Regem pium regno spoliare contenderet, Regi fas esse, pristinum obsequium renunciare non tamen prorsus, sed quantum necesse esset ad ditionum suarum propugnationem. In favorem Regis hoc contra Pontificem totus Clerus Gallicanus statuit, et judicavit. In hac illius sententia est, Pontifici implacabili odio, nulla de causa Regem pium spoliare contendenti fas esse eidem Regi renunciare obsequium quoad ditionum suarum propugnationem. Hinc igitur in contrarium cui conclusioni Clerus Gallicanus locum dedit, si privatio regni fieret non ex odio, non sine causa, sique iste Rex impius esset? Ostendere tantum volui, quid Clerus Gallicanus in hoc suo conventu generali dederit, et concesserit. Nam, quid mihi videatur, jam exposui Partis III. §. 31. Demum præter quædam alia, decrevit hic Conventus, ut legati ad Julium mitterentur, qui illum admonerent, Principibus, ut reconcilietur, sin recusasset, futurum, ut ex decretis concilii Basileensis ad indicendum Concilium ab universa Christianitate compellatur. Conventus iste habitus est, a. 1510. die 15. Septemb.

§. 2.

§. 2.

Maximilianus I. Imp. Pisas convocat concilium generale, idque quasi suo jure. Hoc concilium cassum fuit, et nullarum virium.

Julius Papa se ad hoc concilium indicendum compelli non sivit: quin et Turonensem illum conventum damnavit. Non eo minus non tantum Ludovicus XII. Rex Galliæ, verum etiam Maximilianus Imperator ad generale concilium convocandum se se posuerunt. Maximilianus edictum istius convocationis fecit. Conspicientes immensas, inquit, calamitates, quas universa respublica Christiana, et ipsa sancta mater Ecclesia ubique patitur, ut non aliud videns remedium, et postquam exspectasset, concilium debere indici, et convocari per Beatitudinem Pontificis et reverendissimorum dominorum S. R. E. Cardinalium, ac alios Prælatos juxta Ordinationem Concilii Constantiensis, cessantibus illis, ne et nos, ait, ab omnipotenti Deo negligentiæ arguamur, noluimus cessare, cum illis negligentibus, nos tamquam Imperator, et ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ advocatus, et protector, et quantum in nobis est, subvenire his tantis necessitatibus tenemur. etc. Etiam aliquæ ejusdem Maximiliani Imp. literæ a nonnullis scriptoribus, nominatim a Mariana *lib.* 30. *Hist. Hispan.* memorantur, sed non omnimode certæ, in quibus declarat, eum in finem istud se cupivisse concilium, ut in eo in locum Julii Pontifex Romanus alius eligatur, aut saltem coadjutor ei constituatur: siquidem et veteres Christiani Imperatores usque ad Gratianum Pontificatum suæ Imperatoriæ dignitati adjunctum habuerint. At vero iste Pontificatus non is erat, quem Chri-

Christus instituit, sed quem Christiani Imperatores post Imperatores ethnicos titulo tenus retinuerunt ad supprimendam hanc dignitatem Pontificalem apud eosdem ethnicos in Imperio Romano. Quem ipsum etiam titulum Gratianus omisit, postquam eo jam opus non erat erga Gentiles. Huic indictioni tres nonnisi suffragabantur Cardinales, quartum vero sibi addiderant, sed factionis totius ignarum, et cum iste idcirco expostulasset, illi responderunt: Tres ex nobis sufficienter facere illum actum potuimus. Auctor tamen istius concilii præcipuus fuerat Rex Galliæ; qui, ut est scriptum ab Anglerio *epist.* 469. *ad Marchion. Bellicens.* fassus est, a se hanc tragoediam nonnisi arte ludicra excitatam esse, ut Pontifici negotium facesseret.

Concilium Pisanum indictum fuit in diem I. Septemb. a. 1511. Quod ut impediret, et dissiparet, illico etiam Julius Papa Romam indixit Concilium, ad diem 19. April a. 1512. Pisis ad præstitutam concilio diem nullus Cardinalis, nullus Episcopus affuit. Ferrerius Subasiensis Abbas cum duobus aliis velut Vicarii Cardinalium synodum aperuerunt. Nec postea alii, quam Galli, comparuerunt a Ludovico Rege adacti, nec ultra triginta. Bernardinus Carvajalus factiosorum Cardinalium caput concilio præsedit. Maximilianus Imp. hærebat dubius, num vel Oratores suos aliquos deberet mittere: deinde cum misisset, tamen eos ex itinere revocavit. Ferdinandus Rex Hispaniæ ei svasor fuit, ut a factione, Ecclesiæ paci, et concordiæ inimica, recederet. Quod fecit, et Oratores, quos Pisas ire non sivit, ad Concilium Lateranense, ab Julio Papa convocatum, misit, et non tantum factionem damnavit, verum etiam

in

deprecatore eodem Ludovico Galliæ Rege. Id factum est jam post obitum Julii, qui a. 1512. e vita decessit; et cui altero anno Julianus Mediceus Cardinalis successit assumpto Leonis X. nomine. Ceteris præiverunt Cardinales, Carvajalus, et Fridericus Sanseverinus, qui ad Leonem, statim ut electus est Pontifex, venerunt in solo vulgari, et ordinario Clericali vestitu, seque ad illius pedes abjecerunt, veniam humiliter petentes.

De hoc concilio Pisano supervacaneum foret, quæstionem instituere, fueritne legitimum, et generale, quale jactabant esse, qui illud egerunt. Hoc enim confutarunt etiam per seipsos, qui actores illius erant omnes, quemadmodum demonstratum est. Et tresne Cardinales jus habuerunt illius instituendi? Etiamsi omnes Cardinales hoc fecissent, jure ne istud facere potuissent, atque ipsorum molitio talis vimne habere aliquam potuisset? Cardinalesne sibi subjectum habent Pontificem, qui a Christo positus est cum plena potestate rector, et pastor universalis Enclesiæ? Quid habent Cardinales aliud, quam quod a Pontifice cum ipsis est communicatum? Quorum dignitas, ut antecedant Episcopos, non etiam aliunde effulget, quam quod a Romano Pontifice assumpti in adjutorium sint, cumque his potestatem suam communicet, in tantum, quantum ei collubitum est. Oecumenicum concilium illud est, quod repræsentat universam Ecclesiam. Universam Ecclesiam non repræsentarunt triginta solius Galliæ Episcopi Pisani concilii: neque eam etiam, quotcumque fuissent Episcopi, repræsentassent, non habentes secum Romanum Pontificem, imo huic se se opponentes, et schisma facientes. Neque enim illud dici potest corpus universæ Ecclesiæ,

quod

quod destitutum est capite. Basileenses decretum in Constantiensi concilio factum *Sess.* 4. *et* 5. sibi posuerunt pro fundamento illorum, quos sibi sumpserunt contra Eugenium Papam spiritus: quod quidem in concilio Constantiensi factum est, verum sine Papa: sed neque illud cum Papa fit, cui ille suum consensum denegat. Ejusmodi autem est etiam illud Constantiense decretum: cui tantum abest, ut assensus sit Martinus V. Papa, ut hoc, Papam canonice electum habere supremam potestatem in Ecclesia Dei, ita exegerit, ut sentire constrarium habuerit pro errore hæretico. *Supra Part.* 4. §. 41. Hallucinabantur Basileenses, hallucinabantur post istos etiam Galli Episcopi Conventus Bituricensis *Supra Part.* 4. §. 53. hallucinabantur identidem alii, atque alii, et hallucinantur usque nunc, qui Romanum Pontificem ponunt infra concilium, Caput infra reliqua membra corporis, idque quasi vi decretorum Concilii Constantiensis, et Basileensis.

§. 3.

Concilium generale Lateranense V. ab Julio II. inceptum, a Leone X. continuatum, et perfectum. Concordatum inter Leonem, et Regem Galliæ Franciscum I.

Concilium Lateranense ab Julio Papa ad diem 19. Aprilis 1512. indictum, incepit die 10. Maji ejusdem anni. Convenerant Episcopi 114, Sessiones illius erant duodecim, quarum ultima fuit habita die 16. Martii 1517. Sessiones primæ quinque habitæ sunt sub Julio Papa, quatuorque anterioribus ipse præsederat, quintæ jam præside-

sidere non potuit ob ingravescentem morbum, nec post hanc quintam sessionem ultra dies quinque vixit. Julium Papam sunt, qui carpant ob eam, quam armis exercuit auctoritatem, sunt etiam, qui laudent. Utique, si solummodo spectemus, quod Sacerdotale in eo fuit, videri potest non ei conveniens fuisse, bella gerere propter humanum sangvinem, qui in his funditur: sed recte advertit Bellarminus *lib. de Potest. Summi Pontif. cap.* 11. qui unus ex ejus defensoribus est, Romanos Pontifices, simul etiam Principes esse temporales non contemnendi Imperii, et non minus ex officio obligari ad ea conservanda, quæ Sedis Apostolicæ, sive Ecclesiæ Romanæ sunt, quam Principes ceteros. Quare sicut Principes supremi ceteri possint pro defensione regnorum suorum bella gerere, ita Romanos quoque Pontifices, omni jure posse atque etiam debere populos sibi creditos armis protegere, nec primum fuisse Julium II. qui hoc fecerit, verum etiam Pii II. Innocentii VI. Clementis IV. pluriumque aliorum Pontificum Romanorum laudatissimorum exempla profert, qui usi armis sint adversum hostes, et pro defensione provinciarum, et civitatum, ad Ecclesiam Romanam pertinentium. Machabæos quoque fuisse Summos Sacerdotes, et Principes, quin et Moysem: qui tamen bella gesserint. Igitur, qui Julium Papam carpere vellet, ei etiam industriam, et virtutem Sanctorum Pontificum, nec non Machabæorum, ipsiusque Moysis fore accusandam. Inter has etiam bellicas curas Julius se vertit ad Ecclesiam Vaticanam, vetustate labantem, e fundamentis excitandam, et ædificandam; opusque ipse hoc volebat perficere: quod deinde nonnisi plurium Pontificum cura, atque labore perfectum est.

Artu-

Arturus Henrici VII. Regis Angliæ major natu filius, Catharinam filiam Ferdinandi Regis Aragoniæ sibi copulaverat matrimonio. Mortuus est post hoc initum connubium anno sexto. Ferdinandus filiam recepturus exegerat ab Henrico principatus Valliæ partem, et centum aureorum millia, quæ ex contractu matrimonii, solvenda, et danda Catharinæ erant, si per mortem Arturi facta vidua esset. Quæ ne Henricus dare deberet, Catharinam Henrico alteri filio suo tradidit conjugem, petita ab Julio Papa legis relaxatione, quæ inter affines vetat matrimonium. Hinc vero secutum est, ut quoniam Henricus, aliis amoribus captus, hoc noluisset valere matrimonium, et Catharinam a se repulisset, Pontifex vero Romanus, censura in eum Ecclesiastica usus fuisset, ille ab omni officio, et observantia erga Apostolicam Sedem recesserit, secumque etiam regnum Angliæ abstraxerit. Res hæc adhuc postea plenius exponetur. Nunc redeamus ad cœptam narrationem de concilio Lateranensi.

In hoc acta, et statuta, vel etiam decisa, atque definita ista fuerunt præcipue: Acta Bituricensis conventus cum sanctione pragmatica, qua illa confirmata, atque instar legis pro universa Gallia sancita erant per Carolum VII. Regem Galliæ, rescissa, et missa in irritum sunt, perinde Pisanum quoque concilium condemnatum est. De Sanctione hac pragmatica, facta in conventu Bituricensi res est exposita Part. IV. §pho 53. De Pisano hoc concilio actum est ejusdem Partis IV. §pho 36. et 37. *Sicut piæ memoriæ,* sunt verba Constitutionis a Leone X. in sessione octava Concilii, eodem approbante Concilio editæ, Leo Papa I. *prædecessor noster, cujus in hoc libenter,*

quo-

quoad possumus, vestigia imitamur, ea, quæ in secunda Ephesina synodo temere contra justitiam, et Catholicam fidem gesta fuerunt, postmodum in Chalcedonensi concilio mandavit, ac fecit pro dictæ fidei firmitate revocari, ita et nos a tam nefariæ sanctionis, et contentorum in ea revocatione retrahi, aut desistere, salva conscientia, ac nostro, et ipsius Ecclesiæ honore non posse, aut debere censemus. Nec illud nos movere debet, quod sanctio ipsa, et in ea contenta, et ipso concilio instante (Basileensi) *a Bituricensi congregatione recepta, et acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis concilii per felicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum, factam, a Basileensi conciliabulo, seu potius conventiculo, quod præsertim post hujusmodi translationem concilium amplius appellari non merebatur, facta exstiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Romanum Pontificem, pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constet.* Id, quod declaratum etiam ab eodem Leone est, multis Conciliorum exemplis, aliisque documentis. *Nam de necessitate salutis esse, omnes Christi fideles Romano Pontifici subesse, prout divinæ Scripturæ, et Sanctorum Patrum testimonio edoceamur.*

In

In eadem Sess. 8. Cum diebus nostris, sunt verba ejusdem Leonis, nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, aut una in cunctis hominibus, et aliqui temere philosophantes, verum id esse asseverent, sacro approbante Concilio damnamus, et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus. Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse, definimus, et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius prohibemus. Insuper Philosophis in Universitatibus, et alibi publice docentibus injunctum est, ut Philosophorum principia, et conclusiones, in quibus a recta fide deflectere advertuntur, ut hujusmodi Philosophorum argumenta studeant refellere, et dissolvere. Petrus Pomponacius Bononiæ, ubi Philosophiam docebat, librum ediderat, in quo asseruit, animam humanam mortalem esse. Statutum quoque est, ne quis librum, seu aliam quamcumque scripturam imprimat, vel imprimendam curet, nisi prius examinatum, et approbatum in Urbe per Magistrum Sacri Palatii, in aliis vero diœcesibus per Episcopum vel alium ab Episcopo deputandum, vel Inquisitorem hæreticæ pravitatis illius diœcesis, in quibus impressio fieret, et secus faciens excommunicationis sententia innodatus existeret. Inhibitum etiam est, ne ullus tam Clericus secularis, quam cujuscunque etiam mendicantium Ordinis Regularis, aut quivis alius ad officium prædicandi Verbum Dei admittatur, nisi per superiorem suum examinatus, et de quo examine testimonium sit præstandum Ordinariis. In alia Constitutione, eodem sacro approbante Concilio, idem Leo, Novimus, ait, Episcopos in par-

partem sollicitudinis nostræ assumptos fuisse, quorum honor, et sublimitas teste Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari: Religiosos etiam in agro Dominico pro Christianæ Religionis defensione, et ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse, et in dies singulos proferre: Itaque par esse, ipsos inter se pacis vinculo, ac fraterna charitate, et unitate conjungi, ut eorum concordi doctrina, et mutuis operibus uberiores in Ecclesia Dei fructus proveniant, et Religiosis jura concessa illæsa conserventur: sin autem per Romanos Pontifices, et Sedem Apostolicam his aliquid concessum esset in Episcoporum læsionem, hujusmodi concessiones se in subsequentibus duxisse moderandas. Unam esse regularium, et secularium Prælatorum, et subditorum exemptorum, et non exemptorum universalem Ecclesiam: igitur decere eos, qui ejusdem corporis sunt, unius etiam esse voluntatis, nec conveniens esse, alterum in alterius injuriam prosilire.

Ludovicus XII. Rex Galliæ a. 1515. vita functus est. Franciscus I. gener ei successit in regno. In locum abrogatæ Sanctionis pragmaticæ hic iniit cum Leone Pontifice aliam ad gubernanda negotia Ecclesiastica rationem in Gallia. Hæc cum prius Bononiæ tractata, et conclusa fuisset coram inter Leonem, et Franciscum, in sessione 11. Concilii lecta deinde et promulgata est, quod Concordatum fuit appellatum. Per hoc jus eligendi Episcopum, quod erat penes Capitula Canonicorum desiit, et Regi datum est jus nominandi successorem ad beneficium vacans, idque intra menses sex a die, qua Sedes vacare coepit: quem sibi oblatum si Romanus Pontifex confirmasset, obtine-

neret vacans beneficium; sin minus, Regi relictum erat, alium intra menses tres nominare, secus ipse Romanus Pontifex provideret. Provisio etiam asserta est eidem Romano Pontifici, ad beneficia vacantia in curia Romana, hoc est, eorum, quos profectos Romam, ibi contigit morte decedere. In conventis et illud fuit, ut eorum, qui ad beneficia nominarentur tertia pars esset, ut minimum gradu Doctorali insignitorum Theologiæ, vel Juris Ecclesiastici. Cetera spectabant in hoc Concordato ad Appellationes, ne fierent, ad ultimum judicem, prætermisso medio nisi in summis causis; ad pœnam excommunicationis, et interdicti: ne loca interdicto afficerentur, nisi eorum domini, vel magistratus huic causam dedissent; excommunicatos solummodo eos esse vitandos qui publice denunciati, et manifesti essent: et præter hæc quædam alia.

Hoc Concordatum non omnibus placuit Gallis, eique obstrepebant Senatus Regius, quod Parlamentum Galli vocant, Universitas Parisiensis, nec non plures Episcopi. Querabantur libertate eligendorum Episcoporum, quam possederint jure antiquissimo, spoliata esse Collegia Canonicorum: et siquidem etiam ipse Romanus Pontifex crearetur per electionem Cardinalium, cur non idem ipsis relinqueretur quoad Episcopos? At vero Leonem ista ipsa electio, quæ vigebat in Gallia, movit ad hanc rationem nominandi Episcopos, constitutam per Concordatum. Erat enim hæc electio solo nomine, nulla re: cum jam in hac etiam semper Rex ipse daret Canonicis, quem deberent eligere; ac deinde Pontifici proponeretur velut canonice electus, minusque facile esset eidem Pontifici hunc rejicere, etiamsi videret in-

 di-

dignum: per Concordatum autem, hoc multo expeditius, consentiente etiam Rege, potuerit facere. Hac ratione submovebantur plura etiam alia, quæ contingebant in electionibus, illudque maxime, quod cum jus jurandum præmitterent electores de digniore a se eligendo, tamen acti metu Regis ei suffragium dedissent, quem Rex voluisset eligi, etiamsi indignum scirent. Quamobrem ipse etiam Petrus de Marca *lib.* 6. *cap.* 9. *de Concord. Sacerd. et Imp.* illi electioni priori anteposuit nominationem Regiam, statutam per Concordatum. *Electiones sane Capitulorum ambitu fiebant*, inquit, *eisque persæpe vim inferebant Regum preces a Pragmatica sanctione approbatæ.* Hac etiam ratione viam præclusam esse ambitioni, et simoniæ, et finem impositum litibus, quæ in Romana curia excitatæ prius sint ingentibus sumptibus, ut electionum nullitas disceteretur. Die 16. Mart. 1517. ultima habita est sessio ad ea, quæ prius acta erant, et decisa, confirmanda.

§. 4.

Concilium Lateranense V. pollet auctoritate Concilii generalis, et oecumenici.

Concilium hoc Lateranense V. et generaliter indictum fuit, atque convocatum ab Julio Papa, ac deinde, dum jam ageretur, ipsum se generale semper professum est. Huic præsedit ipse Romanus Pontifex, primum Julius, deinde Leo. Convenerunt Episcopi 114: et in quibusdam sessionibus affuerunt etiam aliquantulo plures. Quo numere Episcoporum major nec in aliis omnibus erat generalibus conciliis

ciliis. Nam in Concilio Constantinopolitano VIII. quod seculo nono habitum est contra Photium, non erant plures, quam centum et novem Episcopi. Summa cum consensione idem concilium susceptum est ab omnibus regnis, et provinciis Catholicis. Qua de re sic est in Bulla Leonis, qua Concilii acta, et stætuta confirmavit: *Charissimus namque in Christo filius noster Maximilianus, in Imperatorem electus, Julii prædecessoris, nostro vero tempore claræ memoriæ Ludovicus Francorum Rex, et ceteri Reges, et Principes Christiani summo cum omnium gaudio Lateranensi Concilio, in Spiritu sancto legitime congregato, adhæserunt, ac Pisanum conciliabulum, per quosdam nullam auctoritatem habentes indictum, et per eumdem Julium prædecessorem damnatum juxta ipsius Julii prædecessoris sententiam pro damnato habuerunt.* Etiam Castella, Aragonia, Sardinia, utraque Sicilia, Anglia, Dania, Norvegia, Scotia una cum Italia, et Hungaria Lateranensi concilio, missis oratoribus, adhæsere apud Raynaldum *ad a.* 1512. *num.* 53. Memorat autem hocce loco qui et unde Oratores advenerint spatio temporis, quod intercessit inter secundam, et tertiam Concilii sessionem. Nam deinde etiam adhuc ab Emmanuele Lusitaniæ, et Sigismundo Poloniæ Rege missos esse ad hoc concilium oratores testantur ejusdem Concilii Acta.

Attamen Galli postea negarunt fuisse hoc generale concilium. Nam anteriores, et eos qui ætate istius Concilii vixerunt, non ita sensisse vel hinc manifestum fit, quod Ludovicus Rex Galliæ per legatos, quos ad Leonem Papam miserat, professus sit, se a prætenso concilio, quod Pisis erat habitum, penitus recedere, illudque se

abjurare, ac Lateranensi huic, tamquam vero, indubitato, unico, et oecumenico concilio ad haerere. Id, quod jam supra huius Partis §pho 2. demonstratum est. Idem fecerunt Episcopi Galliae per suos Procuratores, in suis literis ad Leonem Papam. *Apud. Raynald. ad a.* 1514. *num.* 7. Recentiores igitur tantum Galli hinc recesserunt. Suone autem recessu efficere potuerunt, ut quod fuit generale et oecumenicum concilium, jam idem non maneret? Quando Jansenismus, de quo postea adhuc succedet narratio, in Gallia exortus est, ii, qui huic erant addicti, cum diversa effugia quaesivissent adversus decreta Romani Pontificis, quibus premebantur, demum ab hujus sententia appellarunt etiam ad generale Concilium. Quae appellatio omnino locum haberet, si generale concilium potestate emineret supra Papam. Hoc autem a Basileensibus acceptum Conventus Gallicanus Bituricensis, adoptaverat, et Sanctio Pragmatica ratum habuerat. Haec a Concilio hoc Lateranensi Bituricensis sanctio damnata est, atque omnia in ea contenta. Damnatio istius sanctionis, qua Romanus Pontifex ponitur infra generale Concilium, non sinit appellationem fieri a sententia Romani Pontificis ad generale concilium, quod jam etiam per Constantiense Concilium, ut taceam plura etiam edicta de hoc Romanorum Pontificum, jam alias a me memorata, damnatum est. Ut igitur Galli recentiores hunc damnationis laqueum evitarent, saltem in speciem; delapsi sunt eo, ut negarent, Lateranense fuisse generale Concilium, atque sic ponendo Concilium generale supra Papam, possent habere, quo niterentur, qualecumque hoc fulcrum esset, ne si damnati essent a Romano Pontifice, videri possent ejusmodi percussi sententia, a qua appella-

tio

tio ad Concilium generale fieri nequeat. Si qui, sicut Gallos recentiores, Jansenismo imbutos, secuti sunt etiam alii quoad sententiam eminentiæ Conciliorum supra Papam, ita etiam defensitant secundum hos Lateranense hoc Concilium non fuisse generale, aliter neque ipsi facere possunt ob eamdem causam, quæ etiam Gallos huc adegit. Non eo minus tamen, nisi sustulerint argumenta, quæ docent, hoc Lateranense fuisse generale Concilium, manebit semper, ut quemadmodum Gallis, ita etiam ipsis dici possit, Concilium Lateranense V. non est generale, et oecumenicum, quia vos ejusmodi fuisse, non vultis.

§. 5.

Initia Lutheri. Insurgit adversus Indulgentias. Quas quamvis appetiisset prætendendo, per has subverti satisfactionem, quam sibi adjunctam habere debeat poenitentia; tamen ipse hanc satisfactionem ex vero sustulit.

Leo X. Ecclesiæ Vaticanæ, quam Julius II. ædificare inceperat, fabricam continuans, vidensque suppetiis, etiam aliunde conquisitis, opus fore ad hanc perficiendam ea cum amplitudine et magnificentia, quam Romanæ Ecclesiæ exigeret dignitas, atque eminentia, Indulgentias proposuit, quas ii consequerentur, qui suis subsidiis eamdem adjuvissent fabricam. Negotio huic in Germania Leo præfecerat Albertum Archiepiscopum Moguntinum. Is vero promulgationem Indulgentiarum, et collectionem subsidiorum commiserat Fratribus Ordinis Prædicatorum, quorum præcipuus erat Joannes Tetzellius, Quæsitor Fidei per eamdem Germaniam. His solis esse istud

co-

concreditum negotium, non bono animo tulerunt Eremitæ S. Augustini, ipseque etiam eorum in Germania Generalis Vicarius Joannes Staupitius. Qui non tantum idcirco questus erat Friderico Electori Saxoniæ, cui charus erat, verum etiam Dominicanos incusabat, quasi in publicandis Indulgentiis id, quod docerent de iisdem Indulgentiis, non esset satis orthodoxum; deinde quod in colligendis pecuniis suo privato servirent compendio: insuper instigaverat alios etiam sui Ordinis, ut impeterent doctrinam Dominicanorum de Indulgentiis: quod illi fecerunt in publicis etiam concionibus ad populum, omniumque maxime Martinus Lutherus. Hic Islebii in Saxonia a. 1483. lucem primam adspexit, Erfurti literis excultus ad Jurisprudentiam se applicuit: sed territus fulmine, quo ejus socius, cum quo ambulaverat, percussus fuit, institutum Eremitarum S. Augustini amplexus est. In Academia Wittembergensi, quam Fridericus Saxoniæ Elector instituerat non multo ante, factus postmodum Professor, et Doctor etiam Theologiæ creatus est. Ut in invidiam vocaret doctrinam Dominicanorum de Indulgentiis, Lutherus literas scripsit etiam ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum, quam sic depinxerat, quasi hi docerent, eum, qui has Indulgentias consecutus esset, jam non posse periclitari de æterna salute, et esse solutum omni obligatione quidpiam præstandi satisfactionis nomine pro suis peccatis; se vero istud tantum ex rumore habere, qui ejusmodi concioni numquam interfuerit. Idem detulit, sub ipsius Moguntini Archiepiscopi nomine circumferri libellum, in quo plus æquo extollantur Indulgentiæ, derogeturque contritioni, et Satisfactioni in Sacramento pœnitentiæ: Huic epistolæ adjunxerat suas propositiones de Indulgentiis septem, et no-

nonaginta: quas Wittembergæ affixerat ad valvas Ecclesiæ, ut legi possent ab omnibus, easdemque sparsit per universam Germaniam: et paulo post denuo alias similes propositiones quinquaginta vulgaverat.

His autem Tetzellius, cujus jam facta mentio est, suas opposuit assertiones, insurrexeruntque statim in Lutherum permulti etiam alii, errorumque arguerunt ejus propositiones. In his, cum sibi propositum habuisset, impugnare Indulgentias, quasi officerent doctrinæ orthodoxæ de Satisfactione; tamen ipse asseruerat non aliud requiri ad obtinendam peccatorum veniam a Deo nec tantum quoad culpam, verum etiam temporalem poenam, quam fiduciam de obtenta venia, ipsius doloris etiam de offenso Deo per peccata remota necessitate: et quod in Indulgentias falso contulit, quasi per eas tolleretur satisfactio, hujusque obligatio; hoc ipse ex vero fecit, ponendo solam fiduciam, qua remittantur peccata. Quin ipsum etiam Sacramentum poenitentiæ penitus sustulit. Ejus enim ista etiam erat assertio: Solam fidem in Christum esse, quæ peccatorem justificet, ab eo, qui fidem habet, virtutem Sacramenti percipi sine absolutione facta per Sacerdotem. Ejusdem Lutheri etiam erat: Crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione: omnia in eo consistunt, ut sine hæsitatione credas te absolutum esse. Nec tantum opera satisfactionis amovit a Sacramento poenitentiæ, sed etiam generaliter de omnibus pietatis operibus, et studio pie vivendi istud ejusdem Lutheri effatum fuit: Eum, qui credit pervenire ad gratiam faciendo, quod in se est, peccatum peccato cumulat: solus ille justus est, qui sine opere multum credit

rus: nec facere aliter poterat, nisi se diffidere sibi, ipse prodere vellet. Habita est disputatio coram eodem Georgio, Duce Saxoniæ, in ejus aula, præsente Senatu, et academia. Arbitri, disputantium consensione sumpti sunt, Parisiensis, et Erfordiensis academia, itemque notarii constituti, qui disputationis omnia verba calamo exciperent. Die 29. Junii 1519. inchoata est, duravitque dies decem, et septem. Lutherus non solus venit, sed secum adduxit, Andream Carlostadium, qui cum Philippo Melancthone (fuit illius nomen Schvarzerd, sed hoc græcissavit) ex primis illius sectatoribus erat, et ambo Professores Wittembergenses: atque hunc primo congredi cum Eckio jussit: cumque Eckio succubuisset, Lutherus certamen instauravit. Qui et ipse cum premeretur, et defecisset, iratusque nonnisi conviciis pugnare cœpisset, et monitus fuisset, ut, posita iracundia, modestiam adhiberet, respondit, Non propter Deum esse rem hanc cœptam, neque ab hac se propter Deum cessaturum: rem intellexerat, quam agebat insurgendo adversum ea, quæ impetierat suis assertionibus: et relicta disputatione se subduxit. Carlostadius vero sive suo pudore ductus, et erigere se volens ex casu, sive ne Luthero videretur defuisse, aut ob utrumque denuo se dedit in pugnam; denuo vero argumentis ab Eckio constrictus, re desperata, prætendensque, suam præsentiam esse necessariam Wittembergæ, se se subduxit. Parisiensis academia palmam adjudicavit Eckio, Erfordiensis cujusmodi fuerit judicium non reperitur memoriæ proditum. Dux Georgius, et academia Lipsiensis perstitit in fide orthodoxa. Disputatio hæc exstat apud Cochlæum *in libro de Actis, et scriptis Lutheri*, et apud Palavicinum *lib.* 1. *Hist. Conc. Trid.*

Trid. cap. 15. *et seqq.* Eodem anno Coloniensis quoque et Lovaniensis academia plurimas Lutheri assertiones damnavit.

Non poterat non dubitare ipse Lutherus de qualitate suarum assertionum, dum videret, sibi undique contradici, dumque sibi ipsi, ejusque Carlostadio aqua hæsisset ad ea, quæ in disputatione objecta erant ab Eckio, et maxime, cum incusatus de erroribus, dixisset, se suas assertiones omnimode subjicere Apostolicæ Sedis judicio: in dubio autem abstinendum ei fuisset, nisi temerarie voluisset agere, ab eorum defensione, et ulteriore disseminatione, quæ docebat, donec dirempta controversia judicio Ecclesiæ fuisset. Quod cum ille non fecisset, et disputationes, atque dissensiones semper magis increvissent, Maximilianus Imperator egit apud Romanum Pontificem, ut dissensiones in Germania sua auctoritate componeret. Quamobrem Leo Lutherum Romam citavit, ubi doctrinam suam exponeret, coram Silvestro Prieras, Sacri Palatii Magistro, et Hieronymo de Genutiis Episcopo Asculano, quibus hocce negotium dederat audiendi Lutherum, et quomodo se ejus doctrina haberet, ad se referendi. Fridericus Elector petiit a Romano Pontifice, ne Lutherum Romam venire cogeret, sed rem committeret Thomæ de Vio Cardinali, alio etiam nomine Cajetano, Apostolicæ Sedis legato in Germania. Acquievit Pontifex. Lutherus fide a Maximiliano accepta de securitate se stitit Cajetano. Sunt nonnulli, qui imprudentiæ arguant Leonem ob negotium hoc commissum Cajetano, qui ex Ordine Prædicatorum fuerit, cum quo Ordini Eremitarum S. Augustini, ex quo fuit Lutherus, pessime convenerit, et unde flamma, quæ exstingvi

gvi debebat, eo magis accensa sit. Hunc vero expetiit Fridericus Elector certe non absque consilio ipsius Lutheri. Quam vero ejusdem Cajetani secum agendi ratione Lutherus contentus fuerit, en ipsius verba ad Cajetanum, postquam ab eo dimissus fuisset in epistola ad eundem Cajetanum, quæ exstat tomo 1. Oper. Lutheri: *Tanta est,* ait, *tua simul humanitas, et prudentia, qua video tuam Reverendissimam Paternitatem non mea, sed me quærere, cum potuisses sola potestate in me dominari. Itaque jam timor meus sensim transit, imo mutatus est in singularem erga Reverendissimam Paternitatem tuam amorem, et veram, filialemque reverentiam.* Hoc solum modo eum in finem proferendum mihi duxi, unde appareret, nihil non consulto actum esse, dum hæc inquisitio commissa esset Cajetano, nec ab hoc actum quidquam, quo Lutherus magis irritatus fuisset.

Neque tamen hac tanta moderatione, et mansvetudine Cajetanus quidquam profecerat. Nam Lutherus monitus a Cajetano paterne, et amanter, ut desisteret a suis sententiis, respondit, esse has sanas, veras, et Catholicas, nec ad revocationem se compelli posse non auditum, neque convictum: se paratum ad rationem dictorum reddendam, et ad respondendum etiam scripto. Concessit Cajetanus. Itaque altera die prolixum ei commentarium obtulit, quo suas assertiones defensum ibat. Ostendit vero Cajetanus Luthero, hæc nonnisi contorta sophismata esse, et fallaces conclusiones, etiam nunc totus in eo, ut amantissimis verbis hominem ad frugem revocaret, sed incassum. Misit deinde literas ad Fridericum, declaravitque sententias Lutheri ejusmodi esse,

quæ sustineri non possint, futurumque citra omne dubium, ut Romæ damnentur. Fridericus has literas misit ad Lutherum: qui blanditiis, et precibus illum induxit, ut suum ei sponderet patrocinium. Quod simul atque ei promissum ab illo est, Lutherus a Summo Pontifice quasi non recte consulto, et a delegatis ab eo judicibus, cunctisque sententiis, censuris, et pœnis ab iis ferendis, ac decernendis ad futurum Concilium legitime, et in loco tuto congregandum provocavit, et appellavit. *Tom. 1. Oper. Lutheri.*

Friderico Electori Leo Papa auream Rosam misit per Carolum Miltitium, intimum suum Cubicularium. Hanc Romanus Pontifex quotannis Dominica quarta Quadragesimæ *Lætare* solet ritu solenni benedicere, quam manu etiam gestat eundo ad Capellam, et ex ea redeundo comitantibus Cardinalibus ac deinde offert, et donat magno alicui Principi. Miltitius occasionem nactus agendi cum Luthero, svasit ei et ipse, ut se morigerum præberet, eoque deduxit, ut ad Summum Pontificem literas iterum dederit, ita scribens: *Beatissime Pater, coram Deo, et tota creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle Ecclesiæ Romanæ, ac Beatitudinis tuæ potestatem ullo modo tangere, aut quacumque versutia demoliri. Quin plenissime confiteor: hujus Ecclesiæ potestatem esse super omnia, nec ei præferendum quidquam sive in cælo, sive in terra præter unum Jesum Christum Dominum omnium.* Attamen perstitit etiam nunc in negando, se suas assertiones revocaturum; dicens, hanc non esse possibilem, præterea inutilem, et quæ cederet in dedecus ipsius etiam Romanæ Ecclesiæ. *Lutheri Oper. tom. 1. Edit. Wittem. pag.* 235.

§. 7.

§. 7.

Lutheri propositiones Romæ damnantur. In cujus vicem Lutherus Wittembergæ publice comburit Jus Canonicum. Comitia Imperii Wormatiensia.

Adhuc aliquantisper etiam postea gerebat se Lutherus velut venerabundum Romani Pontificis, cui etiam librum suum nuncupavit de Libertate Christiana. Insperserat autem et hunc suis erroribus. Nam in eo docet, et adstruit, solius Fidei necessitatem ad salutem absque bonis operibus. At vero postquam audivit e suis propositionibus unam, et quadraginta esse Romæ damnatas ab Leone Papa, abjecit omnem modestiam, seque posuit ad convellenda omnia instituta Ecclesiæ Catholicæ, atque huic jam aperte bellum indixit tam suis concionibus quam libris, quos composuit permultos, plenos fellis, et acerbitatis in Romanum præsertim Pontificem. Cui, ut quasi par pari referret, ob suas ab illo damnatas propositiones, codicem Juris Canonici Wittembergæ publice in foro igni cremavit, unaque ipsius Leonis bullam, habentem illarum propositionum condemnationem. Ad hoc faciendum stimulabatur eo etiam dolere, quod, postquam hæc Leonis bulla perlata erat in Germaniam, multis in locis ejus libri publice concremati fuissent. Praeterea assumpto nomine Ecclesiastis Wittembergensis sibi asseruit docendi auctoritatem, a nemine pendentem, dicens, missionem suam esse Divinam, factam specialiter, idque prædicabat de se, ad ludibrium ut credi volebat, omnium Episcoporum, ipsiusque etiam Satanæ: quo nomine Summum Pontificem designaverat. Hortabatur omnes, qua

con-

concionibus suis, qua libellis, ut jugum Romani Pontificis, et tyrannicum imperium excuterent: Papatum esse regnum Babylonicum, et potentiam Nemroth, Papamque esse corruptelam, et perniciem Religionis. Itaque et librum de Captivitate Babylonis confecit, similibus conviciis, et contumeliis plenissimum. Et quia Pontifex inter propositiones Lutheri quasdam etiam perstrinxerat velut jam damnatas in Husso; Lutherus, Ita est, inquit, omnia, quæ in Husso condemnasti, ego approbo; et quidquid tu approbas, ego condemno. Et hæc est rectractatio mea, quam mihi injunxisti. Num plura a me postulas?

Maximilianus I. Imperator a. 1519. mortuus est. Carolus V. nepos illius ex Philippo filio, qui regnum Hispaniæ cum Joanna Ferdinandi Catholici Regis filia, et hærede adeptus est, Maximiliano successit in Imperio Germaniæ, Electorum suffragiis electus. Intercesserant quinque, et amplius menses a morte Maximiliani usque ad Caroli electionem. Quo tempore, ait Ulembergius cap. 3. liberius serpsit lues ista (errores Lutheri intellexit) et multas per Germaniam civitates infecerat, præsertim cum Fridericus Elector, cujus in Imperio summa erat auctoritas (etiam ab Electoribus Imperium ei erat oblatum, sed quod non susceperat, Carolumque commendaverat) Lutherum patrocinio suo foveret, et velut objecto sui nominis clypeo tueretur: unde factum est, ut quæ per Pontificem, et Ecclesiastici fori judices adhibenda erant gliscenti malo remedia, ea non satis expedita essent, et tardius procederent. Lutherus autem Carolum quoque Imperatorem tentavit circumvenire, eique persvadere, se sine causa, et nullo merito suo insectationes sustine-

re., criminando cum alios adversarios suos, tum ipsum etiam Romanum Pontificem. Leo Papa a. 1520. die 16. Maji edictum fecit, in quo Lutherum, cum prius monuisset, ut resipisceret, imo etiam obsecrasset, veniam ei pollicitus, deinde si tamen hoc facere renuisset, dies sexaginta præstituit, quibus elapsis ipse, omnesque ejus fautores, eique adhærentes excommunicationis sententia percussi existerent. Jam Carolus V. electus Imperator advenerat in Flandriam, et Brabantiam, hæreditarias suas terras, celebraturus Wormatiæ Imperialia comitia: qui ubi a nunciis Apostolicis, Marino Caracciolo, et Hieronymo Aleandro accepisset bullam Leonis Papæ contra libros Lutheri editam, memor titulorum suorum, utpote Rex Catholicus Hispaniarum, et Imperator Romanorum religiosæ suæ, et pietatis, et obedientiæ mox certissima exhibuit indicia severe præcipiendo, ut Martini Lutheri libri, a Sede Apostolica damnati, publice comburerentur. Combusti sunt igitur per lictores, et carnifices cum in Brabantiæ urbibus, tum in civitatibus Imperii, Coloniæ, Moguntiæ, aliisque. *Joan. Eck. tom.* 2. *Homil. Dominic.* 6. *post Pasch.*

Ad hæc comitia, data publica fide, ab Imperatore venire jussus etiam Lutherus est, sed inhibitus, ne uspiam in itinere conciones haberet ad populum. Quod vero ille non observavit, sed Erfordiæ concionem dixit, quam etiam deinde typis editam in vulgum sparsit. Inter cetera, ait Ulembergius *cap.* 6. quæ de bonis operibus, et statutis ab hominibus factis, de peregrinationibus, de variis monachorum institutis in contumeliam Religionis pro vulgi pruritu mordaciter effutivit, multa quoque petulanter dixit in Ecclesiasti-

sticos, et Sacerdotes Catholicos: cujus concionis deinde fructus fuit ingens seditio, cœpta a studiosis; quibus se vilissimi quique de fæce vulgi conjunxerant ad deprædandas Ecclesiasticorum domos: quarum quinquagintæ direptæ una nocte, et septem insuper exustæ sunt. Lutherus, quacunque iter faciebat, ait Coclæus in Actis Lutheri ad hunc annum, frequens erat concursus hominum, Lutheri videndi studio. In diversoriis multa propinatio, læta compotatio, musices quoque gaudia adeo, ut Lutherus ipse alicubi sonora testudine ludens, omnium in se oculos converterit,, velut Orpheus quidam, sed rasus adhuc, et cucullatus; eoque mirabilior. Jam Wormatiæ, priusquam Lutherus advenisset, in consessu Principum habiti de eo sermones erant ejusque sententiæ productæ ex ipsius libris, defendente eumdem Lutherum Friderico Electore, et dicente, istos libros fortasse neque ipsius Lutheri esse, et solummodo ei affictos. Lutherus statim, ut venit, introductus est ad consessum Principum, ipsiusque Imperatoris. Interrogatus, an recognosceret, suos esse libros, e quibus illæ sententiæ productæ erant, sine ulla tergiversatione, suos esse, respondit. Dum autem errores, qui in his assererentur, ei positi ante oculos fuissent, et dictum, ut hos retractaret, respondit, rem postulari temerariam, ut, nullo dato spatio cogitandi, respondeat illico. Cum diem unum postulasset, iste ei concessus est. Altera die rursus introductus, non ad ea respondit, de quibus erat postulatus, sed Curiam Romanam, a qua nimiopere gravetur Germania, criminans dicebat, huc spectasse suam omnem curam, et solertiam, ut his incommodis eadem sublevaretur Germania. Jussus autem ad id, quod ei positum erat, sine am-

gibus respondere, dixit, *Nisi convictus fuero testimoniis Scripturarum, aut ratione evidenti, nam neque Papæ, neque Conciliis solis credo, cum constet eos et errasse sæpius, et sibi ipsis contradixisse; in verbis Dei, a me adductis, quibus victus sum, neque revocare quidquam possum, neque volo: cum contra conscientiam agere, neque tutum, neque integrum sit. Deus adjuvet me! amen.* Apud Ulemberg. cap. 6. Dictum ei est, ea, quæ doceret, et assereret, esse jam pridem dijudicata, etiam in Conciliis generalibus, et definita ab Ecclesia: quæ vero spes esse poterat ista ratione aliquid proficiendi apud Lutherum, qui declaraverit se neque Papæ, neque Conciliorum auctoritate moveri? Is vero, ut vidimus ante, se totum prostraverat ad pedes Papæ, appellaverat ad generale concilium. Nonnisi igitur effugium semper quæsivit ab eo, quo in præsentia premeretur, et præfracte ea tuendi, in quæ delapsus est non casu, sed quæ ex destinato studio contradicendi asserebat, et defendebat. Dum autem Lutherus voluisset rursus de illis secum disputari, alioquin sine fructu, utpote, qui non veritatis videndæ voluntate, sed ut eludere posset judicium adversum se institutum, bene judicatum est, non ultra locum debere esse disceptationi in rebus, quæ jam dijudicatæ, atque definitæ ab Ecclesia essent. Nam si de his adhuc licuerit disceptare, et disputare, nullum finem unquam controversiarum futurum.

Die sequente Carolus Imperator coram Ordinibus Imperii suam sententiam dixit, Se, qui genus duceret a Christianissimis Imperatoribus illustris nationis Germanicæ, ab Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austriæ, qui

omnes ad supremum usque vitæ diem fideles Romanæ Ecclesiæ fuerant, horum etiam vestigiis ita velle insistere, ut pro sacris Catholicis institutis mortem ipsam paratus sit oppetere. Mentem igitur se suam aperire, sibi dolere quod tamdiu distulisset, contra hunc hominem, cujus pertinax responsum hesterno die audivissent, procedere, nec se posthac audire illum velle, quidquid allaturus esset. Itaque se jubere, ut is quamprimum reducatur, nempe Wittembergam, caveret autem, ne ex publicæ fidei sibi datæ formula palam concionaretur, suaque prava dogmata populo instillare pergeret, aut motus aliquos concitaret. Sin secus, se contra hunc, velut contra manifestum hæreticum processurum. Non eo minus tamen Lutherus non multo post in oppido Isenaco in Friderici Electoris Saxoniæ ditione concionem habuit. Post hanc exiit ex oppido: aliquot larvati equites facto impetu eum comprehendunt, atque ut viderentur, inimico erga eum animo esse in terram prosternunt, abducuntque. Erat autem hoc actum ex composito. Abductus est ad arcem Wartburgum, ubi decem menses latuit, liberaliter habitus a suo patrono Friderico: attamen ita, ut sibi dici noluerit, ubinam esset; ut si a Pontifice, vel ab Imperatore ex eo quæreretur, ubi Lutherus esset, posset respondere, et asseverare, se hoc nescire. Sparsum autem est in vulgum, ab Imperatore, vel a Pontifice Lutherum subdole esse captum, et abductum, et fortasse etiam interfectum. Quid vero in re esset, suspicabatur Carolus Imperator, aliique perspicaciores omnes. Postea autem patuit. Interea Imperator edictum fecerat, quo statuit, Lutherum habendum esse pro indubitato hæretico, et tam hunc, quam omnes ejus fautores, banno imperiali subjecit, hoc est,

pro-

proscriptionis poenam in eos constituit, et quoad Lutherum insuper, *Imperantes Romana, Cæsareaque potestate severe hoc edicto volumus, ut elapsis viginti diebus prædictum Martinum Lutherum nemo vestrum hospitio, tecto, lectove recipiat, ac foveat, nemo cibo, potuque alat, et sustentet, nec quisquam verbis, ac factis, clam, palamve consilio, vel auxilio juvet, aut promoveat, sed ubicunque locorum in eum incideritis, si tantum habebitis virium, vinctum comprehendatis, diligentique septum custodia nobis vel adducatis ipsi, vel adduci curetis, aut saltem e vestigio nobis, ubi captus fuerit, indicetis.* Apud Raynald. ad a. 1521. num. 26.

§. 8.

Lutheri latibulum Wartembergense. Illius cum Carlostadio simultates. Amborum nuptiæ. Comitia Imperii Norimbergensia, et Spirensia.

Lutherus in latibulo suo Wartburgensi non fuit otiosus. Plurima enim elucubravit ad alia semper et alia convellenda instituta Catholicæ Religionis. Ex his ejus liber est de Missa abroganda. Primi hoc executi sunt Augustiniani Wittembergenses, qui altaria suæ Ecclesiæ confregerunt, et ejecerunt, idemque de Imaginibus sacris fecerunt. Etsi vero hos propterea laudasset Lutherus, tamen in Carlostadium exarsit, cum is quoque sed suo arbitratu, statuisset idem esse faciendum, atque etiam perfecisset. Solus enim ipse volebat haberi auctor reformationis. Itaque ut obsisteret, ne quidpiam ab alio attentaretur absque se, evolavit ex arce Wartburgensi, rediit Wittembergam,

et

et in concione ad populum, *Erraverunt,* inquit, *omnes, quicumque cooperati sunt, et consenserunt ad abrogandam Missam; non quod bonum non fuerit, sed quod non ordinate factum sit. At dicis, Justum id esse ex Scriptura. Fateor et ego. Sed ubi manet ordo, quia ex temeritate factum est absque omni ordine cum scandalo proximi, et nisi adeo mala res esset Missa, vellem eam restituere.* Ægerrime etiam tulit, quod Carlostadius Doctoris nomine uteretur, quamvis ipse a Carlostadio creatus fuisset doctor. Dicebat ei, qui similia auderet, dæmonem objecturum in mortis articulo: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Quid tunc respondebunt? in infernum præcipitabuntur.* Coclaeus in Act. et Scrip. Luth. Cum abrogatio Missae ausum nimis temerarium visum fuisset iis ipsis etiam, qui jam initiati erant Lutheranismo, docet Arnaldus Meshovius *lib.* 1. *Hist. Anabaptistar.* Carlostadium dixisse, se ad abrogandam Missam adductum esse per revelationem, sibi factam divinitus, a spiritu, viro persimili, sed humana statura majore. Ipse etiam Lutherus confessus est, cum laborasset in abrogandis Missis privatis, nulla sibi incidente idonea aliqua ratione, qua uti posset ad hoc audendum, dæmonem apparuisse sibi noctu, et percontando, anne quispiam se ipsum possit baptizare, vel ipse secum inire connubium, subjecisse, neque igitur licere Missas privatas facere, in qua ipse Sacerdos tantum communicet.

Intercessit Luthero cum Carlostadio alia etiam adhuc vehementior contentio. Admiserat Lutherus Christum in Eucharistia vere, et secundum substantiam præsentem esse, attamen absque pa-

nis,

nis, et vini in corpus, et sanguinem Christi conversione, quæ in Ecclesia Catholica *Transubstantiatio* dicitur, et solummodo ea ratione dicebat præsentem, qua calor est in ignito ferro, et vinum in dolio. Carlostadius vero negavit penitus Christi præsentiam in Eucharistia, verba: *Hoc est corpus meum* sic sumendo, ut per pronomem *Hoc* Christus seipsum, non panem designaverit. Carlostadium in hoc secutus est, etiam Zwinglius, et Calvinus, in verbis Christi illis, per Corpus solam commemorationem Corporis intelligendo. Dum Lutherus ipse apud Florimund. Raymund. lib. 2. cap. 10. diversas sententias eorum, qui tunc in reformatione laborarunt, de iisdem verbis Christi recensuisset, *Vide quæso*, ait, *quam aperte diabolus nobis illudat*. Lutherus Carlostadium idcirco tamen ita insectatus est, ut is uno anno post etiam Wittemberga fugere coactus sit, quamvis sibi quoque in hoc illusum a diabolo dixerit. Attamen erat quidpiam, cujus incepti, atque Luthero prærepti Carlostadius Lutherum etiam laudatorem habuerit. Erat ille Sacerdos, et Archidiaconus Wittembergensis, primusque omnium, qui e Sacerdotibus, et monachis, cum se in castra Lutheri conjecissent, uxorem duxerat publice. Nam hoc Augustiniani Wittembergenses, et multi alii monachi jam fecerant, sed tantummodo adhuc furtive. Instar triumphi celebratæ sunt hæ nuptiæ Carlostadii, atque in earum laudem, et gratiarum actionem, quod tantum boni assecuti essent per suam reformationem, ut jugum etiam Sscerdotes, et monachi exuerint continentiæ, quo ante premebantur, Missa sit singulariter ab ipsis composita. Missas enim solummodo privatas abrogaverant, in quibus nemo alius præter Sacerdotem communicaret. Anno 1523. ipso Parasceves die, quo Passio

Chri-

Christi recolitur, Leonardus Koppen, Lutheri assecla, novem virgines Deo dicatas genere nobiles ex Nymicensi claustro rapuit, et Wittembergam ad lupanar devexit. Quod istius factum Lutherus oratione panegyrica publice celebravit, ipsi Christo illum comparans, quod sicut hic per mortem suam Principi mundi abstulit arma, atque captivum hunc duxit, ita Koppen istas animas miseras ex carcere humanæ tyrannidis eduxerit, et quidem opportunissimo tempore in Paschate, quo Christus suorum quoque captivitatem captivam duxit. Ex his Catharinam de Bore ex eodem lupanari biennio post Lutherus sibi desponsavit cum magna nuptiali pompa, quæ jam gravida Lutherum prole altero post nuptias mense beavit. Erat præses illius claustri, unde cum ceteris virginibus rapta erat. Idem cucullum, et habitum monachi, quem ad hoc usque tempus gestaverat, aut si quando deposuit, rursus resumpserat, nunc ex integro dimisit. *Coclæus in Actis, et scriptis Luth.* Quod Lutherus non tantum ipse fecit, verum etiam aliis auctor erat, ut idem facerent, scriberentque contra vota tum continentiæ, tum omnia alia, probarentque, libertati Christianæ ista adversari, et repugnare; id ita secuti sunt alii, ut, postquam, quemadmodum est scriptum ab Ulembergio *in Vita Lutheri cap.* 11. Lutherus revulsisset repagula monasteriorum utriusque sexus, et septa castitatis perfregisset; monachi, sacerdotes, moniales, carnalibus desideriis incitati, vitulorum lascivientium instar e monasteriis proruperint. De Lutheri, Carlostadii, ceterisque hoc in genere, ipsiusque Reformationis signiferis non inscite Erasmus lib. 18. epist. 13. *O præclaros,* inquit, *Ecclesiæ reformatores! Vocant se Apostolos, et tamen solennem cœlibatus possessionem abjiciunt, ut*

uxo-

uxoribus jungantur: cum tamen veri Apostoli Domini nostri Jesu Christi juxta omnium Sanctorum Patrum traditionem relictis uxoribus cœlibatum amplexati fuerint, ut unice in Deo, atque Evangelio occupati esse valerent.

Lutherus, quemadmodum supra vidimus, fuit in Wormatiensibus Imperii comitiis per Carolum V. Imp. proscriptus, interdictumque est, ne quis illum hospitio reciperet, vel ulla re juvaret, verum qui eum nacti essent, apprehenderent, et Imperatori traderent. Is tamen prodiit Wartemberga (hanc Lutherus deinde Patmon appellavit, quasi ubi instar Joannis Apostoli ob causam Evangelii exilium toleraverit) et Wittembergam rediit, impunisque hic non tantum versabatur, verum etiam cœptis suis institit. Jam erat Saxonia sic transformata per ipsum, ut hæc ei præsidio potius esse voluerit, quam aliquid agere contra eum. Carolus Imp. abierat in Hispaniam, utpote quæ ad ejus etiam spectabat ditionem, eratque cura distentus belli cum Francisco I. Rege Galliæ: et fortasse ardor etiam ejus elanguerat: quod annatæ, quas ex omnibus suis regnis sibi petierat concedi a Romano Pontifice, negatæ sint. Hadrianus VI. is erat, qui Leoni X. in Pontificatu successerat. Is Carolum Imp. ursit, ut suo edicto, quod contra Lutherum in Wormatiensibus comitiis fecerat, insisteret. Idem hoc petiit ab Caroli fratre Ferdinando, qui Caroli vices in Germania gerebat, et a Principibus Germaniæ, dum Norimbergæ a. 1522. conventum celebrarent hanc ipsam ob causam, ut turbatæ per Religionis dissidia consulerent Germaniæ. Eodem tempore Ludovicus II. Hungariæ Rex a Carolo Imperatore, et Ferdinando ejus fratre aliis-

que

que Principibus Christianis implorabat auxilium, dum Solimannus II. Turcarum Imperator bellum Hungariæ intulisset, quod eidem Hungariæ fuit admodum calamitosum. Quod ipsum etiam erat alterum, cur institutus sit iste Germaniæ conventus. Carolus Imperator rescripsit Hadriano Papæ se paratum esse, et ad ferendum auxilium Hungaris, et ad coercendos Germanos turbatores Religionis ipsis etiam armis. At vero in conventu Norimbergensi judicatum fuit, non esse consultum vi agere, unde metuendum esset intestinum bellum. Tantopere videlicet jam increverat malum. Sed petebant, tanquam quod futurum esset optimum remedium, ut Concilium quantocius in Germaniæ opportuno loco generale institueretur. Donec vero Synodus hæc habita esset, promissum est a Principibus Germaniæ in eodem conventu, curaturos se, ne Lutherus, ejusque sectatores porro novi aliquid scribant, et in publicum edant, et ne Evangelium aliter, quam juxta interpretationem doctrinæ ab Ecclesia receptæ, et approbatæ exponatur. Quoad personas Ecclesiasticas, matrimonium contrahentes, et Religiosos monasteria sua deserentes statutum est, ut hi juxta Ecclesiæ canones punirentur privilegiorum, et beneficiorum privatione per superiores Ecclesiasticos, potestas vero civilis his auxilium præberet. Edictum super his observandis etiam ab ipso Carolo Imperatore factum est. *Apud Raynald. ad a.* 1523, *num.* 21.

Hoc edicto Lutherus se impediri passus non est, quominus omnem illam licentiam continuaret, quam antea exercebat. Dicebat, Verbum Dei non esse alligatum, sed neque aliquid statui potuisse Comitiorum auctoritate, quod Evangelio impe-

pedimentum afferret: quod si tamen hoc attentatum esset, Deo magis, quam hominibus obediendum esse. Erant in iisdem Comitiis motæ etiam querimoniæ contra Annatas, tanquam quibus gravaretur Germania: nec dubium, quin ista velut gravamina obmota sint ab Lutheri fautoribus, aut saltem suscitata ad Curiam Romanam vocandam in invidiam, ipsumque Pontificem: jamque Hadrianus Papa, ne quem tergiversandi haberent Germani prætextum, in iis, quæ contra serpentem semper magis Lutheranismum ab illis flagitabat, spoponderat, se se illis velle satisfacere. At vero Lutherani libellum composuerunt centum continentem gravamina, quorum in his vox statim sub initium dignoscitur. Ad Hadrianum Papam erat directus libellus. De gravaminibus, ut conjectura fieri possit, cujusmodi fuerint, unum, alterumve illorum exhibiturus sum. *Inter reliqua onera* (sunt illorum verba) *vel illud minime postremo loco est collocandum, quod constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa; quæ nullo Divino præcepto vel interdicta sunt, vel imperata; quod sint matrimoniorum tam innumera excogitata obstacula ex affinitatis publicæ honestate, cognatione spirituali, legalique, et consangvinitatis tam multis gradibus originem contrahentia. Ciborum item usus interdictus, quos Deus tamen ad hominis necessitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiscue sumendos Apostolus docuit. Illud importabile jam olim increbuit Romanarum Indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare solliciti sunt Romani Pontifices, omnem simplicibus, nimiumque credulis Germanis exsuxerunt pecuniarum medullam.*

Etiam

Etiam cetera fere omnia gravamina habent pecuniarum diversis titulis exactiones, quæ vitio dantur Curiæ Romanæ, et Clero. Hic libellus non habet diem, quo datus sit, appositum, nec nomen Ferdinandi, qui Comitiis præfuit nomine Caroli Cæsaris, adscriptum. *Dolgastus tom. 1. exhibet hunc libellum.*

Hadriani VI. Pontificatus diuturnus non fuit, cujus anno secundo nondum completo jam mortuus est. Clemens VII. ei successit, antea Julius Cardinalis Mediceus, electus die 19. Novembris 1523. Cum denuo subsequente anno Norimbergæ Conventus Principum Imperii institutus, atque de hoc certior factus esset Pontifex a Ferdinando Archiduce, Caroli Cæsaris vices gerente, is misit Laurentium de Compegis legatum suum. Cui Norimbergam venienti quamvis omnes fere Principes, atque ipse etiam Ferdinandus Archidux obviam ivissent, tamen ab eo petierunt, ne eo apparatu, quem alias Legati adhiberent, urbem vellet ingredi propter plebem Lutheranam, quæ assiduis concionibus a suis prædicatoribus concitetur ad odium, et contemptum Papæ, totiusque Cleri. Itaque sine Cruce, sibi prælata, nec præeunte Clero, solis Principibus stipatus urbem intravit, tantumque in Ecclesia exceptus a Clero est. Unde intelligi potest, quo statu res quoad Religionem jam tum fuerit etiam Norimbergæ. Fridericus Elector Saxoniæ, ne in Legati congressum, colloquiumque veniret, Norimberga se se proripuit. Legatus petebat, et urgebat, ut quæ sententia constituta a Leone X. Papa, et quod edictum a Cæsare, et ab Conventu Imperii factum esset in Lutherum, ejusque asseclas, executioni daretur. Germani autem ite-

rum

rum sua objecerunt gravamina, alii jam Luthero devincti, alii ab his concitati adversus eadem gravamina. Legatus spem dedit certam, futurum, ut his subleventur, quantum concedi posset. Erant enim etiam ejusmodi, ut supra vidimus, quæ assumpta ex Lutheri placitis, tenderent ad subvertendam Ecclesiæ omnem potestatem, et tollenda Religionis antiquissima, et sanctissima instituta. Factum deinde istud statutum est, etiam per Imperatoris edictum confirmatum, ut singuli Principes deligerent viros doctrina excellentes, et pietate conspicuos, atque his darent negotium ex libris Lutheri dispescendi recta a pravis. Idem constitutum est quoad gravamina, ut colligerentur; indictis ad diem S. Martini aliis rursus Comitiis habendis Spiræ, ad ista, quæ modo commissa sunt, discutienda, et cum discussa essent, et dijudicata, ut deinde oecumenico Concilio offerrentur, quod a Germanis petebatur.

Nemo non videbit, Principes Germaniæ se ulterius immisisse ad ea, quæ sunt fidei, et Religionis, quam ad ipsos spectaverit. Debuitne id, de quo jam judicium tulit Apostolica Sedes, dari censoribus quamvis docti, et pietate præditi haberentur ad dijudicandum, quid rectum, vel pravum in assertionibus Lutheri esset? S. Augustini est: *Inde* (ab Apostolica Sede) *rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando error finiatur!* Serm. 132. Quod proinde improbatum a Romano Pontifice est, quemadmodum et illud, quod iidem Germani conceperant velut idoneum, et conducens ad finiendas contraversias agitatas in Germania, et ab Luthero excitatas, ut denuo de his tanquam ambiguis disceptetur, postquam definita fuissent, et decisa ante ab Ecclesia: cujus

jus modi omnia erant, adversum quæ Lutherus, se erexerat, utpote qui arma sua omnia sumpserit ab hæresibus, jam olim contritis ab Ecclesia. Sed nec ipse Lutherus contentus erat isto hujus conventus statuto, quod isto edictum Wormatiense, adversum se factum, renovatum esset.

Carolus vero Imperator, quamvis statuta hæc, per conventum Norimbergensem facta, per edictum suum rata habuisset, tamen cum ei a Clemente Papa demonstratum fuisset, quam inconsulte facta essent, ea fuit æquanimitate; ut alio edicto suo ista reprobaverit, professus talia neque se posse, nec velle admittere, et confirmato Wormatiensi decreto districte inhibuit, ne quid in iis, quæ Catholicam fidem concernunt, absque Apostolicæ Sedis, atque sua, et œcumenici Concilii auctoritate attentaretur, sed totum hoc ad proximum generale concilium, Papæ auctoritate convocandum, differretur. Hanc epistolam Caroli Imp. Coclæus habet in Actis, et scriptis Lutheri ad a. 1524. Videtur illud prius edictum, a Norimbergensibus tantum Caroli nomine editum esse, ejusque vicaria auctoritate, quod vero is, cognita ejus indole, sustulerit. Nec Spiræ sunt illa comitia celebrata, quæ erant in Norimbergensibus comitiis constituta ad diem S. Martini, cum ab Imperatore permissum non fuisset de iis tractare, et statuere, ad quæ tractanda, et statuenda hæc comitia erant indicta. Sed neque in comitiis Norimbergensibus de re ejusmodi fuisset cogitatum, nisi in his jam Lutheranica factio praevaluisset. Hon enim inde intelligitur. Nam terminato Norimbergensi conventu, Principes Catholici, qui in hoc affuerunt, et ipse Ferdinandus Archidux cum legato Romani Pontificis Ratisbo-

nam iverunt, ibique communi consensu statuerunt, decreto Wormatiensi firmiter inhærere, per legatum Romani Pontificis scripto etiam facta declaratione, et publicata, quæ essent ex instituto Catholicæ Religionis observanda, ad Catholicos instruendos, confirmandosque adversus Lutheri errores. *Apud Coclæum ad a.* 1524.

Attamen sunt deinde Spiræ a. 1526. Comitia instituta, ab ipsoque Carolo Imp. indicta, ipso tamen absente propter bellum, quod gerebat cum Francisco I. Rege Galliæ summa contentione. Hungaria in summo versabatur discrimine. Solimannus II. Turcarum Imperator jam erat in limine Hungariæ cum validissimo exercitu. Ludovicus II. Hungariæ Rex, cui nupta erat Maria soror Caroli, et Ferdinandi, instanter implorabat auxilium. Cui ut auxiliares mitterentur copiæ ex Germania, hunc Imperator Spiræ indixit conventum: altera præterea causa erat comitiorum, ut res turbatæ per Religionis dissidia, pacarentur etiam in Germania. De auxilio Hungariæ ferendo factum est nihil, Principibus obsistentibus, Lutheranismo initiatis, tametsi devicta Hungaria per Turcam nihil securitatis etiam Germaniæ maneret. Jam semper etiam antea Lutherus dehortabatur Germanos a bello adversus Turcas, nihil curans, etiam si hi invasissent Germaniam, quod sic speraret, rem sibi successuram eo facilius, in qua laborabat. Itaque ab Hungaris pugnatum cum Turcis est infelicissime eodem anno ad Mohács, ipseque Ludovicus Rex periit. Taceo, quæ deinde Hungariam oppresserint mala diu. Ad Spirensia comitia redeo. Lutherani Principes secum adduxerant concionatores, petieruntque sibi Spiræ dari templum, ubi habere suos coetus, et conciones

nes possent. Georgius Episcopus Spirensis e familia Ducum Bavariæ adjutoribus aliis Catholicis se se fortissime opposuit. Jusserunt igitur, (rem refero verbis Coclæi) suos concionatores in atriis ædium suarum quotidie ad populum concionari. Ingens fuit ad eorum sermones concursus plebis, et rusticorum non tam discendi gratia, quam propter novitatem loci, modumque insvetum ad audienda in Clericos, et Papam convicia, atque ut complures allicerentur ad eorum sectam, data opera, in ferculis portabantur carnes coctæ in sextis feriis, aliisque diebus jejunii aperte in conspectu totius auditorii per atrium ad mensam Principum, et aulicorum, in Ecclesiæ; et Catholicorum publicum despectum; patrabantur et alia id genus multa parum evangelice ab evangelicis ibi hominibus: et ministri eorum equites (equisones) et stabularii idiotæ petulanter jactabant verbum Domini, in dextra manica vestimenti gerentes has literas: V. D. M. I Æ. hoc est: *Verbum Domini manet in æternum.* Nec tantum non erat ipsis cura, ut audita irruptione Turcarum in Hungariam, suam contra hos munirent Germaniam, sed hinc audaciores etiam facti ultro provocarunt Catholicos ad tractandum de controversiis Religionis, ex vicino periculo a Turcis præfidentes, Catholicos non ausuros ipsis resistere, ne Germania per dissidia intestina imbecillis fieret adversus Turcam, si in Germaniam irrumperet. Tractari vero nihil potuit, cum Imperator cavisset, ne ad judicium ullum de Religionis controversiis etiam hæc comitia se se immitterent. Manserunt igitur res in suspenso; et permissum sequi cuique, quod credendum, et tenendum putaret arbitrio suæ conscientiæ, Deo, et Cæsari redditurus rationem eorum, quæ egisset.

Hinc vero Lutherani ad omnia asserenda, et agenda, quæ liberent, sibi licentiam petierunt, quæcunque futura essent secundum eorum conscientiam.

§. 9.

Bellum inter Carolum Imp. et Franciscum I. Regem Galliæ. Eidem bello implicitus Clemens VII. Papa. Quam Germani, et Hispani Romæ acerbitatem exercuerint.

Carolus V. in Imperatoria dignitate competitorem habuit Franciscum I. Galliæ Regem: cui dolebat, illum sibi esse antelatum. Hinc semen belli, quod grave et pertinax inter eos exarsit. Franciscus prior arma commovit adversus Carolum, Navarram repetens Henrico Albretano, cujus pater Joannes hanc per nuptias acquisiverat, sed quam Ferdinandus Caroli Imp. maternus avus sibi asseruerat. Hinc ejectus ab Hispania se in Italiam vertit ad Mediolanum occupandum, jure, quod præ se ferebat a proavia sua Valentina; in Neapolim quoque extenderat idem occupandi desiderium. Tam vero Mediolanum, quam Neapolim Carolus Imp. sibi acquirere studebat. Primum res Francisco Regi feliciter in Italia cesserant. At postea in oppugnatione Ticinensi dum victoriis elatus, copias distraxisset, atque alias ad alias occupandas civitates misisset, victus atque captus ipse etiam est, Madritumque ductus. Anno 1525. die 24. Febr. id accidit. Admodum duris conditionibus anno subsequente dimissus e captivitate est: in quibus non mansit dicens, esse iniquas, et quibus se subjecerit, tantum modo co-

actus: Galli quoque in comitiis, quæ hac de causa instituta a Rege sunt, declararunt juxta legem regno suo coævam, non fuisse in Regis potestate quidpiam cedere e regno. Burgundi æque, quorum regio, vi illarum conditionum, transire debuisset ad Hispanos, negarunt passuros divelli se a Gallia. Fœdus deinde iniit Franciscus cum Rege Angliæ: cum Venetis, et Francisco Sforcia, Mediolanensium Duce, contra Carolum Imp. ad quod Clementem VII. quoque Papam pertraxit. Anno 1526. die 17. Maji fœdus hoc confectum. Clemens Carolo, in suis ad eum literis declaravit, quibus de causis ad hoc se fœdus immiserit (literas exhibet Raynaldus *ad a.* 1526. *num.* 11.) se ab eo in vicem suæ erga eum perpetuæ voluntatis et amoris semper passum esse repulsam ab ejus benevolentia, et conjunctione, quapropter ad ea consilia se necessario compulsum esse, a quibus semper abhorruerit, licet serius, quam et rerum dignitas, et sui honoris, publicique commodi ratio postulaverit. Jam enim suam patientiam ad negligentiam rerum publicarum conversam esse, nisi tandem arma cepisset, quæ et justitiæ, et Italiæ libertati, et sibi ipsi præsidio essent. Speciatimque affert, se cum illius ducibus fœdus inivisse, et ad alendum ipsius exercitum plus quam mediocrem auri summam dedisse ea conditione, ut a suis finibus exercitus abduceretur, sique fœderi huic ipse Carolus non consensisset, pecunia restitueretur: quod vero quamvis ratum non habuerit, tamen aurum non esse restitutum, et exercitum contra fidem datam in Romanæ Ecclesiæ locis diutius versatum, nullum crudelitatis, nullum avaritiæ, aut immanitatis genus prætermisisse. Esse ejus occulta consilia ad se perlata. Itaque cunctis prope Christia-

nis Principibus auxilium conferentibus in communi Italiæ periculo non neglexisse arma capere. Hanc videlicet totam una cum ipsis ditionibus Romanæ Ecclesiæ advertebatur velle sibi subjugare, ejusque potentiam devicto Gallo, alii etiam Principes formidabant.

Omnium primi Columnenses, quæ Romanæ potentissima fuit familia, sed ut jam alias etiam, Romano Pontifici infida, et iniqua, ita nunc Carolo Imperatori se adjunxit, atque ex his Vespasianus Cardinalitia etiam auctus dignitate, et ejus frater Pompejus cum Hugone Moncada Hispano tribusque millibus peditum, et octingentis equitibus summa celeritate usi noctu de improviso ad Urbem advolarunt, atque summo mane in eam irruerunt. Pontifex cum Cardinalibus ad arcem S. Angeli confugit. Hostes palatium cum omni supellectili tam sacra, quam profana diripuerunt, suburbiique Vaticani prope partem tertiam, nec ab ipsa basilica S. Petri manus abstinuerunt. Cum Moncada certis conditionibus Pontifex trium mensium inducias fecit. Ille præda onustus militem abduxit. Copiis Cæsareis in Italia præerat Carolus Borbonius, insignis bellidux, cujus ductu res prius iverant bene Francisco Galliæ Regi, ad Hispanos autem defectionem fecerat, cum Ludovica, Francisci mater, litibus eum objecisset, bonisque suis, connivente Francisco, exuisset. Idem etiam Franciscum ceperat Ticini. Cum vero pecunia eum defecisset ad solvenda stipendia exercitui, Florentiam voluit invadere, et diripiendam militibus dare. Quia vero res ei non successerat, Romam destinavit, quam exercitui in prædam daret. Mœnibus admoto exercitu bis non absque suorum cæde repulsus, dum

dum tertio assultum facit, et apposita scala ante alios moenia scandit, glande plumbea trajectus occubuit. Philibertus Princeps Arausiacus locum demortui occupavit, et in Urbem penetravit. Fuit æque Gallus, verum cum Franciscus Rex ejus ad se traxisset bona, similiter, ut Borbonius, defecerat ad Carolum Imp. In exercitu hoc, qui Romam cepit, erant partim Hispani, partim Germani, et in his permulti ex Lutheranis. Horum unus Georgius Fronspergius, patria Svevus Dux Germanorum. Eo proposito in hac expeditione iverat in Italiam, ut fune, quem secum ferebat auro intextum, in sinuque suo gestabat, aliisque identidem ostentabat, Romanum Pontificem ipse suis manibus strangularet. Clemens Papa ægre quidem, attamen hostium evasit manus, fugiendo ad castrum S. Angeli. At vero Fronsbergius, cum laqueo Romam pergens ad strangulandum Pontificem, priusquam Romam pervenisset, equo delapsus, cervicem fregit.

Sæpius jam a barbaris fuit Roma capta, et direpta, sed numquam majore crudelitate, et insolentia. Qua de re sic scriptum est a Petro Justiniano lib. 12. pag. 430. *Contigit miserabilis, fœdaque Romanæ urbis direptio, qualis olim nec a Gothis, nec a Longobardis, Vandalisve facta legitur. - - - Hispani, Germanique milites in omne crudelitatis genus prolapsi, multas Urbis partes incendunt, sacra, profanaque diripiunt, omniaque fuga, tumultu, terrore, ac cæde replent: nec Cardinales, Episcopi, ceterique viri Religiosi impias deprædantium effugere manus. Ædes quoque sacræ ad unam omnes spoliatæ sunt. Nulloque habito sacrorum respectu,* quemadmodum eadem de re scribit Coclæus ad annum 1527.

plu-

plurimi occisi sunt non solum in atrio, et porticu, verum etiam in ipsa basilica S. Petri. Neminem a direptione militari salvavit deditio, neminem sacer locus, neminem Cæsaris, aut nationis nomen, aut favor. Omnes incolæ sive Romani essent, sive Hispani, aut Germani amissis rebus omnibus corpora quoque propria, et vitam juxta æstimationem ab irato, et insultante victore taxatam redimere coacti sunt. Pars in tormentis, et immanissimo cruciatu defecit vitam simul, cum pecuniis relinquens: et contigisse non raro, ut jam excruciatus, atque tortus denuo cruciaretur ab alio: nec satis fuisse sacra vasa ex Ecclesiis diripere, sed venerabile etiam Sacramentum abjectum, sacris vestibus in ludibrium Religionis indutos lixas, et calones; venerandas Divorum reliquias velut canum ossa abjecta; et virgines sacras haud secus atque meretrices ad stuprum raptas. Ex sacello Papæ iidem fecerunt stabulum equorum, atque equis literas, et bullas Pontificias substraverunt. Celebrarunt quoque electionem summi Pontificis per ludicrum pileis Cardinalium, et Episcoporum infulis induti, et abrogato Pontificatu Clementi, proclamarunt Lutherum esse Romanum Pontificem. Sed neque silentio prætereundum est, quemadmodum grassati etiam in bibliothecam Vaticanam sint damno irreparabili, cujus libros magna ex parte furor illorum barbaricus disperdidit, dissecuit, ac vilissime distraxit, ut idem scripsit Coclæus.

Anno 1527. die 5. Maji cum Roma cœpisset oppugnari, et capta fuisset, duos menses duravit illa, quæ dicta est, grassatio. Carolus Imperator Vallisoleti, ubi ob natum ei filium Philippum publica instituta fuit lætitia, accepto nuncio

de

de capta Roma, et circumsesso Clemente Papa mœrorem præseferens, protinus finem fecit lætitiæ, atras vestes induit, insuper supplicationem instituit, datisque literis ad Philibertum Arausiacum, et Moncadam, significavit, se moleste, graviterque tulisse Romanæ urbis direptionem, sed quia facta infecta esse non possint, æquum, atque pium sibi videri, ut Clementem dimittant, et omni cum honore in pristinam dignitatem asserendum curent, dummodo alicunde pecunia paretur ad stipendia militibus solvenda, dumque tempus deposcet, legiones ex Urbe educantur, sedulo tamen curent obsidibus cavendum, ne Pontifex nocere ipsis possit; denique, ne aliquod ipse capiat detrimentum. Satis apparet ex conditionibus appositis, cujusmodi illa tristitia fuerit Caroli, quam gerebat de circumsesso, et concluso Pontifice: quibus sic circumscribebatur illius dimissio, ut tamen per has easdem octo fere mensibus in eodem statu manserit, in quo fuit, circumvallatus a Caroli exercitu, non tantum ne fugere posset, sed nequidem ut alimenta inferri possent ad castrum S. Angeli, atque fame adigeretur ad deditionem faciendam. Res non bene audiit, nedum ubique apud eos, qui erant orthodoxi, sed nequidem apud Solimannum Turcarum Imperatorem, de quo sic scriptum est apud Fabricium Cornelium in epistola apud Raynaldum ad a. 1527. num. 23. *Quippe in insolentiam Christianorum excanduit; qui crudelius in supremum suum Antistitem se gessissent, omniaque Sacra profanassent, quam ipse, Mahometis cultor, Græcorum Patriarcham haberet: quandoquidem ejus sacra violare nefas putaret.*

Hen-

Henricus VIII. Rex Angliæ se sociavit cum Francisco Galliæ Rege ad liberandum Pontificem, validumque exercitum octoginta millium peditum, et viginti equitum miserunt in Italiam. Ab his plura loca vi capta, multa etiam spontanea deditione in fidem recepta. Romæ vero pestis exorta est ex alimentorum tanta penuria, ut nonnisi stirpibus, et herbis agrestibus ipsi primores, et genere illustriores vitam tuerentur. Hæc absumpsit etiam Cæsareum exercitum sic, ut nonnisi sex millia Hispanorum, et duo Germanorum Romæ remanserint. Hoc adegit Hispanos, et Germanos Roma abire, ea etiam de causa, ut Neapoli, et alibi suis a Gallo, et Anglo vehementer pressis, subsidio venirent. Itaque ad inducias belli cum Pontifice faciendas descenderunt. Quadringenta aureorum millia ipsis Pontifex spopondit: et quia in præsentia hanc exhibere pecuniam non poterat, Placentiam, Parmam, Mutinam, pluraque alia e ditionibus Ecclesiæ Romanæ arbitrio Caroli Cæsaris permisit, Cardinalesque sibi charissimos tres, et decem, quos secum habuit in Castro, et quosdam alios etiam Præsules pro pecunia obsides coactus est dare Germanis. Hi istis, simul atque in manus suas eos acceperant, catenas injecerunt, deinde aurum ab his quærentes exprimere, ad campum Floræ iisdem catenis vinctos, et ad patibula, jam ibi erecta, duxerunt, nec tantum semel, sed etiam iterum, ac tertio, parato illic carnifice, et exspectante nutum ad eos in furcam agendos, ad terrorem ipsis incutiendum. Sed hi ex carcere deinde, per caminum attracti, elapsi sunt. Joannes Maria de Monte Cardinalis Prænestinus unus horum fuit deinde factus Pontifex, appellatus Julius III. Pontifici pactis illis induciis dies nona Decembris

bris fuit promissa, qua ad libertatem poneretur. Qui vero diffidens Moncadæ sponsioni, illiusque verens insidias, in mercatoris habitu, elusis custodibus, se clam subduxit. Moncada ad tuendam Neapolim contra Gallos profectus, subsequente anno victus ab his, et occisus est. Gallorum in Italia successibus permotus Carolus Imperator Clementis Papæ ultro reconciliationem, et amicitiam appetiit, ita ut ejus etiam arbitrio permiserit conditiones pacis conficiendæ inter se, et Gallum: quæ et ipsa coaluit. Anno 1530. Carolum Clemens Bononiæ primum corona ferrea (erat et ista ex auro, et gemmis confecta, et nonnisi inferne, et introrsum habens aliquid ferri per circuitum, insigne regni Lombardiæ) deinde vero altera etiam aurea redimivit jam insigni ipsius Romani Imperii. Quod utrumque perfectum est Bononiæ, quorum alterum, ut mos ferebat, fieri debuisset Mediolani, alterum Romæ, causa erat quod Carolus Imp. diceret sibi properandum esse ob negotia in Germaniam. Et fortasse istud solummodo prætendebatur, vera autem causa fuerit, quod voluerit vitare Romam, cujus erga se bonum affectum atque lætum vultum ob ea, quæ pertulit ab ipsius exercitu, tam nefanda, et atrocia, non poterat sperare. *Paulus Jovius lib.* 27. *Franc. Guicciardinus lib.* 20.

§. 10.

de controversiis, et tentandam concordiam. Effectum vero est nihil. Cæsar Protestantibus proposuit, atque ex iis quæsivit, utrum cum Romano Pontifice, secum, et cum Principibus, ceterisque ordinibus Imperii Catholicis velint in fide convenire, et diem 15. Aprilis anni subsequentis præstituit, ad quam usque quisque illorum seorsim responsum scripto det: inhibuit autem ne quid novi in causa fidei sinerent in suis terris typis edi, ne quos e Catholicis in suam partem abstraherent, ne iisdem Catholicis in obeundis Religionis officiis ulli essent impedimento: unaque declaravit, se quoque eousque deliberaturum, quid se facere oportebit.

Principes Protestantes, cum vererentur, ne Imperator quidpiam severius adversum eos ageret, Smalcaldæ, in finibus Thuringiæ convenerunt; et fœdus, de quo jam ante annum consilia conferebant, iniverunt ad se defendendos mutuo adversum Imperatorem, si quid metuendum ab hoc haberent die 22. Decemb. ejusdem anni. Consultus etiam ab his fuit Lutherus, nec non alii ipsorum Theologi, et Jurisconsulti, æquum ne esset, armare se, et rebellare adversus suum Principem. Ceteris affirmantibus, et asseverantibus, siquidem vim vi licitum esset repellere, Lutherus non nihil hæsit in dando responso, eo quod ante in suis concionibus docuisset, fas non esse Religionis causa armis se tueri: deinde vero respondit: *Ego jurisprudentiæ ignarus sum, ac proin ejusmodi leges nescivi: hinc quidem hucusque contrariam docui sententiam: verum id ex mea processit ignorantia. De cetero sæpius ad populum dixi, quod lex Evangelica non aboleat jus civile, legesque politicas. Hinc extra dubium positum est, quod*

con-

contra omnes, qui doctrinam, a Protestantibus susceptam, adgrediuntur, arma sumere liceat. Apud Bossuet Hist. Variat. lib. 4. Sleidanus lib. 7. Justa potestas, quam exercent Principes, et a Deo habent, non est vis, cui resistere liceat. *Non est enim potestas, nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. v. 2.

Novus apparatus Solimanni adversus Hungariam, et Germaniam, quam jam tentaverat anno 1529. oppugnata Vienna, curas non mediocres injecerat Carolo Imp. Hac de causa Comitia Imperii indixerat Spiram: quæ vero, mutato ejus consilio, habita sunt Ratisbonæ a. 1532. Credidit, Germaniam non aliter futuram parem resistendo hosti, quam si concors facta esset. Ad hanc igitur concordiam vocabat Protestantes. At vero hi, placita, quæ sibi, auctore Luthero, assumpserant, dimittere nolebant. Attamen consenserant Imperatori, ut fieret generale Concilium, idque indiceretur intra sex menses, et si Romanus Pontifex nollet, ipse Imperator hoc indiceret, et institueret, quasi jure suo. Jam antea Imperatori petenti, ut convocaret Concilium, Pontifex renuit dare consensum. Dicebat dogmata Religionis, quæ credita in Ecclesia semper essent, et jam antea adversus eorum impugnatores discussa, ac dijudicata ab Ecclesia, etiam in ipsis generalibus conciliis, non debere denuo, tanquam adhuc ambigua, et controversa, deduci in judicium. Jus autem Imperatori generale Concilium indicendi, et celebrandi Protestantes tribuerunt ex sua sententia, habendo eum pro capite Ecclesiæ. Hi venditarunt, venditantque etiam modo, suam refor-

mationem esse factam juxta Evangelium. At vero in hoc est, Christum Petro dixisse: *Pasce oves meas*; non Imperatori. Et si professi sunt, Imperatorem esse, caput Ecclesiæ, cur igitur ei præcipienti, ut redirent ad concordiam, et unitatem Catholicæ Ecclesiæ, morem non gesserunt? Non eo minus, cum hoc iterum petitum esset concilium, ne si hoc negatum esset Protestantibus, videri posset, Pontificem e sua parte aliquid neglexisse, quod reconciliandis cum Ecclesia Protestantibus idoneum fuisset, consensum præstitit. Non erant Protestantes ii, qui Ecclesiam audire vellent: apud quos jam cuique data erat auctoritas statuendi quid credendum esset, proprio judicio: et qui hinc nec in statutis suorum etiam Conventuum unquam eam vim esse crediderunt, ut his parere obligarentur. Concilium igitur vim apud eos habuisset, si in eo omnia juxtá ipsorum placitum acta et decisa fuissent. Qui simul atque intellexerant futurum generale concilium, huic leges ejusmodi præscribere volebant, ut jam nunc pronum esset prævidere, quam etiam concilio, postquam actum esset, se se morigeros præbituri essent.

Dicebant, providendum esse, ne in hoc Papa simul actor sit, et reus, et judex; deinde oportere esse liberum, et Christianum, ubi nec Pontificis damnatoria sententia, nec vis, et potentia cujusdam alterius (Imperator iste intelligebatur) causæ præjudicaret; deinde ne judicium juxta leges Pontificias, et Scholarum opiniones, sed solum modo juxta Scripturam sacram fieret. Porro quamvis ipsi etiam vocarentur ad concilium, ipsosque contingeret ire, tamen non aliter valiturum, et vim habiturum, quam si Imperii Germa-

manici juribus consentaneum esset, et ab hoc receptum. Omnium populorum desiderium esse, ut angore conscientiæ liberentur, atque recta salutis via ipsis monstretur per concilium: sed si Pontifex defugerit cognitionem subire legitimam, metuendum esse, ne et respublica, et Ecclesia in fluctus conjiciatur majores. *Pallavic. l.* 3. *c.* 15. *Coclæus ad a.* 1532. In hoc igitur concilio, quod delineatum ab ipsis est, voluissent Protestantes Pontificem non esse judicem, sed tractari ut reum; deinde sive voluissent stare, sive non, decretis Concilii, ne quid potestatis etiam sineretur habere Imperator in refractarios; postea liberum, atque Christianum illud vocarunt concilium, quo decernente, quid credendum, et tenendum esset, tamen in cujusque arbitrio maneret, id credere, et sequi quod vellet; demum dicendo, si Pontifex defugeret legitimam subire cognitionem, metuendum esse, ne respublica, et Ecclesia majoribus objiciatur fluctibus, quid, nisi turbarum omnium causam conjecerunt in Romanum Pontificem? quid aliud, quam præscribere Concilio volebant, ut ipsorum nova dogmata approbentur, illa vero, quæ Sedes Apostolica cum universa Ecclesia Catholica tenet, condemnentur? Protestantibus cessit Imperator in his comitiis quoad causam Religionis, eamque distulit usque ad concilium, cum istud ipsi etiam Protestantes expetivissent, statuitque, nemini quidpiam molestiæ ob Religionem usque ad idem concilium exhibendum esse. Quæ *Pax Norimbergensis* dicta est, quod idem statutum, factum Ratisbonæ, eodem adhuc anno confirmatum Norimbergæ sit.

§. 11.

Paulus III. qui Clementi VII. successit in Pontificatu indicit generale Concilium Tridentum. Colloquium Wormatiense. Comitia Imperii Ratisbonensia. Bellum Smalcaldicum. Lutheri obitus.

Clemens VII. a. 1534. mortem obiit. Ei successit Paulus III. antea dictus Alexander Farnesius Cardinalis. Hic concilium generale, quod Clemens VII. statuit convocare, Mantuam indixit a. 1537. Ne autem hic ageretur, Fridericus Dux Mantuæ deprecatus est, dicens, sibi non suppetere sufficiens præsidium, quod præstare possit concilio. Vicentiam, quæ in ditione Venetorum urbs fuit, cum deinde Pontifex designasset, idem et hi fecerunt, causam afferentes, ne Turcæ adversum eos commoverentur, putantes, a se quidpiam hostilis consilii contra eos agitari. Tandem deventum Tridentum est. Attamen concilium agi cœpit nonnisi a. 1545. die 13. Decemb. aliis et aliis causis intervenientibus, et moram afferentibus. Interea in Germania nullo modo pax illa exstitit, quæ fuit Norimbergæ concessa Protestantibus: qui illas inducias usque ad Concilium non servaverunt, quin etiam declaraverant, se cum Concilio, quod erat indictum, nihil velle habere, neque venturos ad hoc, utpote in quo Pontifex, et Episcopi futuri essent judices: etiam obfirmaverunt se, ne auxilia darent Ferdinando Regi Hungariæ, jam creato etiam Germaniæ Regi, Carolo adhuc vivente, contra Turcas. Carolus Imperator novis etiam beneficiis studebat eos demulcere concedendo; ut quæ bona Ecclesistica invasissent, et occupassent, sibi haberent, et possi-

de-

derent, quin etiam iisdem tribuit, ut in Camera Imperiali, quod erat supremum Imperii tribunal ad causas dijudicandas, Spiræ constitutum, æquali jure cum Catholicis inter judices adlegerentur. Utrumque valde gratum accidit Protestantibus. Sed abalienationem bonorum Ecclesiæ non probabant Catholici, etiam ea de causa, quod sitis horum in Protestantibus eo magis accensa esset: Pontifex vero Romanus hanc datis literis ad Imperatorem valere noluit. Adversus quod scriptum Summi Pontificis conviciosum admodum libellum edidit Lutherus, cum hoc titulo: *Adversus Papatum Romæ a Satana fundatum*, imaginemque ei præfixit, qua Pontifex exhibebatur sedens in excelso solio cum asininis auribus, assistentibus ei dæmonibus sub variis, et monstrosissimis formis, quorum alius tiaram coeno plenam ejus capiti imponeret, alius funem tenderet, alius ignem accenderet, alii denique invaderent, et manus ei injicerent tracturi ad inferos. *Coclaeus ad a.* 1545. *Sleidanus lib.* 16. In ipso etiam Archiepiscopatu Coloniensi, idque concedente ipso Archiepiscopo Hermanno per Melanchtonem, aliosque sectatores Lutheri propagatus Lutheranismus est, cum ei persvasissent, sibi nihil contra Religionem esse, et solummodo plebem ab ejus abusibus studere avocare, atque ille credulus, nec bene doctus fidem ipsis adhibuisset: quin hunç ipsum etiam in sua castra traduxerunt. A Pontifice idcirco ex Episcopatu dejectus, et excommunicatus est substituto in ejus locum Adolpho Schvarzenburgico, qui seductos ad Religionem Catholicam revocavit. Hermannus in sua obstinatione perstitit, et in ea senex octogenarius decessit. *Sleidanus lib.* 17.

Anno 1541. rursus Carolus Imperator comitia Imperii Ratisbonæ instituit ad revocandos in concordiam cum Ecclesia Protestantes. His comitiis præmissum erat colloquium Wormatiæ inter Catholicos et Protestantes, quod controversiis discussis Imperator speraret, facilius processuram concordiam. Ex Catholicis ad conferendum erant designati Eckius, Gropperus, et Julius Pflug; ex Protestantibus Melanchton, Bucerus, et Joannes Pistorius. In quibusdam Protestantes assensum Catholicis dederunt velut levioris momenti a se habitis, in ceteris, uti de Ecclesia, ejusque potestate, de Eucharistiæ Sacramento, de Satisfactione, de Sacramento Ordinis, de Missa, de Sanctis etc. assensum dare noluerunt. Re ad Comitia Ratisbonensia deducta; cum nihil spei de consensione Protestantium cum Catholicis relictum fuisset, agi cœptum est de illorum tolerantia ea ratione, ut quamvis in omnibus capitibus fidei cum Ecclesia Catholica non convenirent, tamen cum his concordia, et conjunctio in Religione fieret. Qua de re monitus Romanus Pontifex per literas Gasp. Contareni legati sui ad eadem comitia, negavit hoc posse fieri: *Quia cum fides indivisibilis sit, non partem illius, sed totam recipere debet, qui inter Christianos optat adscribi, ut unum cum Catholica Ecclesia corpus efficiat.* Apud Raynald. ad a. 1541. num. 22. Augurabantur Principes Catholici, nec id vanum, et inane fuit, eo processuros Protestantes, ut suam rem etiam armis agant, utpote qui jam foedus etiam hunc in finem inter se Smalcaldæ fecissent. Itaque et ipsi foedus inter se iniverunt in defensionem, si quid tentatum esset a Protestantibus. Hoc fœdere comprehendebantur non solum Carolus Imp. Ferdinandus Rex ejus frater ceterique

Catholici Principes Germaniæ, verum etiam huic se adjunxit Romanus Pontifex. *Raynaldus ex Ms. Vat. Angeli Massarelli.*

Cum anno 1545. jam incepisset Concilium Tridentinum, tum vero Protestantes multo adhuc violentius egerunt. Dum ad hoc tempus Carolus Imp. semper Protestantibus cessisset, attamen Concilium generale præstituisset, quod finem dare deberet dissensionibus, et turbis de Religione, prævidissent autem suas per Concilium confixum iri sententias, ipsi prævenire Imperatorem et Catholicos statuerunt, jamque aperte bellum appararunt. Adhuc vero etiam nunc Imperator, lenibus remediis volens uti, Ratisbonam rursus a. 1546. Comitia Imperii indixit. Principes Protestantes alii contempserunt venire, alii cum venissent, discesserunt. At vero Carolus Imperator edictum ex his comitiis fecit, quo Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ (hic nepos fuit illius Friderici, primi fautoris Lutheri, ex fratre Joanne, cujus jam etiam facta mentio est) et Philippum Landgravium Hassiæ proscripsit, Protestantium duces, et signiferos, quod sibi dissidia in Imperio componere conanti semper obstitissent, tyrannidem exercuissent in alios Imperii ordines, armis alios invasissent, nec tantum Episcopos, et alios Ecclesiasticos, verum etiam seculares Principes, bonis spoliassent Religionis prætextu, Ratisbonensia comitia contempsissent, neque sibi paruissent, conventus ad conjurationes adversum se instituissent, exteras nationes contra se excitassent, polliciti se eas omnibus viribus adjuturos, et quo pacto operam dedissent, ut Germaniam Turcæ immanissimo hosti exponerent: quæque omnia nulla alia ratione fecerint, quam ut se auctorita-

te, Imperiali corona, sceptroque spoliarent, ac una cum Religione, pacem, justitiam et libertatem opprimerent. *Exstat hoc edictum apud Raynald. ad a.* 1546. *num.* 109. Erat enim iisdem Protestantibus deliberatum, si Carolum devicissent, abrogato ei Imperio, alium e sua secta evehere ad Imperii Germanici dignitatem, et Catholicos omnes vel cogere ad suam sectam, vel expellere e tota Germania. Reges, quos incitabant adversus Carolum Imp. erat Gallus, Anglus, et Danus. Galliæ Rex Franciscus favebat Protestantibus, quod cum tamen occultum vellet esse, faciebat, non milite, sed tantum ducentis millibus aureorum missis subsidio. Christiernus III. Rex Daniæ jam Lutheranismo recepto in Daniam, et a se quoque suscepto, aperte ipsis etiam armis suppetias tulit. Henricus VIII. Rex Angliæ, quamvis et ipse jam defecisset a Religione, nihil auxilii præbuit. Jam conflictabatur cum morbis, nec multo post decessit. Sed Bohemi se conjunxerunt cum Protestantibus in Germania.

Nec tamen hoc edictum ante promulgavit Carolus Imp. quam Protestantes suas ad campum exposuissent copias. Habebant in exercitu suo ad nonaginta peditum, decem millia equitum. Imperatoris exercitus, quem subito contrahere poterat, constabat nonnisi quadraginta, et quinque millibus: e quibus erant millia peditum duodecim, et equites mille missi ex Italia, a Romano Pontifice maximam partem. Initium belli Protestantes fecerunt Fiessam oppidum in ditione Episcopi Augustani adgrediendo, sibique subjiciendo cum locis pluribus aliis duce Sebastiano Scertelo. Quod cum factum esset, Ferdinandus Dux Albæ, qui Cæsareis præerat copiis, et ipse adgressus est Scertelum, et in fugam

compulit: qui se ad reliquum exercitum recepit. Id contigit sub initium Julii a. 1546. Eodem tempore, nihil ultra morandum ratus, Cæsar illud edictum suum in Electorem Saxoniæ, et Landgravium Hassiæ publicavit; suisque bonis, utpote feudalibus, et quæ beneficio Imperatorum possiderent, excidisse declaravit, in Mauritiumque, Joannis Friderici patruelem transtulit Electoratum, quem etiam misit ad occupandam Saxoniam. Fuit hoc admodum provide factum. Nam dum Fridericus cum parte copiarum ivisset ad tutandam, conservandamque Saxoniam, reliquus exercitus imminutus, atque attenuatus est. Saxo, et Hassus ejus temeritatis fuerunt, ut quempiam e suis cum literis, hastæ affixis, tubicine præeunte, ad Imperatorem miserint, bellumque ei denunciaverint, nec alio illum dignati nomine, quam Caroli a Gandava. Ibi in Belgio fuit natus. Signis quater collatis, semper perduelles victi sunt, denumque ex ipsis castris in fugam compulsi. Cumque se Saxo in Saxoniam retraxisset, ut eam tueretur, quemadmodum jam dictum est, Hassus quoqe idem fecerat, quoad Hassiam. Alii vero Principes Protestantes et civitates, non bene sperantes de exitu belli, ad obsequium Cæsaris redierunt. Saxoni res prospere inceperant ire in Saxonia, recuperaveratque ea, quæ jam in potestatem Mauritii concesserant. Igitur cum adversus hunc se Cæsar vertisset, et subito in eum irruisset, priusquam vel ordinare aciem potuisset, omnis ejus exercitus partim cæsus partim fuga dissipatus est, atque ipse etiam, vulnere accepto in facie, captus, et ad Imperatorem deductus est. Quem sic affatus est: *Quando ita fortuna tulit, ecce me tibi clementissime Cæsar sisto.* Ille vero, *Ergone ego tibi nunc Cæsar, quem nuper verbis,*

et

et scriptis Carolum Gandavensem, se pro Cæsare gerentem, vocabas? Cumque se ille commendasset, ut captivum pro dignitate haberet, respondit, se se illum pro merito habiturum. Hassus rebus desperatis ad Cæsarem venit, et genibus flexis veniam petiit, eamque obtinuit, sed sub duris admodum conditionibus. In Saxonem autem mortis sententiam tulerat; per Joachimum vero Brandeburgicum Electorem et iste remissionem supplicii obtinuit. Die 24. Aprilis a. 1547. pugnatum cum Saxone fuit, et reportata victoria. Domita Germania, etiam Bohemi rebelles ad officium erga Ferdinandum Regem suum reversi sunt.

Lutherus ex itinere illo Ratisbonensi, de quo dictum est supra, reversus, Islebium concesserat, ubi ante inceptum bellum Smalcaldicum decessit. De quo sic scriptum est a Coclæo: *Islebii die* 17. *Febr.* (a. 1546.) *peracta in publico cum aliis cœna, eaque largiter sumpta, et facetiis hilariter extracta, eadem nocte interiit.* Quem etsi Islebienses, utpote civem suum apud se tumulatum habere vellent; tamen jubente Electore Saxoniæ delatus est Wittembergam ad tumulum. Funus prosecuta est Catharina, quam sibi copulaverat, et tres ex hac suscepti ejus filii, Joannes, Martinus, et Paulus. Famam suo nomini ingentem comparavit Lutherus, atque in summa gloria fuit apud eos, qui secuti ejus placita sunt, habeturque etiam nunc pro Reformationis, ut eam illius sectatores vocant, auctore, et parente. Sectam suam brevi tempore valde propagavit: nec tantum per Germaniam, verum etiam se adhuc vivente per Daniam, et Sveciam: eademque irrepserat in Galliam: post illius vero obitum penetravit in Poloniam, ipsamque Hungariam, pluraque alia regna.

Nec

Nec dubitaverat idcirco ejus propagationem, velut prodigiosam, ipse Lutherus prædicare. Verum simili prodigio propagatus etiam est Mahometanismus, atque multo magis.

Nihil dicam quoad hoc a me, verum proferam nonnisi Protestantium, atque ipsius Lutheri testimonia. Martinus Bucerus, qui inter præcipuos Lutheri adjutores fuit, lib. 1. de Regno Christi, cap. 4. *Maxima*, ait, *nostrorum pars visa est id tantum in Evangelio* (intelligitur Evangelium, quale Lutherus prædicavit) *petiisse, ut jugum qualiscunque disciplinæ, poenitentiæ, et Religionis universæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abjicerent.* Nec seipsum videtur Bucerus excepisse ex eorum numero, qui hoc impulsu Lutheri Evangelium amplexus sit. Erat enim ex Ordine Dominicanorum, et transfuga factus ad castra Lutheri, tres duxerat uxores, e quarum prima, quæ virgo Deo dicata erat, tredecim suscepit proles: deinde autem in partes Calvini transiit, vel potius ipse etiam sibi formavit, qualem voluit esse Religionem. Godefridus Arnoldus æque Protestantium Theologus in libro, cui titulum dedit: Salomon oder Regenten Spiegel cap. 7. *Multos*, ait, *ad religionem Protestanticam attraxerat novitas, ut avitæ fidei valedicerent; magnates, ut plurimum, allexit bonorum Ecclesiasticorum opima præda: potissima pars privatis commodis invitabatur reformationis titulo, et veritatis amore pallium commodante.* Hac ratione Lutheranismus etiam pervenit in Sveciam circa a. 1520. quemadmodum docet David Chytræus *in Chronico Saxon.* Quidam Olaus Wittemberga, ubi Theologiæ studuit, jam per Lutherum transformatæ, in Sveciam redux, Gustavo I. Regi Sveciæ sollicito,

cito, quo pacto ærarium exhaustum instaurare posset, suggessit, Religionem per Lutherum reformatam ut susciperet, et ad regnum reciperet; sic enim bona conscientia posse bona Episcopatuum, et Abbatiarum ad se trahere: vimque habuit hocce apud Gustavum consilium. Quid multa? Ipse Lutherus testatur, quid quæsiverint ii, qui secuti eum sunt, et quo prolapsi per ejus Evangelium sint. *Nihil*, inquit Tom. 3. Oper. in Psal. 2. *ex nostra doctrina natum est boni. Nam statim postquam Evangelium nostrum insonuit, secuta est seditio horribilis agricolarum* (Anabaptistæ hi fuerant, de quibus adhuc dicetur) *orta sunt dissidia, et sectæ, dissoluta disciplina, ac quasi effractis legum repagulis sumpta licentia omnes coeperunt uti, sicut profecto verum est. Major enim licentia omnium vitiorum nunc est, quam fuit superioribus temporibus, cum metu vulgus coerceretur: quod nunc tanquam effrœnis equus, pro libidine agit omnia. Nam Ecclesiastica vincula contemnit, quibus prius sub Papatu tenebatur, et abutitur quoque civilis magistratus negligentia. Hæc incommoda omnia, quæ neutiquam levia sunt, adversarii nostræ dictrinæ, seu Evangelio imputant.* Idem Tom. 5. Enarrat. in 1. Corinth. cap. 15. de sectatoribus suis: *Futuræ vitæ rationem habent nullam, sed sicut credunt, ita vivunt: sunt, et manent sues, et sicut sues moriuntur.* Protestantes venditant, per reformationem suam, cujus auctor fuit Lutherus, esse instaurata Sacra, et Religionem ad puritatem revocatam. Eodem vero auctore Luthero Religionis instituta apud se convulserunt omnia, eliminarunt dogmata Religionis, quæ semper credita sunt ab universa Ecclesia, ad majorem vitiorum omnium licentiam devenerunt, ut ipse fassus est Lutherus,

quam

quam hæc fuerit superioribus temporibus. Hæc reformatio, qua Protestantes gloriantur, fuitne ipsi Luthero gloriosa?

§. 12.

De Sacramentariis, et Anabaptistis.

Præter Andream Carlostadium, Martinum Bucerum, quorum jam facta mentio est, plures alii fuerunt, qui æmulati Lutherum sint in facienda reformatione: qui vero quamvis initio Lutherum habuissent magistrum suum, atque ducem, tamen ita brevi profecerant, ut non contenti eo, quod acceperunt a Luthero, quisque eorum suis etiam inventis provexerit reformationem. Nam, ut jam vidimus, Carlostadius ex primis Lutheri asseclis, statim contendere cum hoc cœpit de Eucharistia; et cum Lutherus vellet credi, Christum in hac vere esse præsentem, ille nonnisi memoriam, et nudam commemorationem Christi in Eucharistia posuerit. Unde inter eos, ante conjunctissimos, ejusmodi dissensio, et tam acerbum exarsit odium, ut Lutherus Carlostadium Wittemberga expulerit; hic vero, ut vicem redderet, cum Lutherus Orlamundam, quæ civitas Thuringiæ est, a Friderico Electore Saxoniæ missus ad tumultuantes Anabaptistas componendos venisset, fecerit, ut eum Orlamundani lapidum atque sordium conjectu, hisque totum conspersum, et coinquinatum in fugam compulerint. *Coclaeus in Act. et Script. Luth.* Carlostadius etiam auctor Protestantibus erat in confringendis, et abolendis sacris imaginibus. Lutherum quoque deseruerant in doctrina de Eucharistia Zvinglius, et Oecolampa-

conculcabant sacras Reliquias, atque ipsum etiam Venerabile Sacramentum. Joannes Sartor, qui quasi regiam dignitatem gerebat inter Anabaptistas, legem tulit, quasi Divino spiritu impulsus, de polygamia, atque uxores sedecim ipse sibi copulavit. Sed et ipse Lutherus concessit Philippo Landgravio Hassiæ, ut duas posset habere uxores. Qua de re exstat epistola Philippi ad Lutherum, qua hoc sibi ab eo concedi petebat, et hujus ad illum, qua ei facultatem hanc tribuit.

Habuerunt Anabaptistæ multa alia non tantum ab orthodoxa fide absona, verum etiam probis moribus contraria, ut vaga libido, et promiscuus concubitus, nec tamen eadem omnia omnibus, utpote ab invicem divisi in permultas partes. Fingebant se a Deo accipere per revelationem ea, quæ crederent, et profiterentur, primusque Storkius a Deo per Michaelem Archangelum jactabat, se sua mysteria habere, cumque omnes se numine afflatos haberent, re ipsa fanatici essent, atque alii alia concepissent; sequi debebat, ut neque opinionibus secum invicem consentirent. Nescio, annon iste afflatus divinus, quo se præditos jactabant Anabaptistæ, venerit ab eo Spiritu privato, quem sibi etiam Protestantes assumpserant. Attamen Storkio Wittembergæ, ubi a. 1522. omnium primo merces suas vendere cœperat, ipse etiam Lutherus se acerrime opposuit: cumque ille ex Dei revalatione sua mysteria se habere affirmasset, postulabat ab eo Lutherus, ut non tantum verbis ista jactaret, sed etiam se prophetam, et a Deo missum per signa, divina virtute edita, et miracula probaret, si fidem vellet apud alios reperire. Videtur Lutherus hanc virtutem patrandi prodigia sibi de se persvasisse. Hoc enim ipsum

sum tentasse in Neseno poeta, familiari suo, quem aquis mersum, et e fluvio Albi mortuum extractum conatus sit, insusurrando verba quædam in aurem, suscitare a morte, eidem Luthero objecit Coclæus *in libro de Sacramentorum gratia* adversus eum edito. Nec tantum Wittemberga, verum brevi e tota Saxonia excedere coactus est Storkius jussu Electoris Saxoniæ, cum apud plebem, et rusticos fidem reperisset se Spiritu Dei agi, et quasi hoc Spiritu docuisset hominum inter se omnium quoad potestatem a natura æqualitatem, nec alterum alteri debere esse subjectum, et omnia, quæ sunt in mundo, esse omnium communia, eamque Dei esse voluntatem, ut se in libertatem, a natura sibi datam, vindicarent, omnibus contrucidatis, qui potestatem exercerent, et bona possiderent.

Non tantum Storkius, et Munzerus primarii hujus sectæ, per seipsos, verum etiam per emissarios suos cito rusticos concitarunt, primo ad invadenda monasteria, et Ecclesiasticorum, aliorumque possessiones habentium, domos, et diripiendas, deinde vero conjurationem fecerunt ad bellum nefarium toti Germaniæ inferendum. Cum tamen tenerentur aliqua conscientia, prius quam erumperent ad hocce bellum, Lutherum consuluerunt, licitumne esset hoc ipsis facere. Is respondit, seditionem a Deo prohibitam esse: deinde vero cum nobiles tyrannidis arguisset in subditos, subjecit, hanc ipsos nec debere velle, nec posse perferre. Quod ejus responsum profecto non valuit ad eos componendos, et ad scelus, quod meditabantur, ac deinde etiam executi sunt, coercendum. Sed et ejusdem Lutheri hæc doctrina fuit jam etiam in libro de Libertate Chri-

stia-

stiana, in quo asseruit, Nullum hominem jus habere constituendæ unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fieret de ejus consensu: hoc enim verè esse, servos hominum fieri, at vero Christianum esse liberum ab omnibus. Anabaptistæ post hoc igne, atque ferro grassari inceperunt ejusmodi furore, ut quemadmodum Joannes Faber Episcopus Viennensis in Austria ejusdem temporis scriptor in libro, cui *Propugnaculi Ecclesiae contra Lutherum* titulum dedit, ita solide confecto, ut propterea *Malleus hæreticorum* vocatus sit, perhibet, istius libertatis fuco, quam quasi Christus per Evangelium Christianis tribuerit, et Lutherus prædicaverit, Anabaptistæ autem cædibus, et sangvine quæsiverint sibi asserere, gravioribus cladibus afflixisse Germaniam, quam si immanissimus Turcarum tyrannus, inimicus ille Crucis, et nominis Christiani crudelissimus, quadringentis hominum millibus stipatus Germaniæ bellum intulisset. Idem observavit Lutherum, ejusque commilitones libertatis, quasi secundum Evangelium Christi præcones, dum sub hoc nomine licentiam carnis prædicassent, numquam S. Pauli, dum de libertate, nobis parta per Christum, loquitur, ista etiam subsequentia verba attulisse: *Tantum ne libertatem in occasionem carnis detis* Gal. 5. v. 13. Periisset tunc funditus Germania per rusticos, immani furore insurgentes in suos dominos, nisi hi vim adhibuissent, atque armis eos oppressissent. Itaque Georgius Catholicus Saxoniæ Princeps vires conjungendo cum Moguntino, et Brandeburgico Electore, Philippo Landgravio Hassiæ et Henrico Duce Brunsvicensi, similiterque alii cum aliis Principibus consociati in omnibus Germaniæ partibus, in quibus seditionem rustici fecerant, arma in hos expediverunt. Non erat diffici-

ficile eos, quamvis magno numero essent, vincere, qui rei militaris ignari, inordinatissimi, procurrentes in aciem, atque telis repulsi, seque conglomerantes ex trepidatione, et metu, non tam pugnam, quam cædem obtulerint instructis Principum exercitibus. Tercentena circiter illorum erant millia, ad centum vero millia in diversis Germaniæ partibus spatio trium mensium ferro consumpta sunt. Thomas Munzerus, et ejus socius Pfeifferus, monachus apostata, capti capite plexi sunt, utpote aliorum duces, et signiferi. Munzerus resipuit, et ritu Catholico expiatus, collum carnifici præbuit, Pfeifferus impœnitens mansit. Anno 1525. hoc actum rusticorum bellum est.

Neque tamen etiam confectum est. Seditio enim rusticorum brevi iterum incepit gliscere, atque se ostendere pluribus in locis. Itaque in Spirensibus Imperii comitiis etiam actum fuit a. 1529, rursusque subsequente in Augustano conventu, atque supplicia gladii, aut ignis, aut alterius etiam generis in eos constituta: eademque ipsis irrogata fuerunt. Michael Sellarius monachus apostata unus ex eorum antesignanis, eam in judicio, quemadmodum Coclæus refert, sententiam accepit, ut a carnifice primum ei lingva exscindatur blasphema, deinde super currum alligato candentibus forcipibus ex carne ejus bis dilacerentur frusta in foro, deinde adhuc quinquies in via sic lanietur, ac tandem in cineres exuratur, aliosque Salisburgi, et Monachii in Bavaria, Viennæ in Austria, Augustæ, et Wormatiæ, pluribus aliis locis igne crematos esse, si in obstinatione sua perstitissent. Storkius ne et ipse in manus incideret magistratuum, ex Silesia in Bavariam

am abiit, ubi reliquum vitæ tempus in magnis ærumnis confecit, Monachii inter inopes, et calamitosos gravissimo morbi genere, justo Dei judicio exstinctus. *Meshovius lib.* 1. *hist. Anabapt.* Nihilominus Anabaptistarum magis adhuc semper crevit audacia, et furor. Erant Zelotæ quidam, ait Ulembergius *in Vita Lutheri cap.* 26. ex ista colluvie, qui se divinitus incitari putabant ad instaurandum Christi regnum, quod extremis temporibus ad summam perfectionem formandum somniabant.

Horum nonnulli Monasterium occuparunt, quæ Westphaliæ civitas est admodum munita, hancque novo Christi regno sedem elegerant, unde velut ex altera Sione missis apostolis evangelium istius regni ad renovandum orbem Christianum in omnes provincias propagare decreverant. Joannes Matthias Harlemiensis opificio pistor, Joannes Bocoldus Leidensis sartor, Bernardus Rothmannus quondam Sacerdos, deinde factus apostata, factionis istius capita erant. Hi cum Monasterii, quæ urbs, ut paulo ante dictum est, Westphaliæ fuit, plebem suis falsis revelationibus seduxissent, et concitassent, seditionem in urbe ejusmodi commoverunt, ut omnes, qui nollent rebaptizari, partim ab his occiderentur, partim ex urbe pellerentur, Ecclesiæ expilarentur, bona civium diriperentur, magistratus eorum arbitrio mutarentur. Joannes Matthias, qui se prophetam Dei Patris dicebat, quemadmodum etiam ceterorum, qui in ejus factione erant, alius se Moysem, alius Henochum, alius Eliam se ferebat, aut quemdam alium ex Prophetis, obsessa urbe ab Episcopo Principe Monasteriensi, dum eruptionem fecisset, occisus est. In cujus locum cum suc-

successisset Joannes Bocoldus et a quodam Anabaptista proclamatus fuisset Rex, atque a multitudine susceptus; is se *Regem justitiæ hujus mundi* vocavit, urbi nomen Sionis, et Jerusalem indidit: atque hinc imperium propagaturus, Apostolos viginti misit, in omnes mundi partes cum potestate patrandi miracula. Qui vero dispersi, alii in aliis locis, in quae venerant, capti, et supplicio affecti sunt. Erat urbs arcta obsidione cincta, Episcopo Monasteriensi suppetias ferentibus aliis etiam Principibus Germaniæ. Hinc fames ingens presserat urbem. Una uxorum Bocoldi Regis, habebat enim uxores sedecim, quemadmodum jam supra demonstratum est, cum dixisset, sibi iniquum videri, ut, cum Bocoldus domum suam haberet annona refertissimam, tamen alii in urbe conficerentur inedia, in forum produxit, et sua manu obtruncavit, ac deinde cum ceteris uxoribus, nec non aliorum turba, quamvis fame confectorum, choros circum cadaver celebravit. Cum quidam ex iis, qui clausi erant in urbe, militibus, qui eam obsidebant, aditum dedisset reserata porta, iique irrupissent, urbs capta, et Anabaptistarum regnum eversum est, eorumque rex circumductus primum per Germaniam, quod eum omnes videre cupiebant, deinde caudæ equi alligatus, et raptatus, postea horæ spatio cum primoribus sui regni candentibus forcipibus excarnificatus, demum gladio in pectus adacto confossus est.

Attamen hominum istorum audacia solummodo compressa rursum est, non secta exstincta: imo quæ in alias etiam regiones immigraverit, præcipue in Belgium et Angliam, ubi unam Classem Independentium etiam nunc constituunt, quin

in Hungariam quoque irrepserunt: de quibus, et de Sacramentariis, in Comitiis a. 1545. Posonii habitis, constitutum fuisse legitur, si qui adhuc superessent in regno, hos procul expellendos esse ex omnibus locis, nec amplius quemquam illorum intra fines regni recipiendum. Iidem divisi in plures, quam triginta sectas sunt, quæ denominantur vel ab earum auctoribus, vel locis, in quibus sibi nidos struxerunt, vel etiam ab eo, quod præcipue profitentur, et agunt ex professione suæ sectæ, ut exempli gratia *Mennonitae*, a quodam Mennone Frisio, suam appellationem ducentes, *Adamitæ*, quod nuditatem Adami assectarentur, dum in statu fuisset innocentiae, pars *Abecedarii*, qui gnaros legendi, et scribendi execrabantur, et damnabant, *Enthusiastae*, qui rejecta omni Scriptura sacra nonnisi suis revelationibus inhærendum vellent esse. Et sic porro alii aliter.

Præter has autem, Sacramentariorum, et quæ Anabaptistarum generali nomine continentur, in eodem Lutheranismo enatæ sunt aliæ adhuc sectæ. Joannes Agricola Islebii natus, quæ patria etiam Lutheri fuit, hujusque discipulus, sectæ inter Lutheranos auctor fuit, quæ *Antinomorum* vocatur, id est Legi adversantium. Cum pro fundamento sibi posuisset, leges esse inutiles, hinc velut consectarium affirmabat, et docebat, nec actiones, quamvis lege inhibitas, obesse homini ad salutem, nec bonas, et legibus consentaneas prodesse. Itaque homicidium, adulterium, ebrietatem, et cujuscumque generis facinora, legibus prohibita, non esse peccata, si ab iis, qui fidem in Christum habent, committerentur. Sed neque Lutherus operum, sive bonorum, sive maloru

ra-

tationem ullam habuit, cujus hoc fuit: *Non ille justus est, qui multum operatur, sed qui sine opere multum credit in Christum.* Tom. 1. Oper. Luth. edit. Wittemb. fol. 34. Sed neque alii ejus sectatores volunt, bona opera esse necessaria ad salutem æternam obtinendam, solique fidei hanc tribuunt. Attamen non negant, quemadmodum Antinomi, ea, quæ legibus vetantur, esse peccata, sed dicunt ista ei, qui credit in Christum, atque in hoc fiduciam suam collocat, non imputari.

§. 13.

De aliis sectis, quae ex Lutheranismo pullularunt.

Dum a. 1548. libellus *Interim* fuisset editus a Carolo V. Imp. in comitiis Imperii Augustanis, de quo adhuc dicetur, adhibitis ad hoc negotium Theologis non tantum Catholicis, verum etiam Protestantibus, e quorum numero etiam Joannes Agricola fuit, sed nec iste libellus omnibus Protestantibus placuisset, et quoad hunc eorum sententiæ concordes non fuissent, exortæ sunt apud eos rursus sectæ *Cæsareorum*, qui libello *Interim* se adhærere profitebantur, *Lipsicorum* a Lipsia Misniæ sic nuncupatorum, qui libellum Interim non aliter, quam a se transformatum eo modo, quo ipsi volebant, receperunt; *Interimistarum*, qui cum Lipsicis quadam ex parte consenserunt, quadam ab his discreparunt. Erant vero Lutherani, etiam alii qui contenderent, placitis Lutheri esse omnimode adhærendum, atque in nullo ab his recedendum; alii, qui quædam ex

institutis Ecclesiæ Catholicæ, quæ Lutherus abjecerat, ut sunt jejunium, et abstinentia certis diebus a carnibus reliquerunt cujusque arbitrio. Hi *Adiaphoristæ*, illi *Rigidi* sunt dicti. Matthias Flacius Illyricus, cum se Adiaphoristis vehementer opposuisset, habebatur et ipse inter Rigidos; ulterius vero procedens in cudendis novis dogmatibus, asseruit peccatum, quod ab Adamo transfluit in omnes ejus posteros, esse ipsam animæ rationalis substantiam: quod ipsi Protestantes alii ita aversabantur, ut velut hæreticum e suo coetu ejecerint. Est omnino impium, atque perversum hoc asserere. Nam cum Deus sit creator, et factor totius hominis, adeoque etiam animæ, peccati auctor, et effector ipse esset Deus. Non eo minus nactus sectatores est, qui dicti *Substantialistæ* sunt. Illorum, qui historiam Ecclesiasticam sub nomine Centuriatorum Magdeburgensium voluminibus tredecim ediderunt, plures enim erant consociati ad hoc opus, Flacius præcipuus est. De quibus Centuriatoribus jam etiam in Prolegomenis dictum est. Alia rursus enata inter Protestantes secta est, dicta *Synergistarum* auctore Victorino Strigelio Professore Jenensi, qui asserebat, non tantum Spiritum sanctum, et verba, quibus confertur Baptismus, sed ipsius etiam hominis, qui ad Baptismum accedit, voluntatem esse causam justificationis. Itaque Deum, et hominem composuit in opere nostræ justificationis. Andreas Osiander (proprium illius nomen fuit Hosenenderle, sed mutavit, ut moris tunc fuit aliis etiam Protestantibus) ex Brandeburgico Marchionatu oriundus, et Franciscus Stancarus Mantuanus pariter conditores novarum sectarum inter Lutheranos fuerant. Osiandri præcipuus error fuit, hominem non fieri justum per fidem,

ve-

verum ea justitia, qua Deus justus, et quæ ipse Deus est, quæque infundatur homini ita, ut is non gratia, sed natura evadat justus. Quod si esset, homo in Deum verteretur. Itaque hunc ipsi etiam Protestantes, quemadmodum perhibet Hosius Cardinalis *lib.* 1. *de Hæres. nostri temp.* hæreticum, antichristum, Judæum, nigrum diabolum, draconem, hominem nefarium, consceleratum, hostem Christi vocaverunt, insuper confinxerunt, ipsum habere duos diabolos, qui in forma canum, quos tamen non cuique liceat videre, illum ubique comitentur. Stancarus Osiandrum et ipse insectatus, docuit, Christum esse Redemptorem nostrum virtute solius humanæ suæ naturæ, nihil conferente personæ ipsius divinitate: dicebat, sed falso hanc esse doctrinam etiam S. Thomæ Aquinatis, et Theologorum Scholasticorum, quorum auctoritatem ita dilaudavit, ut in Apologia sua contra Tigurinos hoc ab eo dictum sit: *Plus valet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, et quingenti Calvini: qui omnes, si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ.* Henricus Bullingerus fuit Zvinglianus, et Zvinglio successerat in asserenda ejus doctrina: hujus ejusdem doctrinæ fuit etiam Petrus Martyr, alio proprio nomine Vermilius: quem inter præstantiores suos Theologos numerant sectatores Helveticæ Confessionis. Fuit Canonicus Regularis S. Augustini Italus, Florentiæ natus: qui postquam factus erat apostata, uxoremque duxisset; primum ex Italia, deinde ex Anglia, quo erat vocatus, sub Maria Regina fugerat. Ab illa fuga ex Italia videtur sibi nomen Martyris adscivisse. Erant quoque inter Protestantes *Majo-*

ri-

ristæ, et *Ambsdorfiani*, illi a Georgio Major, hi a Nicolao Ambsdorfio nomen trahentes, planeque sibi oppositi in sententia de bonis operibus: quorum eam necessitatem esse prædicabant Majoristæ, ut absque his ne infantes quidem salvi fieri possint, quæ vero e contrario Ambsdorfiani non tantum inutilia, verum etiam noxia dicebant. Fuerunt quoque inter Protestantes, qui *Ubiquistæ*, et *Ubiquitarii* inde sunt appellati, quod corpus Christi ponerent esse ubique. Istud adstruxerunt ideo, quod hoc conjunctum sit personæ Christi; cumque persona Christi divina sit ubique, corpus quoque illius æque esse in omni loco. Ipse vero Christus dixit *Joan.* 11. *v.* 15. iturus Bethaniam ad Lazarum suscitandum a morte: *Non eram ibi*: *sed eamus ad eum*, quamvis certe, ut Deus, cælum et terram implens, ibi fuerit. Hujus sententiæ auctor vulgo habetur Joannes Brentius ex Canonico Wittembergensi factus assecla Lutheri, qui idcirco etiam verba Christi: *Hoc est corpus meum* asseruerit esse verba dispensationis significantia distributionem corporis, et sangvinis, jam ante præsentis. Brentio in hujus sententiæ excogitatione adjunguntur Jacobus Andreas Schmidlinus, sic cognominatus, quod patre fabro natus esset, et Andreas Musculus. Non videtur autem hoc inventum ipsi Luthero detrahendum, cujus verba sunt in libro, quem confecit adversus Sacramentarios, Zvinglium, et Oecolampadium: *Super hunc sermonem alios forsan schwärmeros* (Germanicum est vocabulum, quod significat fanaticos) *acquiram, qui me carpant, et dicant: Si Christi corpus in omni loco est, ergo illud devorabo, et potabo in omnibus tabernis ex omnibus scutellis, vitris, et cantharis, et sic nulla erit differentia inter meam, et Domi-*

ni

ni mensam. Hui, quam egregie eum devorabimus! Tam turpes enim porci sumus nos infelices, ac perditi Germani majori ex parte, ut neque disciplinam, neque rationem habeamus, et quando de Deo quidquam audimus, reputamus perinde, ac si essent histrionum fabulæ. Non esset finis, si quis omnes differentias, et varietates sententiarum, quæ jam sub Luthero ex ejus doctrina pullularunt, vellet referre: quando nemo non illius asseclarum ipse etiam vellet splendere, vel novo invento, vel ejus, quod jam ab Luthero repertum fuit, mutatione in aliam quasi meliorem formam. Nec aliud exspectari potuit, postquam repudiata Ecclesiæ auctoritate reformatio, quam sibi, signifero Luthero, Protestantes fecerunt, libertatem cuique dat, judicio suo decernendi, quid sit credendum, et tenendum. Hoc est, ipsum Reformationis magnum meritum, quod istud sibi principium statuerint: *In rebus Religionis, quod alius alium possit docere, sed nullus alteri audeat quidquam præscribere.* Sunt verba G. I. Plank Doct. et Profess. Theologiæ inter Protestantes clari admodum nominis in libro quem edidit, dum Protestantes a. 1817. die 31. Octob. tertium jubilæum suæ reformationis celebrarent.

§. 14.

De Calvino. Quid huic cum Luthero commune, aut ultra hoc fuerit. Calviniani cum Zvinglianis se conjungunt.

Inter eos, qui sibi novas formas quoad Religionem hoc tempore fecerunt, quorum erant, quemadmodum vidimus, permulti, post Lutherum, cui

cui hujus rei primatum concedendum esse, vix aliquis ambiget, Joannes Calvinus ceteris omnibus venit anteponendus. Novioduni in Gallia Belgica a. 1509. natus est patre Gerardo Chauvino, sed quod ipse quoad se in nomen Calvini, cujus nominis apud Romanos exstitit familia, transformavit. Dum Parisiis literarum studiis operam dedisset, jam in Galliam irrepserant placita Lutheri ex Germania, et Zvinglii ex Helvetia per quosdam ab his latenter missos, qui eorum errores spargerent. In hos statim, decreto Senatus Regii, inquisitum fuit, suntque amandati: eos vero Margarita Francisci I. Regis soror, et Regina Navarræ, novitatibus de Religione capta, ad se recepit; quin ipsum etiam Regem inducere conata est, ut his hominibus bene vellet esse affectus; cumque illud, quod a Zvingliano audiverat de Christi corpore in Eucharistia non vero, sed sola ejus figura, quod ex S. Pauli verbis: *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* Col. 3. v. 1. volebat evincere, ei memorasset, Rex, cui hoc videretur non contemnendum argumentum, hunc eumdem Zvinglianum ad se accersivit, ut de hoc disserentem coram audiret. Colloquio affuit Franciscus Tournonius Cardinalis; qui cum Zvinglianum argutulum confutasset, is palinodiam cecinit, ne quid sibi gravius ab Rege contingeret. Neque enim in ista argumentatione ex illis verbis S. Pauli ad inficiandum verum corpus Christi in Eucharistia aliud est, quam quod mulierculas, et imperitos possit decipere, nihil vero solidi habeat? Nam ideone, quia in precatione, quam Christus nobis tradidit, est: *Pater noster, qui es in cælis*, Deus solummodo in cælo est, non vero etiam in terra, et ubique idque per suam etiam substantiam?

Bre-

Brevi tamen Lutherani, et Zvingliani rursus irrependi in Galliam nacti sunt occasionem. Idem Franciscus Rex Universitatem Parisiensem Professorum cathedris ampliaturus, tam ad latinas politiores literas, quam etiam ad lingvam Græcam, et Hebraicam docendos viros idoneos invitaverat etiam ex exteris provinciis. Obtulerant se autem etiam Lutherani, et Zvingliani, occultantes, cujus religionis essent, et suscepti sunt. Hi vero, cum alios, tum ipsum etiam Calvinum suis sententiis irretiverunt, eoque hunc proniorem habuerunt, quod jam Avarici Biturigum, ubi Jurisprudentiæ studuerat, a Melchiore Wolmar Germano principiis Protestantium erat imbutus. Affigebant secreto, et noctu in publicis locis, atque in ipsis etiam Regii palatii foribus schedas adversus Missæ sacrificium, et Christi corpus in Eucharistia, verbisque petulantissimis incessebant Sacerdotes, et Episcopos, ipsumque etiam Regem. Qui actus in iram sex ex illis ad rogum condemnavit: pariter in reliquos, quibus suam adsperserant doctrinam, erat severe inquisitum. Quare Calvinus quoque Parisiis se subduxit, et Basileam se contulit, sed inde quoque e collegio *Forteti*, in quo degebat, sui comprehensionem timens ope lineorum stragulorum e fenestra noctu se demisit, et Engolismum urbem Aquitaniæ fugit. Principes Germaniæ Protestantes, quibus in suscepto bello contra Carolum V. Imp. conjunctus erat Franciscus, pecuniis etiam suppeditatis, graviter tulerunt supplicium quod erat Parisiis irrogatum Protestantibus. Franciscus Rex ipsos placavit, dicendo, Anabaptistas fuisse, et ea de causa punitos esse, quod falsas revelationes suas venditassent, magistratuum potestatem contempsissent, atque seditionis in populo semina sparsissent.

Tali

Tali modo Lutherani, et Zvingliani tam Germani, quam Galli quibus suam doctrinam jam afflaverant, eo majorem confidentiam sibi sumpserunt merces suas in Gallia exponendi, non verentes severitatem Regiam. Itaque Calvinus libros quatuor *Institutionum Christianæ Religionis*, quo eos nomine insigniverat, cum Engolismi concepisset, Basileæ, quo post varia itinera sua reversus erat, a. 1533. edidit, ipsique Francisco Regi Galliæ dedicavit. Ex Oecolampadio, Melanchtone, pluribusque aliis istius generis auctoribus rem suam collegerat, et desumpserat, nec absque verborum etiam lenocinio, excultus bene lingva latina, et doctus etiam Græcæ, atque in Theologicis quoque scientiis versatus, utpote Clero adscriptus, cui pater jam etiam duo benefic Ecclesiastica comparaverat: sed quæ ipse, ad al transferens animum, vendidit. Perfecto Institutionum suarum opere Ferrariam ad Renatam Ludovici XII. Regis Gallorum filiam, Herculis Ducis Ferrariensis conjugem, ejus invitatu, venit jam Lutheri doctrina initiatam, cupidam autem etiam Calvini audiendi, ut decernere posset, an biens erudita, ipsa etiam Theologia, haberi, non tantum utrius illorum præstantior esset doctrina verum etiam ad statuendum suo judicio de ipsa Religione, cujusmodi deberet esse. Hanc Calvinus facile in suam partem pertraxit. Dicebat Lutherum cœpisse quidem, et adgressum esse reformationem, sed processisse in hac admodum timide; Zvinglium jam ulterius progressum esse necdum tamen illam usque ad perfectum perduxisse; Melanchtonem vero cum voluisset Lutheranos, et Zvinglianos cum Catholicis reconciliare tamen reliquisse Episcopos, a quibus labes, et corruptio Religionis processerit, et quorum auc-

cto-

ctoritas non alia sit quam originis humanæ: suum vero judicium esse, ad perfectam reformationem obtinendam, ab Luthero esse sumendum, fidem solam esse, per quam redemptionis beneficium et salutem assequamur; cum Zvinglio autem tenendum, Christi verum corpus non esse in Eucharistia. Zvinglius aemulatus Lutherum, in hoc tantum capite ab eo discesserat, Calvinus ex parte Lutherum, ex parte Zvinglium secutus est: deinde tam ipse, quam ejus sectatores, quemadmodum adhuc declarabitur, cum Zvinglianis in unum corpus coaluerunt. Ex quo intelligitur, quæ origo fuerit Calvinianorum, atque horum quoque primum signiferum fuisse Lutherum.

Neque tamen ibi substitit etiam Calvinus, ubi suam Lutherus constituit reformationem, id, quod ipsum Calvinum vidimus paulo ante dixisse de Luthero, non ausum esse progredi usque ad perfectam reformationem, sed Lutheri placitis, ipsiusque Zvinglii plura addidit de suo. Calvino cum Luthero, et hujus sectatoribus communia sunt, fidem solam ponere, per quam justitiæ donum, et salutem æternam adipiscamur, quæ tamen justitia non fiat nostra, sed solummodo nobis imputetur, virtute fidei in Christum, deinde traditionem Patrum respuere, auctoritatem non tantum Romani Pontificis, verum etiam universalis Ecclesiæ abnuere, libros Scripturæ sacræ deutero-canonicos e canone excludere, Sacramentorum septenarium numerum inficiari, et sacrificium Eucharisticum negare, Sanctorum cultum, et venerationem eorum imaginibus, et reliquiis exhibitam pro idololatria habere, vota, coelibatum, jejunia, aliaque satisfactionis opera amandare, nec non ritus, et cærimonias, quarum usus

est

est in Catholica Ecclesia. Specialia vero sunt, in Eucharistia solam figuram corporis Christi ponere, hominis lapsum non tantum a Deo præscitum, verum etiam decretum, et prædestinatum esse; soloque Dei arbitrio citra proprium meritum homines ad æternam mortem prædestinari; peccata, quæ impii perpetrant, Deum non solum permittere, verum etiam jubere, tametsi velit, Deum non ideo fieri etiam horum auctorem; omne peccatum esse mortiferum, sed fidelium peccata omnia esse venialia, absque peccato originali nasci eos infantes, quorum parentes fideles sunt; hominis liberum arbitrium nihil valere ad agendum bene, atque hunc quamvis sponte, et absque coactione peccet, tamen necessario peccare. Longum esset nimis, omnia recensere, quæ Calvino propria, vel communia cum Luthero fuerunt. Hæc ex Calvini libris cum aliis, tum præsertim Institutionum, ipsis etiam illius verbis exhibet Natalis *Hist. Eccl. Sec. XVI. art.* 12. §. 2.

Calvinum Ferrariæ Dux Ferrariensis passus non est. Quamobrem rediit in Galliam, inde peragratis aliquot civitatibus venit Genevam. Jam Genevenses non multo ante apud se Religionem Catholicam abrogaverant, aenea etiam tabula affixa in curia in monumentum istius abrogationis a se factæ, id a. 1535. accidit. In hac prædicant, Profligata Romani Antichristi (isto convicioso nomine Rom. Pontificem designarunt) tyrannide, abrogatisque ejus superstitionibus sacrosanctam Christi Religionem apud se in suam puritatem, Ecclesiam in meliorem ordinem singulari Dei beneficio repositam esse. Anno 1535. id factum est. A Genevensibus Calvinus susceptus est cum gaudio, ut hunc concionatoris etiam, et Professoris Theo-

Theologiæ muneri præposuerint. Biennium tamen nonnisi hic manere permissus est. Nam cum quædam mutare tentasset in iis, de quibus Genevenses in quodam a *Zvinglianis*, Bernæ in Helvetia, habito conventu statutum fecerant retinendis, uti de quibusdam diebus festis, de azymo pane in coena Domini, et fonte Baptismi, atque ista Calvinus omnia abrogata esse voluisset, Geneva discedere debuit. Argentoratum se contulit, ubi in eodem Professoris Theologiæ munere constitutus varia opuscula elucubravit, quibus sibi celebre nomen apud *Zvinglianos* comparavit, illo præsertim, quod de coena Domini confecerat. Hoc modo Genevensibus quoque reconciliatus est, et ad eos a. 1541. reversus Catechismum edidit, quem Senatus Genevensis approbavit, et observandum omnibus ministris dedit. Anno 1549. Genevenses cum *Zvinglianis* Tigurinis conventum celebrarunt; et quoniam cum his Calvinus in dogmate de Christi non vero corpore, sed hujus sola figura in Eucharistia convenisset, quod utrique parti principale visum fuit, conjunctionem inter se fecerunt, atque ita, quæ ante divisæ ab invicem erant, in unam sectam coaluerunt. *Zvingliani* jam formulam confessionis habebant, quam Henricus Bullingerus, qui Zvinglio occiso in bello, successerat in munere, ut supra demonstratum est, confecerat, adhibitis etiam quibusdam aliis adjutoribus, iisdemque *Zvinglianis* servandam dederat: quæ, facta conjunctione eorumdem Zvinglianorum cum Calvinianis, ab illis etiam ad hos transiit, attamen in pluribus mutata a Calvino. Hinc quemadmodum sectatores Lutheri *Augustanæ Confessionis* a sua confessione in Augustanis Comitiis, Carolo V. oblata, ita Calvini asseclæ *Helveticæ Confessionis* dicuntur. In Gallia vero his nomen Hu-

Hugonotarum fuit datum. (Les Huguenots.) Non convenit inter scriptores, quæ origo sit hujus denominationis. Aliqui eam derivant a porta Hugonis in Turonum urbe, prope quam primos suos coetus egerint Calviniani: alii a voce Germanica *Eydgenossen,* quod significat *Confoederatos,* quorum pagi, (vulgo Cantones dicti) sunt tredecim; et quod ab Helvetis quoad civilem formam confoederatis sit translatum ad Calvinianos, qui se pariter ad servanda sua dogmata confoederassent, eo quod in Helvetia *Eydgenossen* dicebatur, a Gallis *Huguenots* corrupte vocato.

§. 15.

Calvinianismus serpit in Galliam, et capiuntur eo multi. Colloquium Possiacense inter Catholicos, et Calvinistas. Hi grassantur in Catholicos.

Adversus serpentes semper ulterius Calvini errores Facultas Theologica Parisienses a. 1552. scriptum edidit super quinque, et viginti capitibus doctrinæ quoad Religionem, ad muniendos Orthodoxos contra errores Calvini. Huic Calvinus opposuit suum pariter scriptum, quod *Antidotum* appellavit. Quod vero antidotum non in argumentis constitit, verum in meris conviciis turpissimis, et ab humanitate, atque modestia alienissimis, ita ut Doctores Theologiæ Parisienses etiam veritus non sit *Gregem porcorum* appellare. Non minus Calvino, quam Luthero defuit decentia, et urbanitas in loquendo, et scribendo. Francisco I. in regno Galliæ Henricus II. filius successit a. 1547. Is ut refert Laurentius Surius in *Histo-*

storia sui temporis testatus statim per edictum suum est, se Catholicæ fidei patrocinium suscepturum, nec partim recenter inventas, partim e cineribus suscitatas hæreses in ditionibus suis toleraturum: eoque jubente in tota Gallia inquisitum in eos fuit, et indagatæ latebræ, atque etiam supplicium sumptum de quibusdam est, qui hujus generis erant. Serpebat nihilominus malum, et occulta horum conventicula etiam Parisiis celebrabantur. Anno 1559. in ludis equestribus segmentum hastæ confractæ ex concursu vehementi resiliens transverberaverat Henrici caput, mortuusque est. Franciscus II. filius ei successit, cui Catharina mater, propter ætatem nondum pari ad regendum, Duces Guisios addidit consiliarios, et moderatores. Hugonotæ autem eo prætextu, quod Guisii, præteritis Principibus e sangvine Regio, admoti essent ad regimen, seditionem commoverunt; quasi ad ipsos pertinuisset Reginæ præscribere, quibus curam committere deberet filii. Priusquam ad maturitatem pervenisset, detecta est conjuratio, atque præsidiis dispositis circum Ambasciam urbem cum arce in provincia Lugdunensi, quo se Rex cum familia Regia contulerat suæ securitatis causa, seditiosi alii in via, alii jam in ipso impetu, quo adoriebantur hanc arcem, compressi, comprehensique sunt, et coerciti suppliciis. Nec tamen adhuc destiterunt, verum eamdem seditionem continuarunt in pluribus Galliæ provinciis, præsertim in Delphinatu, et Provincia, occupatis etiam monasteriis, et Ecclesiis, atque direptis, tanto cum furore, ut altaria everterent, Sacras imagines ipsius etiam Christi confringerent, vel comburerent, Sanctorumque corpora et Reliquias e suis thecis protractas foede dissiparent. Ad pacandam Galliam a. 1563. Rex

per

per edictum suum Calvinianis immunitatem promisit, dummodo ipsi etiam fidelitatem præstarent Regi debitam: ad controversias vero de Religione componendas declaravit, se acturum cum Romano Pontifice, ut generale totius Ecclesiæ fiat concilium, sin minus, tamen sibi curæ futurum, ut hoc concilium fiat totius Galliæ generale. Erat intermissum eo tempore Concilium, quod Tridenti inceperat agi; quod vero deinde resumptum est, et in quo non minus de rebus a Calvinianis, quam a Lutheranis novatis, actum est. De Tridentino autem concilio adhuc sequetur narratio.

Calvinianis vero neutrum placuit concilium. Instifterunt apud Catharinam, et Regem, ut istius concordiæ ineundæ negotium potius tractaretur in colloquio inter se, et Catholicos, idque in aula, et coram ipsa Regina et Rege, is erat Carolus IX. qui Francisco II. fratri suo a. 1560. mortuo, successerat in regno, sed natus nonnisi annos decem, nec non senatu Regio præsente: idque impetrarunt. Nolebant habere concilium: quippe intelligebant in colloquio, et in disceptatione cum adversa parte proclivius sibi futurum vel effugere, vel eludere argumenta, dum colloquentes, non haberent auctoritatem, ut alteri alteros cogere possint ad dandum sibi assensum: quod vero aliter se habet in concilio, in quo res vocata in judicium discutitur, ferturque sententia, quantumcumque præfracti sint in suis sententiis, de quibus factum est judicium. Qua propter iidem Calviniani haud etiam neglexerunt isti colloquio illam apponere conditionem, ne Episcopi, qui affuturi essent colloquio, ullas sibi partes sumerent judicum: confidebant præterea se Reginæ, et Senatui Parisiensi, qui præsides essent istius colloquii,

nec

nec versatis in rebus Theologicis, facile palpum obtrusuros.

Possiaci in insula Franciæ habitum est hoc colloquium a. 1561. Sex affuerunt Cardinales, horumque unus, quem Romanus Pontifex, Pius IV. is erat, miserat eum in finem, ut attenderet, ne Episcopi Galliæ sibi sumerent aliquid de Fide decernere seorsim, et præriperent judicium, quod facturum esset Concilium Tridentinum, mox resumendum. Præter Cardinales convenerant Episcopi quadraginta, et complures selecti Theologi. Ex parte Calvinianorum aderant Theologi tredecim, quorum princeps fuit Theodorus Beza, et plurium civitatum legati. Rex, Regina et aula tota Regia cum Senatu Regio pariter affuerat, quamvis Regem maluissent Episcopi abesse, ne fortasse infirmo propter ætatem argutiis Calvinianorum noceretur. Beza, data potestate pro se loquendi, cum ceteris suæ sectæ Theologis in genua cecidit, manus, atque oculos in caelum sustulit, Deum cum suspiriis, ductis ab imo pectore, invocavit, et orationem Dominicam pronunciavit; tumque ad Regem, et Reginam conversus, flebiliter ad excitandam commiserationem querebatur, se cum sociis haberi pro seditiosis hominibus, et impiis; quibus tamen nihil sit antiquius, quam unam Dei gloriam quærere in rebus suis omnibus, studere tam suæ, quam aliorum saluti, et non discedere ulla in re a recta conscientia: professus est deinde, se, atque suos nonnisi in Christo habere salutis suæ fiduciam, se credere Christo obediendum esse in omnibus. Fuit observatum a sagacioribus, sic ab illo extolli fidem, quasi hæc sufficeret ad salutem etiam absque bonis operibus. Cum de Eucharistia, et

quid in ea esset, fidem suam exposuisset, atque ita locutus esset, ut adverterint omnes, non credere ipsum Christi corpus verum, in hac esse, et vidisset hinc commoveri omnes, excusabat se, non se hoc, quemadmodum sumeretur, intellexisse, professusque est, se credere Christum in Eucharistia sumi. Perplexe cum loqueretur, non audens aperte confiteri, quid crederet de Eucharistia, post multa verba quibus rem involvebat, id omne erat, quod dixit, per fidem elevari hominem in caelum, atque ita fieri, ut dum sumit Eucharistiam, Christum quoque per eamdem fidem in se recipiat. Nam Christum Eucharistiam in sui memoriam, et commemorationem instituisse. Igitur per hanc solummodo repraesentari Christum, velut per imaginem is, cujus imago est, repraesentetur. Imaginem vero non esse eumdem illum, quem repraesentat. Interrogatus, quid sentiret de Ecclesia, respondit, hanc constare e solis electis, hujus vero characterem esse prædicationem verbi Divini, puram Sacramentorum administrationem, et in qua fideles alii aliis sibi succedant, quæ tamen successio sæpius interrupta sit.

Inter Theologos Catholicos, qui delecti erant, ut conferrent cum Calvinianis, fuit etiam Jacobus Laynez Societatis Jesu Praepositus Generalis, vir doctissimus. Is falsum esse docuit, verum Christi corpus non esse in Eucharistia ideo, quod hanc Christus instituerit in sui memoriam, et commemorationem: quod quasi invictum, et insuperabile argumentum Beza, et Calviniani habebant. Neque enim pugnantia inter se esse, et contraria, imaginem, per quam quidpiam repraesentatur; et illud, quod repraesentatur. Neque enim ob-

sta-

stare etiam, ne bellidux, victoriam, quam retulit, possit in spectaculo per seipsum etiam repraesentare. Poterat ex Beza, atque ejus sociis quaeri, ipsine corpore praesentes in illo colloquio, hujus sui corporis formam secum haberent? Potest esse forma et imago vacua, solisque coloribus adumbrata, quæque rem ipsam, quam adumbrat, non contineat: nullum vero potest esse corpus, quod forma careat. Cardinalium deinde unus obtulerat Bezae confessionem Lutheranorum de Eucharistia, et petiit, ut quoniam ipsi hos pro suis fratribus haberent quoad Religionem; huic Lutheranorum confessioni de Eucharistia, subscriberet. Renuit vero hoc facere. Ita hominem cepit, et monstravit, sibi non esse consentaneum, et jam in hanc, jam in alteram se vertere faciem. Hoc idem etiam Calvinianis oggessit Lucas Osiander *in Epitome Centuriatorum* Lutheranus; et arguit summae inconstantiæ. Dum enim, inquit, Pax Religiosa constituta fuisset, et concessa Lutheranis in Germania, contendisse, hanc ad se etiam pertinere, eo quod Confessionem Augustanam ipsi quoque tenerent, cum tamen hanc Confessionem repudiassent in hoc Possiacensi colloquio, quia suis viribus confisi in Gallia, nullo se putassent egere auxilio Lutheranorum: iterum vero quæsivisse, se jungere Lutheranis, et Augustanam Confessionem arripuisse pro clypeo, ut in Germania pari cum Lutheranis possent gaudere jure, dum prostrati jacuissent in Gallia. Nec quoad fidem de Eucharistia, nec quoad alia, de quibus disceptatum fuit, aliquid profectum est cum Calvinianis. Ridebant ad argumenta, et explodebant, quæ ipsis erant proposita, atque ista ratione volebant videri illa solvisse, quorum nullam solutionem attulerant. Cum

nulla spes affulsisset de Calvinianis per colloquium ad concordiam, et unitatem fidei Catholicæ revocandis, Praesules Reginae declararunt, decisionem controversiarum esse exspectandam a concilio generali; quod propediem resumendum sit. Hic exitus fuit colloquii, quod Possiaci coeptum, in oppido autem S. Germani continuatum, et terminatum est. *Thuan. lib.* 18. *Davilla de Bello civ. lib.* 2.

Attamen Calviniani sparserant, seque venditarant pro victoribus Catholicorum in hoc colloquio, quin suam doctrinam quoque in hoc stetisse, et tulisse adprobationem omnibus Catholicorum argumentis eversis, et contritis. Huic impudentiae, et mendacio addiderunt eam etiam audaciam, prorsus effraenem, ut non tantum majore licentia, quam antea publice conciones haberent, suaque dogmata disseminarent, sed etiam, tametsi nihil incommodi passi essent ab Catholicis, imo etiam ab Rege immunitas ipsis concessa fuisset, eum in finem, ut se modeste, et tranquille gererent, denuo prosilierunt ad eam violentiam, ut invaderent Ecclesias, altaria, Sacras imagines in his, et statuas everterent, imo ipsum etiam Christum in Eucharistia pedibus conculcarent. Parisiis in suburbio S. Marcelliani, dum in platea concionem habuissent, quod in vicina Ecclesia campanae pulsatæ essent, nec a pulsando cessatum ad eorum petitionem; finita concione irruerunt in eamdem Ecclesiam, omnibusque rebus in ea confractis, et dissipatis multos insuper tam viros, quam feminas (vesperae tum celebrabantur) contrucidaverint: cumque concursus etiam Catholicorum factus esset, arma stringentium adversum istos adgressores, accensum est bellum

ne-

nefarium gestum inter cives. Similiter in aliis pluribus civitatibus, et locis ejusmodi conflictus, et pugnae inter cives exstiterunt ad vim repellendam, quam Catholicis intulerant Calviniani. S. Augustinus apud Raynaldum Tom. 14. pag. 338. in testimonio Gasparis Cardillos, dixit, hæreticos initio vulpes esse, quoniam cum viribus possunt parum, arte, calliditate, fraudibus, atque dolis plurimum utuntur: armis vero potentes effecti, leonibus esse similes, qui, uti ungvibus leones, vi omnia, atque armis tentent, adgrediantur, pulsent, diripiant, et discerpant. Etiam vero nunc tam benigne actum est cum Calvinianis, ut ex iis, qui seditionis, et caedium rei, multi erant comprehensi, duobus tantum vel tribus supplicio affectis, reliquis omnibus parsum sit. *Iidem, qui supra.*

§. 16.

Ex Gallia turbae Religionis causa transeunt in Belgium. Guesii in eodem Belgio. In Belgio Foederato quem in statum prolapsa sit Religio.

Sed neque nunc pacatiores sunt facti. Condaeus Princeps ex sangvine Regio defecerat ad illos. Hunc statuerunt facere Regem Carolo IX. e regia dignitate dejecto. Itaque bellum adgrediuntur aperte, invaduntque urbes, atque arces, easque sibi subjiciunt, iterumque omnia illa patrant in ea, quæ Sancta sunt Catholicis, et vastant templa. Turonibus corpus S. Martini, ejusdem urbis Episcopi, quem Deus illustraverat multis miraculis, in summaque veneratione apud

omnes

omnes erat, e tumulo ejecerunt, et combusserunt idem hoc cum S. Irenæi, aliorumque Sanctorum reliquiis perpetrarunt: in Catholicos autem it baechabantur, ut non contenti eos interficere, e horum cruciatibus, et acerbissimis mortibus ju cunda etiam sibi spectacula appararent, quorum alios in puteos demergerent, alios cum eduxisser in montes, vel præaltas turres, inde præcipite darent, atque cadentes hastarum cuspidibus ex ciperent, et insultarent, alios excoriarent vivos quod crudelitatis genus maxime erga Sacerdotes et monachos exercebant, alios, quorum pedibu cum induxissent soleas acutis, et sursum eminen tibus clavis ferreis, aratris jungerent, et flagr impellerent, quamdiu illos anima non defecisset alios vivos terræ infoderent vel integre, vel us que ad capita, ac deinde in hæc supra terram pro stantia ligneos globos, velut in pyramidum lus fieri solet, cum cachinnis jacerent; aliis lingvam sub mento exscinderent, alios vivos eviscerarent et avena eorum ventribus infusa equos pabularent. Non fuit sub Decio, et Diocletiano, saevissimis Christianorum persecutoribus, quando nova tormentorum genera de industria excogitabantur in Christianos, crudelitas ingeniosior, quam ea fuerit, quam hoc tempore in Gallia exercuerint Hugonotæ in Catholicos. Erant superati Dorcensi praelio a Guisio duce, qui exercitui praeerat ad eos compescendos misso. Captus fuit ipse etiam Condaeus. Attamen Carolus IX. Rex, adversus quem ipsum Hugonotæ ceperant arma, ut dejicerent e regia dignitate, his non tantum iterum indulsit, sed etiam insuper liberum religionis exercitium concessit, putans se hac ratione suæ, et regni tranquillitati, ac paci prospecturum: quod

illum,

illum, ut adhuc visuri sumus, fefellit. *Thuan. lib.* 49. *etss. Davila lib.* 2.

Non erat satis Hugonotis seditiones excitare in Gallia, sed hoc in Belgio quoque fecerunt, et Calvinianos, nec non et Lutheranos, qui illic erant, concitarunt ad rebellandum contra Philippum II. Hispaniæ Regem, cui Belgium parebat. Jam Concilium Tridentinum erat finitum. Per hoc Concilium decisæ sunt omnes quæstiones, et controversiae, quas de Religione excitarunt iidem Calviniani, et Lutherani. Itaque, causa finita, Philippus Rex Hispaniæ præceperat, ut Concilium Tridentinum cum in aliis sibi subjectis provinciis, tum in Belgio etiam ab omnibus observaretur in refractarios inquireretur, et cum his, velut hæreticis, ageretur. Hugonotae in Gallia ex quodam tractatu Galliæ Regis cum Ferdinando Alvarez legato Regis Hispaniæ suspicabantur, esse tractatum de confoederatione armorum inter ambos Reges ad ipsos opprimendos. Hac ducti suspicione, in re enim nihil erat, ne Rex Hispaniæ posset auxilia mittere, occupatus bello in Belgio, persvaserunt Calvinianis, et Lutheranis in Belgio, ut insurgerent adversus Philippum Hispaniæ Regem eo prætextu, quod contra fas, et æquum ageretur exercendo illam inquisitionem.

Margaretha Philippi Regis soror erat gubernatrix Belgii. Ad hanc, conjuratione inter se facta, Belgae utriusque Confessionis Augustanæ, et Helveticæ venerunt certa die (annus agebatur 1565.) circiter quingenti, cinerei coloris vestibus induti, appensisque sibi laguncultis, et scutellis ligneis, in habitu veluti pauperum, cumque numismate in collo alii cereo, alii ligneo, in cujus par-

parte una erat Regis imago cum inscriptione: *Fi deles Regi*, in altera, mantica, quam duæ manu tenebant, habens inscriptionem: *Usque ud man ticam :* procedentesque ordinatim gubernatric supplicem libellum obtulerunt. Libellus contine bat petitionem libertatis suæ religionis cum spon sione suae fidelitatis erga Regem; ad quam te standam spectabat numus etiam ille, quem appen sum collo gerebant. Gubernatrici cura fuit inje cta, ne res ista quidpiam haberet factiosum. Bar lamontius Comes svasit, ut curam hanc depone ret, esse enim *Guesios*, quod in Gallica lingv significat inopes, pauperes, a quibus proinde velut viribus destitutis, nihil esset metuendun Erant vero in illo numero, et sub illo habitu pau pere Belgae maximam partem nobiles, et opulen ti. Qui nomen Guesiorum, et si hoc ipsis datur fuerit per contemptum, tamen retinuerunt dein de sponte, utpote, qui quærerent contemni, a neglecti, et contempti eo magis, et securius suar possent ulterius concinnare conjurationem. Se jam iidem deinde pro cereo, et ligneo assumpse runt numisma aureum. Non poterat non adver ex signo, et charactere eodem, a tam multis ge stato, inesse huic rei aliquam conspirationem, e ex eorum conventiculis occultis, cujus notæ que ad Religionem essent homines. Tamquam igitu in adversam partem, in signum atque testationem Religionis Catholicæ, auctore Philippo Croyo du ce Areschoti Catholici etiam assumpserunt numis ma argenteum habens effigiem Beatissimae Virg nis cum Jesulo in gremio.

Non multum intereessit temporis, et Pro testantes (uno nomine complector utriusque con fessionis Augustanæ, et Helveticæ asseclas, quo

etiam

etiam hi ipsi sibi commune esse voluerunt, dum non tantum in Belgio nunc se se confoederassent, sed dum etiam deinceps in Germania Calviniani appetiissent libertatem, quam assecuti erant Lutherani) ubi, crescente eorum factione, suis viribus coepissent confidere jam nihil dissimulanter fecerunt. Coeunt ad conventicula palam, habent conciones in publico, easque contumeliosas, et conviciosas in Quæsitores fidei, in Concilium Tridentinum, ipsumque Romanum Pontificem, atque praeparati, si quid propterea tentatum in ipsos esset ab Catholicis. Gubernatrix, studiosissima pacis, et tranquillitatis publicæ, concessit ipsis, quod petierunt, idque velut unicum, ut cessaretur ab inquisitione, et ut quædam sinerentur loca habere, in quibus exequi possent suam religionem. Neque tamen hoc habito, et impetrato ab vi, et armis destiterunt, verum in Ecclesias irruerunt eo more, quo hoc factum fuit ab Hugonotis etiam in Gallia, grassantur in Catholicos, denique Regi aperte bellum denunciant, atque copias suas explicant. Necesse igitur erat istis resistere, et seditionem, ad quam proruperant, comprimere. Hunc in finem cum arma fuissent expedita in eos, facto conflictu ad Tornacum quatuor seditiosorum millia partim caesa, partim dissipata sunt. Valencena civitas, quam Guesii occupaverant, vi expugnata est. Cum ergo res Guesiis male successisset, ad officium redierunt, seque Gubernatrici subjecerunt. De quibusdam tamen, maxime qui per conciones alios ad rebellandum concitarunt, sumptum supplicium est, ceteris venia data, postquam juxta praescriptam sibi formulam suam fidem deinceps erga Regem jure jurando obstrinxissent.

Phi-

Philippus Rex ipse parabat cum exercitu venire in Belgium. Quia vero intellexerat, deflagrasse seditionem, Ferdinandum Ducem Albanum misit instructum amplissima potestate, ut Margaretha Gubernatrix, videns suam imminutam auctoritatem, Belgium reliquerit. Ferdinandus autem fecerat sua nimia acerbitate, ut qui Belgæ jam compositi mansissent, denuo rebellaverint. Primum eos, qui erant rei anterioris seditionis, in judicium vocavit, quibus jam Gubernatrix pepercerat, summam etiam adhibuit severitatem in eos, qui defecerant a Religione, adeo, ut tribunal ipsius vulgo sangvinarium tribunal audiret. Exasperati igitur Protestantes Belgae denuo conjurarunt, quibus multi adhæserunt ex ipsis etiam Catholicis, cum idem Dux Albanus immoderatis exactionibus invisum ipsis fecisset Hispanicum imperium. Belgas in hoc conatu adjuverunt Protestantes in Germania, et Gallia. Wilhelmus Princeps Arausionensis fuit factionis caput. Initio praeseferebant, tantum regimen Belgii a linea Hispanica ad lineam Austriacam, quæ a Philippo I. Austriaco ambæ descenderant, velle se translatum habere. Deinde vero etiam verterunt se provinciae Belgii septem, quod deinde Belgium Foederatum, vel Hollandia vocatum fuit, ad asserendas se in libertatem. Reliquae decem Belgii provinciae in subjectione erga Regem Hispaniæ perstiterunt, quod dictum fuit Belgium Catholicum, in quo et Religio Catholica retenta fuit, cum in altero, quod Belgium Foederatum fuit, ista fere funditus periisset, istudque in colluvionem omnis generis sectarum transiisset: *Strada de Bello Belgico lib. 4. Thuan. lib. 40.*

§. 17.

§. 17.

Hugonotæ iteratis cladibus affecti in Gallia. Nuptiae Parisienses. Nec tamen eo minus continuatæ per eos turbae, et seditiones. Caedes Henrici III. Regis Galliae per quem patrata sit.

Hugonotæ, qui auctores rebellandi Guesiis in Belgio erant, id, quod accidit a. 1566. subsequente anno 1567. et ipsi rursus in Gallia arma ceperunt adversus Regem suum Carolum IX. et Catholicos, associatis sibi etiam Protestantibus e Germania, qui ingenti numero ad eorum auxilium venerunt. Commisso praelio ad Jarnacum oppidum ab exercitu Regio, cui Henricus Andium Dux praeerat, victi sunt Hugonotae, et ipse etiam Princeps Condaeus perduellium dux occubuit. In hujus vero locum sibi exercitus ducem crearunt Colinium, pariter e Regio sangvine Principem, qui aeque se illorum sectæ addixerat, et bellum instaurarunt tanta confidentia, ut monetam etiam cuderint, cum effigie Joannæ Navarræ, et Henrici ejus filii, primariorum sectæ in parte una, et inscriptione in parte altera: *Pax certa, victoria integra, mors honesta.* Collatis signis ad Moncotorium in Pictonibus ingenti clade iterum affecti sunt Hugonotae. Pax quam sibi ex victoria pollicebantur, virtute suorum armorum, data etiam victis est a victoribus a. 1570. his conditionibus, ut oblivioni traditis omnibus, quæ intercesserant, liberum esset Hugonotis suam religionem exercere exceptis tantum quibusdam locis, inter quæ erat Urbs Regia, et Aula, insuper ut pari cum Catholicis jure fruerentur ad obtinendas, et gerendas omnes dignitates. Non poterat benigni-

gnius quidquam fieri a victoribua erga victos. At vero, quod jam antiquitus in sectis Arianorum, Donatistarum, aliorumque plurium videre licuit, quamvis aequali jure sibi concesso cum Catholicis, si fiderent suis viribus, contentos non fuisse, sed adlaborasse ut Catholicos opprimerent penitus; ita Hugonotae quoque etiam nunc in Gallia contendebant adhuc ulterius. Ibant fovere eadem consilia, quæ prius, exitiosa non tantum Catholicæ Religioni, verum etiam Regiae familiæ, et regno. Cum igitur Hugonotis stantibus, quorum audacia niteretur Colinii, Condaei (iste filius erat illius Condaei, quem cecidisse in praelio, supra demonstratum est) Henrici Navarræ Regis, et Joannæ ejus matris auctoritate, et potentia; nulla videretur esse securitas Regi, totique familiæ Regiæ; deventum est ad consilium omnino vehemens, verum, ut Rex ipse postea declaravit, suffragante etiam Senatu Regio, necessarium sibi, et saluti publicæ.

Anno 1572. die 13. Augusti nuptiæ erant celebratæ Margaritæ sororis Caroli IX. Regis cum Henrico Borbonio Rege Navarrae, cujus jam facta mentio est. His interfuerunt Casparus Colinius Thalassiarchus, et Regii exercitus maritimi supremus præfectus, quod idem munus is gerebat etiam apud Hugonotas, et Ludovicus Condaeus ambo Regii Principes, et Hugonotæ. Hoc nuptiarum tempus opportunissimum visum est ad illud contra Hugonotas exequendum consilium Dies huic rei præstituta est quarta, et vigesima ejusdem mensis Augusti, quo festum agitur S. Bartholomæi. Militiam ante copiosam Parisios Rex convenire jusserat sub praetextu contra Guisios, quasi eorum potentiam sibi suspectam habe-

beret, cum tamen istis executio illius adversus Hugonotas consilii commissa fuisset. Ad Colinium e medio tollendum res dirigebatur maxime. Duabus diebus ante Colinius, in platea ambulans, sclopo ex insidiis fuit appetitus, pluribus globis onerato, quorum uno index manus dextræ ei abreptus est, altero cubitus manus sinistræ graviter sauciatus conscio Rege, sed qui se gesserit, ac si inscius esset. Ubi dies illa præstituta venit, mane, dum campana more consveto in Ecclesia S. Germani pulsaretur, quemadmodum erat constitutum, milites undique ex domibus, in quibus erant collocati, eruperunt, gerentes linteolum album in sinistro brachio, et crucem ejusdem coloris assutam pileo, ne quis error inter ipsos milites contingeret. Omnium primo impetus, et irruptio in aedes Colinii facta, isque trucidatus est: tum itum in omnes domos est, quæ noscebantur Hugonotarum esse, etiam plebe vocata in societatem, eorumque caedes patratæ. Sub vesperam ejusdem diei erat signum datum, jubente Rege, ad sistendam caedem: sed ira, qua miles flagrabat in Hugonotas, et cupiditas prædae, quæ illi concessa erat, fecerat, ut mandatum non exaudiretur. Res hæc igitur continuata Parisiis est diebus septem. Pridie ejus diei, qua caedes Parisiis incepit, missum ejusdem rei mandatum fuit in alias etiam urbes, mensesque duos in his duravit Hugonotarum, similis ei, quæ facta Parisiis est caedes, idque in tota Gallia, illis tamen exceptis locis, in quibus Clerus perfugium præbuit Hugonotis. Qua in re memorabile inprimis est, quod fecit Joannes Hennuyerius ex Ordine Praedicatorum Lexoviensis in Normannia Episcopus. Nam is in tota dioecesi ab præfecto urbis Lexoviensis petiit, et obtinuit, uti mandatum suspen-

de-

deretur dato chirographo, quo periculum, quod metuebat Præfectus, in se recepit. Dicebat eos, quorum caedes erat imperata, suas esse oves, quamvis extra ovile errantes, quorum tamen nondum desperatus esset reditus: igitur se non posse permittere ut mactentur. Hugonotæ, quotquot erant Lexovii, hoc Episcopi in se animo permoti, reversi sunt ad fidem Catholicam, Henricus Navareus, et Condaeus, adducti ad Regem minis non cesserunt, ut renunciarent Calvinianismo: attamen vitæ gratia ipsis facta est, cumque curatum esset, ut instruerentur quid rectæ esset Religionis Christianæ, ambo cesserunt, et fidem Catholicam professi sunt sed haud sincere, quod satis luculenter suis iteratis conspirationibus in patrocinium Calvinianismi, testatum fecerunt. Henricus tamen, quod deinde adhuc declarabitur, quomodo perfectum sit, agnita veritate, ex animo factus Catholicus est. Hugonotarum in illa caede, quæ Nuptiæ Parisienses solent appellari, sublata sunt ad quinque, et viginti millia. *Thuanus lib.* 51. *in Hist. sui temporis. Davila in Hist. Bellor. Civil. Belleforestius lib.* 6. *Sammarthani Fratres Tom.* 2. *Galliæ Christianæ.*

De Nuptiis his Parisiensibus non omnes aequaliter senserunt. Ipse Carolus IX. Rex advertens, vocari has a multis in reprehensionem, ut subterfugeret ora hominum, non bene hac de re loquentium, primum eam restrusit in Guisios: ubi autem se recepit ad suam conscientiam, quæ illum erectum esse jusserat, ultro declaravit, factam esse jussu suo; cumque docuisset, quid molitus Colinius esset, hunc Majestatis reum, etiam Senatus Regius judicavit, et jure caesum cum ceteris, utpote, qui cum eo conspiraverint. Non est

ini-

iniquum, si Rex de perduellibus sumat supplicium: nec quia clandestino consilio id egit, minus debet valere, quam dum belli dux hosti consilia sua occultat, ut eum opprimat, cujus victoria quoque gloriosior est, si hanc reportet sine jactura suorum. Id, quod in Caroli Regis hocce contra Hugonotas consilio etiam erat. Quibus hoc minus probabatur, censuerunt, Religionem Christianam, utpote mansvetudinis magistram, abhorrere a sui defensione cum adversariorum sangvine. Non habuit autem hunc finem Religionis in hoc suo facto Carolus Rex, qui Hugonotis, etiam postquam eos adversum se rebellantes, et sibi arma inferentes in omnibus conflictibus semper superasset; liberum Religionis exercitium concesserat, et ad aequalitatem omnium jurium civilium cum Catholicis posuerat. Quia vero ab his sperare non licebat, ut, qui venia sibi toties concessa, imo etiam beneficiis affecti identidem adversus Regem rebellassent, atque hunc regno spoliare voluissent, satisne causæ fuit, ut Rex posset animadvertere in Hugonotas? Etiamsi sola Religio, ejusque defensio contra Hugonotas, caede, atque sangvine bacchantes in Catholicos, nulla ab his injuria accepta, atque horum Ecclesias, et omnia quæ his sunt sanctissima profanantes, et conculcantes, Regem movisset, ut ultionem sumeret; tamen nulla injustitia fuisset, siquidem ad Regum munus spectet, Religionem tueri, etiam animadvertendo in eos, qui eam moliuntur corrumpere, atque aliis eripere. Hoc argumentum jam tractatum est supra Partis III. §. 44. ubi actum est de introducta inquisitione in hæreticos, et dilucidatum tam testimoniis, quam exemplis, ex ipsis etiam Sacris literis sumptis: quid, quod Principum esse jus, atque officium, ipse etiam

Cal-

Calvinus asseruerit? qui etiam Genevensem Magistratum impulerit ad sumendum supplicium de Michaele Serveto, cum primum Anabaptista, deinde Sacramentarius factus etiam hinc descivisset, et in Socinisniamum delapsus esset. Quamvis vero Carolus Rex in eo quod in Hugonotas egit, non causam spectaverit Religionis; tamen quoniam per hoc consultum esset ipsi etiam Religioni, ejusque tranquillitati, Pontifex Romanus Gregorius XIII. numos etiam cudi jusserat Romae ad rem hanc, a Carolo Rege gestam, tradendam memoriæ. Dici non potest, quantopere Protestantes insectentur has Parisienses nuptias, et damnent. Demonstratum est paulo ante §. 15. et 16. qualia, et quanta Hugonotæ egerint adversus Catholicos in Gallia, quomodo in hos saevierint more Circumcellionum ex Donatistarum secta per solam effrænem audaciam: nec tamen ideo eos carpunt. Scilicet illud æquum erat, hoc iniquum quod ad ipsos puniendos, et coercendos actum a Rege Galliæ est.

Neque tamen Hugonotae, quamvis sic habiti in Nuptiis Parisiensibus, destiterunt. Jam enim anno post has nuptias altero bellum iterum instruxerunt, ipsumque etiam Carolum Regem comprehendere voluerunt. Ne nunc quidem res ipsis juxta voluntatem cesserant, et de iis, qui auctores fuerunt seditionis, supplicium sumptum est. Idem factum est a. 1575, et 1579. Carolo IX. anno 1574. mortuo in regno successerat Henricus III. illius frater. Hic post has iteratas rebelliones a. 1585. edictum fecit istud. Exploratum se habere, divisos in Religione populos in civilibus negotiis non facile convenire, omne vero regnum juxta Dei verbum in se divisum, ad

rui-

ruinam inclinare: quamobrem a se statutum esse, ut nullus deinceps alterius religionis, quam Catholicæ in toto regno usus esset, addita capitis, et bonorum proscriptionis poena, revocatisque anterioribus edictis, quibus usus novæ religionis concessus erat, atque mensis spatio præstituto ministris Calvinianæ religionis, ceteris, mensium sex, intra quod si redire ad Ecclesiæ Catholicæ gremium nollent, regno excederent. Interea cum iterum a. 1587. seditionem fecissent, ita ut Regis etiam vita in discrimen venerit, tamen Rex in seditiosos et rebelles jam toties, nihil gravius constituit, sed solummodo Rothomagi a. 1588. die 19. Julii decretum fecit, ut si Regem absque mascula prole mori contingeret, ne ex Principibus ei succederet hæreticus vel hæreseos fautor, et de Catholica Religione firmiter in regno tenenda, et tuenda: quod *Henoticon* fuit appellatum ab Ordinum regni cum Rege conspiratione ad hoc statutum servandum. Nam Græcum ἑνόω significat *coire in unum*: Jam a. 1576. Catholici in Gallia ad hoc se se confoederaverant. Postquam autem in publico etiam regni conventu idem sancitum fuisset, atque ad hoc servandum jure jurando omnes se se obstrinxissent, Confoederati hanc sanctionem pro Cardinali constitutione, ac lege haberi voluerunt. Contradixerunt vero Hugonotæ, quod ipsi ei conventui non adfuissent, et nequidem ad hunc vocati essent.

Itaque adversus hunc conventum Catholicorum Henricus Navarræ Rex Rupellis omnium Ecclesiarum Protestantium conciliabulum celebravit eodem anno 1588. ubi isti quoque se obfirmarunt ad suam sectam defendendam etiam cum profusione ipsius vitae, et sangvinis. Hinc nihil erat

pronius, quam ut bellum Galliæ funestissimum exardesceret in perniciem totius regni, si qui vi attentatum esset adversus Protestantes. Hæc metuens Rex supersedit ab armis, tametsi urgeretur a Confoederatis ad ea capienda, vi illius suæ confoederationis adversum Protestantes, malequ audiret, et velut foedi fragus, perjurus, fautorqu hæreticorum traduceretur, atque etiam iidem Confoederati adversus eum armis pararent insurgere

Inter hos tumultus e vita Henricus Rex excessit a. 1589. die 1. Augusti dum ad oppidum S. Clodoaldi castra stativa habuisset, Lutetiamque Parisiorum ire parasset, quæ et ipsa adversus eum rebellaverat. In Guisios hæc suspicio tantæ conspirationis collata fuit, qui sub prætextu fervoris Religionis, et facti moderatores Regni, opibusque invalescentes affectaverint ipsum etiam regnum, adeo, ut Rex duos Guisios, quorum alter etiam Cardinalis dignitate præditus erat, et Borbonium itidem Cardinalem per sicarios occidi jusserit, nullo judicio prius habito, ex solaque suspicione, quin illa vel postea confirmari potuisset. Occisus vero Henricus est per immane scelus cujusdam, qui mentiens se quidpiam habere arcani, quod nemini dicturus sit, quam Regi, cum admissus fuisset, cultrum ei infixit ad ventrem, quo ex vulnere altero die mortuus est. Ex familia S. Dominici fuit, quantum ad vestitum attinebat, et Jacobi Clementis nomen sibi esse dicebat. Ministri, qui ad fores assistebant, clamore Regis audito, cum irrupissent, percussorem multis vulneribus occiderunt, et per fenestram in plateam ejecerunt. Non fuit autem iste vere Dominicanus, sed qui Jacobum Clementem Dominicanum occiderit, hujusque vestibus se induerit,

at-

atque sic caedem illam perpetraverit non absque conspiratione ipsorum ministrorum, in aula Regia. Id, quod perhibet Auctor libelli: *La Fatalite de S. Cloud.* (Fatum S. Clodoardi) Gallico idiomate a. 1672. editi. Etiam Mezerayus pariter Gallus Historiographus pag. 648. habet, famam post perpetratum illud facinus percrebuisse, Eos, qui hujus architecti erant; illis, qui propius Regi adstabant, jussa dedisse, ut occisorem quantocius confoderent. Etiam Petrus Matthæus Gallus Historiographus tom. 2. pag. 776. docet, statim post Regis necem famam communem per urbem volasse, quod hic regicida non fuerit Religiosus, sed quidam personatus officialis secta Calvinista, quem Suessionensis Comes auro corruperat. Mezerayus autem *cit. loc.* dicit fuisse militem, quem foederati studiose religiosa veste induerint. Foederati intelligantur Catholici, qui foedus inter se fecerant adversus Hugonotas. Erat enim tam Hugonotis, quam foederatis summe exosus. Perinde autem est sive ex his, sive ex illis fuerit, qui Regem nefarie occidit. Illud enim solum quæritur, utrum scelus hoc perpetratum vere a Dominicano sit. Etiam illud argumento est, conspiratione aulicorum patratum esse hoc facinus, quod nisi hunc facinorosum occidendo, et vulneribus totum foedando, se criminis consocios occultare quæsivissent, hunc non gladiis concidere debuissent in flagranti, verum captum servare, ut quæri ex eo possent, et resciri crimine connexi. Petrus Matthæus *cit. loc.* dicit, eosdem illos, qui personatum hunc Dominicanum occiderunt, nec corpori Regis, postquam obierat, pepercisse, sed eo rabiei devenisse, ut illud pugionibus tanto furore impetierint, ut adeps omni ex parte diffluxerit. Memoratur etiam epistola, quam Jacobus

 Gue-

Gueslaeus, unus ex ministris illis Regiis, qui illum Dominicanum contrucidaverunt, ad amicum suum dederit, et scripserit, Jacobum Clementem a se hospitio receptum, noctu profundo correptum somno repertum esse. Intellexerat videlicet per profundum somnum illius mortem, quae ei illata est, ut in hujus vestibus, et sub nomine ipsius adornaretur alter verus Regis interfector ad celandum crimen, et quem ad exequendum facinus induxerint cum aliis præmiis, tum etiam securitatem ficte pollicendo. Hi iidem ministri cum subdole sparsissent Edmundum Burgonium Priorem Conventus Dominicanorum Parisiensis conscium fuisse ejusdem criminis, quamvis hoc constanter negavisset, et testatus esset se caedem hanc detestari, et execrari; falsis tamen testium accusationibus obrutus, a quatuor equis discerptus est in pia ad Deum oratione vitam finiens. *Spondanus ad hunc annum num.* 17.

§. 18.

Henrici IV. Regis Galliae conversio ad fidem Catholicam. Calvinianorum in Gallia, et Lutheranorum in Germania declaratio de Ecclesia Catholica. Hugonotae compressi in Gallia.

Henricus III. filium hæredem non habuit. Stirpe igitur desinente Valesia, ex qua erant anteriores Reges Galliae, transiit regni jus ad Henricum Borbonium, illum eumdem, qui Rex Navarrae jam saepius memoratus est, originem ducens a Roberto S. Ludovici IX. filio natu minimo, cujus frater Philippus cognomento Audax S. Ludovico in regno successerat, Robertus autem

fa-

familiæ Borboniæ caput exstitit. Post Nuptiās Parisienses etsi Religionem Catholicam professus erat, id tamen ex metu tantum se fecisse dicens, redierat aperte ad Calvinianismum. Rex vero factus, jus jurandum dedit de Religione Catholica inviolate conservanda, deque juribus Ecclesiasticorum, et bonis nullatenus turbandis. Attamen Foederati, illam sanctionem, quod Henoticum fuit appellatum, urgentes, quod Catholicus non esset, eum pati nolebant, turbisque ingentibus, et dissidiis tota flagravit Gallia, jamque comitia etiam ab his indicta fuerunt, in quibus Rex alius eligeretur. Henricus IV. his rebus permotus, cogitavit de Religione Catholica amplectenda. Vocavit ad se Episcopos, et Theologos Catholicos ab Henotica factione alienos, petiitque, ut omnia, quæ sunt Religionis Catholicæ sibi exponerent. Eo magis hac expositione facta ad Religionem Catholicam inclinabat animum. Ex sectæ Calvinianæ ministris deinde quaesivit, utrum ii, qui Catholicam Religionem profitentur, salutem aeternam consequi possent. Hoc vero illi concesserunt. Itaque Henricus Rex, Catholici, inquit, suam monnisi Religionem habent pro ea, in qua salus aeterna obtineri possit, dant vero, et concedunt etiam ministri Calviniani, in hac salutem æternam obtineri posse. Igitur tutior est Religio Catholica, de qua ambæ partes consentiunt, quam Calvinina: in qua quidem Calviniani sibi polliceantur aeternam alutem, sed quod de hac negant Catholici. Quare omni dubitatione deposita reliquit sectam Calvinianam, et factus est Catholicus. Anno 1593. id actum est.

Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.. Res, quæ de Helmstadiensibus dicta est, potest legi apud Kettel Decad. 5. pag. 490. et apud Auctor. Theatri Europ. *tom.* 18. *pag.* 135, Fabri Staats Kanzley *tom.* 17. *pag.* 176.

Henricus Rex fidem Catholicam professus, pacatos, morigeros, et Majestatis suæ reverentes habuit Catholicos, sed non Calvinianos, qui pergebant etiam adversus hunc tumultuari, et seditiones moliri. Ad civile bellum praepediendum, et pacem regno procurandam edictum fecit, quod Nannetense vocatur, a. 1598. quo libertatem suæ religionis exercendae ipsis concessit. At vero, qui hoc beneficio jam etiam antea affecti aliquoties, numquam quieti manere poterant, ab his istud neque nunc sperandum erat. Cum turbas identidem fecissent, et seditiones conflassent, Ludovicus XIV. Rex Galliæ finem his facere statuit, remque perfecit a. 1685. Erant ab hoc ipsis etiam armis jam coerciti aliquoties. Cum res per vim non bene ipsis successisset, tamen lingvas suas, et calamos armarunt adhuc adversus Catholicam Religionem, hancque lacerabant probrosis et concionibus suis, et contumeliosis, conviciosisque libris, quos in vulgum ediderunt, et sparserunt. Stabat adhuc Nannetense edictum: sed nunc illud sufferre constituit, quod non tantum violenter etiam ab ipsis extortum esset, verum etiam jam per seipsos sustulerint non manendo in conditionibus, sub quibus per illud edictum libertatem suæ religionis obtinuerant. Militem per totum regnum Rex distribuit, et praesidia disposuit; tumque edictum suum publicavit, quo Nanne-

netense abrogavit, atque una libertatem religionis ipsis, eo edicto datam, sustulit, omneque hujus exercitium interdixit. Poenam exilii decrevit in eorum ministros, quos eo tempore habebant, poenam vero triremium, in eos, si qui deinceps ausi fuissent hocce ministrorum munere apud eos fungi. Iis, autem, qui ex ministris redirent ad Religionem Catholicam, pensiones, et subsidia vitæ largissima constituit, quibus etiam eorum uxores fruerentur, si ipsi præmortui essent. Iisdem Hugonotis ademit omnia templa, et scholas: eorumque proles debebant ritu Catholico baptizari, cautum vero, ne adultis, si sponte transire ad Religionem Catholicam nollent, vis aliqua inferretur, aut quidpiam molestiæ fieret. Ne autem regnum attenuaretur, si emigrassent, resque suas exportassent, emigratio inhibita severe ipsis est. Non eo minus tamen clam, et occulte ad centum illorum millia ex Gallia excesserunt in Angliam, Belgium, Helvetiam, aliasque regiones ubi suam religionem possent cum libertate exercere. Reliqui ad vicies centena millia in regno manentes, maximam partem etiam ad Religionem Catholicam reversi sunt, etiam si non omnes sincere, et solummodo in speciem invitati praemiis, quæ ab Rege iis, qui converterentur, erant promissa, et constituta. Idem fecit Ludovicus XIV. erga Protestantes in Alsatia, dum hanc post tricennale bellum, propter Religionem in Germania gestum, pace Monasteriensi obtinuisset. *Hode Vie de Louis XIV. Calmet in Hist. Univers.*

§. 19.

§. 19.

Henricus VIII. Rex Angliae primum defensor Religionis, deinde schismatis auctor ex turpi amore Bolenae. Volsaeus Regi auctor ad prius matrimonium in irritum mittendum. Henrici nuptiae cum Bolena.

In Angliam, in quam Hugonotas, qui ex Gallia excesserant, migrasse religionis suæ libere exercendae causa, modo dictum fuit, simul venit religio, quam Lutherus, et Calvinus formavit, per Henricum VIII. Regem Angliæ. Is sanctionem a Leone X. Rom. Pont. factam adversus Lutherum magno fervore exequi jussit, de libris illius conquirendis, et igni tradendis; id quod factum est Londini in foro publice: sique reperti essent in regno Lutheri, et Calvini sectatores hos rogo addixit. Idem librum composuit, egregie concinnatum adversus ejusdem Lutheri errores, et Leoni Papæ obtulit, qui idcirco ei titulum Defensoris fidei contulit. Destinatus erat Clero, et Theologiæ operam navaverat. Hinc illam scribendi contra Lutherum, ejusque confutandi habebat facultatem. At vero rem, tam laude dignam, postea corrupit, et foedavit turpissime. Demonstratum est supra §. 3. Henricum Arturi fratris sui vita functi conjugem, Catharinam Aragoniam, volente Henrico VII. et obtenta venia impedimenti affinitatis, ab Julio II. Papa, sibi copulasse matrimonio. Thomas Volsaeus Cardinalis, et Archiepiscopus Eboracensis in summa gratia erat apud Henricum, cujus opera Carolus V. Imperator nitebatur, Henricum inducere ad foedus et societatem armorum secum ineundam contra Franciscum I. Regem Galliæ, factis ei maximis promis-

missis ipsius etiam dignitatis Papalis. Postquam autem Carolus Imperator non jam opus habebat Henrici auxilio, capto Francisco in Ticinensi praelio, elanguerat etiam ipsius affectus ille prior erga Volsæum. Quod iste iniquo animo ferens, Henricum quærebat permovere, ut arma sociaret cum Francisco contra Carolum; et quo firmius hos inter se conjugeret, auctor Henrico fuit, ut a Catharina conjunge sua se separaret, et Margaritam Francisci I. sororem duceret uxorem, dicens, connubium cum Catharina propter affinitatis impedimentum non esse legitimum, quo neque Romanus Pontifex potuerit illum solvere. Nactus erat Volsaeus alios etiam adjutores, qui idem svaderent Regi, ne regnum transiret ipso mortuo ad quemdam exterum Principem, eo quod mascula prole careret. Susceperat ex Catharina proles quinque partim masculas, partim femellas: sed omnes erant mortuæ praeter filiam Mariam.

Haud difficulter svasioni Henricus cessit, captus jam amore Annæ Bolenae, quæ equitis Angli filia, una ex virginibus erat, quas Regina habebat ad suum obsequium, cujus cupiditas eo magis erat accensa, cum illa etiam jure jurando asseverasset, numquam aliter, quam jure conjugali in notitiam se cuipiam viro præbituram. Causam ipse etiam Henricus voluit deferri ad Romanum Pontificem Clementem VII, decisionis causa, ipsius matrimonium cum Catharina essetne initum legitime, et valeretne. Declaravit Pontifex Henrico se eo animo erga eum esse, ut sit libenter id omne facturus, quod salva justitia facere potuerit. Etiam si vero satisfieri petitioni Henrici salva æquitate potuisset, tamen ex altera parte

etiam

etiam cavere volebat, ne Carolus Imperator offenderetur, cujus matertera erat Catharina. Judicium hujus rei Pontifex delegavit Laurentio Campegio, et Thomæ Volsaeo Cardinalibus, idque ut institueretur in Anglia. At vero Regina exceperat contra hos judices, qui ambo Regi Henrico obstricti essent ejus beneficio, quorum alter Archiepiscopus Eboracensis in Anglia esset, alter Sarisberiensem Episcopatum per eum obtinuisset pariter in Anglia, declaravitque se nullius nisi ipsius Romani Pontificis judicium subituram. Idem fuit petitum a Carolo Imp. et Ferdinando I. Caroli fratre Rege Hungariae. His de causis Pontifex judicium ad se revocavit. Nihil dubitabat Henricus, si hoc judicium Romae perageretur, fore, ut matrimonium comprobetur, atque sibi nnptiae, quas anhelabat, negentur. Quamobrem edictum fecit, quo Richardi II. qui, seculo 14. ad finem vergente, regnavit in Anglia, decretum instauravit, quo erat inhibitum, in quacunque causa, vel negotio ire Romam ad Apostolicam Sedem, atque hinc petere causæ decisionem, aut quidcunque aliud: atque hoc Richardi decretum obtendit, quo minus sineret hanc etiam causam deferri Romam. Sed duabus Universitatibns in Anglia, Oxoniensi, et Cantabrigiensi dedit negotium sententiam ferendi de suo matrimonio, an legitimum sit, et valeat, nec ne. Hoc exquisivit insuper a Parisiensi Universitate, multisque aliis in Germania, Hispania, Belgio, atque in ipsa etiam sitis Italia, munificus summopere in Doctores, laturos judicium, qui se illius auro vinci siverunt. Universitates Anglicanæ, et Parisiensis judicium, quale Henricus voluit, de ejus matrimonio tulerunt, ceterae omnes contrarium. Quæ in favorem Henrici Uuiversitates sententiam tulerunt, sumpserunt im-

impedimentum ex affinitate, velut statutum lege Divina, cujus proinde solutio legis sit supra potestatem Papæ. Hoc vero solummodo affirmarunt, nullo modo autem probaverunt. Imo Scripturam sibi refragantem habuerunt. Nam in Veteri testamento non tantum affinitas non erat impedimentum matrimonii, quandoquidem etiam Jacob Patriarcha cum Liam jam cognovisset, et sumpsisset uxorem, Rachelem Liæ sororem, et affinem suam duxerit *Gen.* 29. *v.* 28. sed etiam dum quispiam mortuus esset sine liberis, hujus uxorem frater mortui debebat sibi sumere uxorem etiam e lege, a Deo constituta per Moysem. *Deut.* 25. *v.* 5. In Novo autem testamento nihil est de affinitate sive in unam, sive alteram partem. Hi ergo Doctores, qui hoc judicium tulerunt, quasi nixi Scriptura, non magni Theologi fuerunt, nisi forte scientiae eorum Theologicæ, quam habuerint, in hoc casu tantum præponderasset aurum.

Henrico autem sententia, quam hæ Universitates secundum ipsius voluntatem tulerant, in comparatione cum reliquis, quæ contrarie judicaverant, fuit decretoria: aususque est jactare, hanc Romani Pontificis futuram inscitiam, si suum matrimonium haberet pro legitime inito: jamque se, dicebat, Pontificem terrere volens, dedisse operam, ut ipsius potestatem restringat, et coerceat. Quod jam antiquitus fuit in proverbio, malum consilium consultori pessimum, id nunc etiam accidit. Volsaeum pœnitere cœpit ejus, quod egerat Henrico insusurrando, ipsius non stare cum Catharina matrimonium, et Romam miserat literas ad explorandam quoad hoc mentem Romani Pontificis. Id, cum rescitum fuisset, tamquam

qui

qui egisset adversus illam Richardi sanctionem, confirmatam etiam per edictum Henrici, vocatus est in judicium illato sibi crimine læsæ majestatis. Missi sunt satellites ad eum comprehendendum, et adducendum. Dum captus duceretur, quamvis morbo esset affectus, in via decessit, confessus ante mortem, juste sibi evenisse, quod pateretur, quia Regi magis, quam Deo servivisset. Sed nec Regi bene consuluit: cujus svasio non solum huic, verum etiam toti regno, ipsique Religioni exitialis fuerit: quandoquidem hinc originem sumpserint omnia, quæ deinde secuta sunt. In idem crimen cum Volsaeo etiam Clerus totius Angliæ vocabatur, quod cum hujus consensione literæ illæ a Volsaeo missæ fuissent. Id factum ab his est, ut si ad ipsorum judicium, quod prævidebant futurum, Rex, utpote subterfugere volens Romani Pontificis tribunal, negotium detulisset, sibi caverent, ne si perperam judicassent, a Sede Apostolica sibi ipsis aliquid metuendum haberent. Atque huc omnino spectabat, cur Clerum appetierit isto crimine quasi læsæ majestatis: neque enim lex illa constituta a Richardo vim obtinuerat, et observata erat, quæ a furibundo lata, et excutiens debitam subjectionem erga Apostolicam Sedem neque consistere potuit. Clerus Cantuariensis vexam, ut redimeret, centum millia florenorum Anglicanorum Regi gratuita obtulit, unaque titulum ei tribuit Supremi Ecclesiæ Anglicanæ et Ecclesiasticorum capitis turpi adulatione. Cantuariensis Cleri exemplum secutus est Clerus Eboracensis. Sed cum pecuniam tantum dedissent, non vero illum etiam titulum, Rex hanc respuit; dato autem sibi eodem titulo, acceptavit.

Pro-

Protestantes videntes ista, quæ fiebant in Anglia, et quod Rex sibi arrogaret auctoritatem capitis supra Ecclesiam, spem sibi fecerant fore, ut facilem nunc aditum sibi reperiant etiam in Angliam. Itaque aliquot ex his venerant in Angliam, ubi sententias suas venditando, disputationes, et turbas concitabant. At vero res ipsis male cessit. Nam tres ex his comprehensi ad rogum damnati sunt: ad hæc Rex statutum, quod jam antea de his fecerat, renovavit, et confirmavit. Declaravitque, quod quamvis sibi non bene conveniret cum Romano Pontifice, et ab ejus communione etiam sua sponte recessurus esset, si sibi adversaretur, in causa sui matrimonii, tamen non dimissurum Catholicam Religionem. Ipse vero Henricus in suo libro, quem confecerat contra Lutherum, probavit in vera Christi Ecclesia eum non posse esse, qui Petræ non adhæreret, supra quam Christus suam ædificavit Ecclesiam. Libido, et cæcus amor fecit, ut quod prius bene docuit, deinde neque ipse observaverit.

Henricus, quamvis irretitus amoribus Bolenæ, tamen Catharinam secum in eodem regio palatio manere passus erat usque ad a. 1532. quæ sponte recedere noluit impavida adversus Henrici quamcunque protervam libidinem. Proba, pia, et omnibus virtutibus fuit ornatissima femina; et ne tantum generaliter qualis fuerit, memorem, singulis feriis sextis, et sabbatis jejunabat, ante festa vero Beatissimæ Virginis jejunium hoc ejus strictius etiam erat in solo pane, et aqua, singulis septimanis conscientiam Sacramentali confessione bis expiabat, singulisque Dominicis diebus Christum in Eucharistia sumebat, ad sex horas quotidie in templo erat, reliquas lectio-

ctioni librorum piorum, inprimis de Vitis Sanctorum, aliisque pietatis operibus impendebat. Contra vero Bolenae erant virtutes, voce, et fidibus scite, jucundeque canere, eleganter saltare, verborum svavitas, composita ad facetias, et jocos indoles: quibus ipsis rebus in sui amorem Henricum natura levem, et ad libidines pronum pellexerat. Hoc vero tempore Catharinam extrusit e palatio, et misit in quampiam arcem, nuptias celebraturus cum Bolena. Guillelmo Varamo Archiepiscopo mortuo, viro egregio, partibusque Reginæ addicto Rex Thomam Cramnerum nominavit Archiepiscopum Cantuariensem, et Primatem totius Angliæ sub ea conditione, ut etiamsi Romanus Pontifex sententiam tulisset pro matrimonio legitime inito, ipse tamen contrarium decerneret. Erat non solum depravatus hæresi, verum etiam libidini supra modum deditus, ita ut scortum etiam iter faciens secum veheret occulte, atque, ut Sanderus *lib.* 1. *de Schismate Anglico* dicit, in cista. Nondum vero vel per hunc lata sententia de matrimonio cum Catharina, se Henricus copulandum cum Bolena curavit per quemdam presbyterum Rolandum, quam Marchionali titulo paulo ante ornaverat, ne parum nobilem personam duxisse videretur. Rolandus, cum ei Rex dixisset, quid ab eo vellet, Spero, ait, Majestatem tuam habere diploma Pontificium. Annuit Rex. Rolandus autem adhuc dubius, et timens, nequid illicitum admitteret, Sacri, inquit, Canones postulant, nostraque valde interest, ut literæ Pontificis palam legantur, et promulgentur. Respondit Rex, esse has repositas in secretiore loco, quo nemini alteri, praeterquam sibi, sit accessus: dedecere autem, ut ipse pro his afferendis eat. Acquievit Rolandus,

et

et caerimonias copulationis peregit: neque enim hoc cum Bolena novum matrimonium valere poterat vivente Catharina priore legitima uxore. Rolandus ab Rege Episcopatum Lichefeldiensem praemium tulit. Bolena jam post quintum mensem ab his nuptiis filiam enixa est Elisabetham. Nonnulli in dubium vocant, an ex Henrico, vel alio hanc susceperit. Illud videtur certius, quod Henricus Elisabetham ultimis tabulis inter haeredes regni scripserit. Ipsam Bolenam quidam ferunt filiam fuisse ejusdem Henrici ex commercio cum Bolenae matre. Sed nihil certi, eoque magis, quod ejusmodi illiciti, et inhonesti amores clandestino peragantur.

§. 20.

A Clemente VII. R. P. excommunicatus Henricus VIII. Facit schisma. Sævit.

Cum matrimonii hujus fama, ait Sanderus *cit. loc.* fines Angliæ egressa ad exterorum aures pervenisset, dici non potest, quantum admirationis, doloris, et indignationis in Christianorum Principum animis excitaverit. Imprimis vero Carolum V. Imp. indignissime rem tulisse, obtestatumque esse Pontificem, ne rem hanc impunitam sineret: hunc vero pro ea, qua semper fuerit in Henricum indulgentia, nihil præpropere voluisse agere. Quin Clemens VII. Pontifex ea etiam de causa in Galliam perrexit, et Massiliæ Franciscum I. Regem Galliæ convenit, ut per hunc, quod summa esset cum Henrico amicitia conjunctus, Regis animum ab Annæ complexu retraheret. Venerunt Massiliam etiam Henrici legati, qui vero

tam insolenter se gesserunt, ut Pontifici palam obloqui, et ab ejus auctoritate ad concilium nescio quod (ejusdem Sanderi sunt verba) futurum provocare non desisterent: tunc et Franciscum Henrici pudere, et Pontificem indulgentiæ poenitere coepit. Franciscus autem Pontifici svasor fuit, ut Henrici causam deinceps ex legum Ecclesiasticarum praescripto decideret. Post suum reditum Massilia Pontifex a. 1534. sententiam in Henricum tulit. Ille autem indignatus a Romani Pontificis observantia recessit. Habetur concilium Londini, in quo Ecclesia Anglicana formam potestatis, nullis ante temporibus visam induit, Henricus enim Rex caput ipsius Ecclesiæ constituitur, eique ob id primi fructus omnium Sacerdotiorum vacantium, ac eorumdem decimæ quotannis perpetuæ assignantur. *Polydor. Virgil. lib.* 8. *Hist. Angl.*

Eodem anno ad diem 3. Novemb. Henricus comitia regni indixit. In his obtinuit Henricus, ut quæcunque ipse vellet, suffragiis Ordinum decernerentur. Habebat Cramnerum totum suæ voluntati addictum, qui jam etiam sententiam tulerat, adversus matrimonium Henrici cum Catharina, nec non alios Episcopos, qui partim aperte ei faverunt, partim timore obmutuerunt. Quos noverat, cordatos, horum alios impactis per calumniam criminibus in carceres conjecerat, alios per literas monuerat, ne ad Comitia venirent. Seculares alii Regi assentabantur, alii etiam plaudebant in sinu ob ea, quæ fiebant, afflati Lutheri erroribus. Statuta itaque facta sunt in his comitiis, primo, ut Maria filia ex Catharina honore natalium, ac omni regnandi jure privaretur; deinde, ut omnis potestas, ac jurisdictio in Anglia Pon-

Pontifici Romano in perpetuum adimeretur, reusque perduellionis fieret, si quis deinceps quidpiam honoris, vel auctoritatis Sedi Apostolicae detulisset; Anglicanæ vero Ecclesiæ summum in terris caput, solus Rex ut haberetur, cujusque solius sit plenissima auctoritate omnes abusus emendare, errores, atque hæreses damnare: quin ipsum nomen Papæ etiam Henrico collatum fuit: quo assumpto edixit, ne quis ullum Romanum Pontificem Papam vocaret, sed solummodo Episcopum, idque tanta cum acerbitate, ut capitis poena in eum decerneretur, in cujus libro nomen Papae reperiretur non deletum. Itaque in calendariis, in libris Patrum, et Theologorum, et per totum Jus canonicum Papæ vocabulum litura delebatur, vel obducebatur: quin etiam in fronte Operum SS. Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Leonis, Gregorii, Prosperi, ac aliorum Ecclesiæ luminum, singuli adscribere coacti sunt, si quid in his Operibus inesset, quod Romani Pontificis Primatum tueretur, aut confirmaret, se illi verbo, sententiæ jam nunc renunciare, nec tanti criminis velle reos esse, ut quibusvis Patribus, aut Doctoribus ea in re assentiantur. Omnis etiam communicatio per literas cum Romano Pontifice, ejusque ministris sub poena laesae majestatis fuit prohibita. In litaniis præterea, et omnibus precibus tam publice, quam privatim factis, in locum petitionis illius, quæ a Christi fidelibus pro Domno Apostolico per universum orbem fieri solet, Henricus hæc verba impia apponi, imprimique præcepit: *Ab Episcopi Romani tyrannide, et detestandis enormitatibus libera nos Domine.* Quaesivit Henricus etiam Franciscum I. Regem Galliae inducere ad idem faciendum in regno suo, quod ipse fecerat in An-

Anglia: qui vero illius legatos nequidem hac de re audire voluit. Re ab Rege Galliæ non obtenta, iidem legati ad Germaniæ Principes profecti sunt ob eamdem causam. Ex his etiam ii, qui Protestantes erant, quamvis sibi gratulati essent, Henricum ab Romani Pontificis obedientia descivisse, improbabant tamen, et suam displicentiam ostenderant, quod Henricus suæ ab Romano Pontifice defectionis causam in tam turpi re constituisset, nec ullo modo persvaderi ab legatis iis potuit, ut factum approbarent. Quæ res Henricum vehementer offenderat, fecitque, ne Henricus, ut Sandero perhibente, credebatur facturus fuisse, palam ad sectam Lutheranorum transiret. Etiam Calvinus *Comment. in Amos.* Henrici primatum, quem sibi sumpserat Ecclesiasticum, oppugnavit.

Formulam etiam juris jurandi præscripserat Henricus Clericis omnibus, et magistratibus, quo se obstringerent ad confitendum, illius cum Bolena nuptias esse factas legitime, illumque esse supremum Ecclesiae Anglicanæ caput, nec ullam obedientiam Romano Pontifici se exhibituros, aut illius excommunicationem curaturos. Joannes Fischer Episcopus Roffensis, et Thomas Morus regni Cancellarius huic formulæ renuerunt subscribere. Quibus cum in argumentum subscriptionis auctoritas totius Regii Senatus, quo consentiente, et probante condita esset hæc formula, allata fuisset, Morus, *Si, solus* ait, *me opponerem, me deceptum crederem: dum autem mihi supremum Angliæ Consilium adversatur, pro me militat universa Ecclesia, quæ est supremum Christianorum Consilium. Apud Sanderum.* Ambo conjecti sunt in Carceres, et post squalores mensium

qua-

quatuordecim in carcere gladio percussi sunt. Pro liberatione Joannis Fischer egerat Franciscus I. Rex Galliæ a Paulo III. Romano Pontifice rogatus. Nihil tamen obtinere ab Henrico potuit. De hujus supplicio sic scribit Sanderus lib. 1. c. 133. *Ad decimum Calend. Julias Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, quo nihil aut doctius, aut sanctius Anglia protulit, paene jam decrepitæ aetatis ad judicium primo, deinde, quod Henrici Primatum Ecclesiasticum nollet confiteri, ad mortem producitur. Qui simul ac scenam, in qua gloriosum certamen consummaturus erat, e longe conspexisset, abjecto, quo senex nixus est baculo, Eja, inquit, pedes, officium facite, parum jam itineris restat. Constitutus autem in loco martyrii, sublevatis in caelum oculis,* Te Deum, *inquit*, laudamus, te Dominum confitemur: *quem hymnum ubi totum absolvisset, cervices securi subjecit, animam Deo reddidit, justitiæ coronam accepit. Caput hastili affixum, et in ponte Londinensi omnium oculis expositum, quo diutius ibi suspensum manebat, eo magis floruisse, ac venerabilius factum esse dicitur: ob quam causam loco amotum traditur.* Idem de Capite Fischeri habet Cochlæus ad a. 1535. in Actis Lutheri. In alios, eosque permultos, maxime ex Ordinibus Religiosorum, ob eamdem causam saevitum est adhuc crudelius. Primum laqueo constricto collo appensi ad furcam sunt eousque, donec incepissent deficere; deinde demissis carnifex gladio pectus aperuit; et viscera evulsa in spirantium adhuc oculis cremavit. Aliquamdiu Rex solus peragebat omnia munia sui Papatus, Regii tamen Consilii adjutorio. Deinde ad imitationem Episcoporum, qui Vicarios sibi adjungunt ad gubernanda negotia Ecclesiastica, ipse quoque Thomam

mam Cromvelum suum fecit vicarium in Spiritualibus, hominem laicum (prorsusque apte, siquidem et ipse Henricus, Ecclesiæ Anglicanæ Papa, fuerit laicus) et literarum prorsus rudem. Tonsor fuit opificio, et in servitio aliquamdiu Volsaei Cardinalis, et Archiepiscopi: ab hoc didicit, ire in eam partem, in quam aura flaret, pervenitque in notitiam aulæ. Huic Vicario suo Rex potestatem dedit visitandi etiam monasteria: qui vero monachis novas leges, nova instituta praescribebat eum in finem, ut dum ista deinde non observata essent, quia nec observari recte poterant, ansam reperiret contra hos monachos, qua arrepta illorum etiam monasteria sufferret, ut horum proventus ad se traheret. Idem ab expulsione monachorum e monasteriis, horumque expilatione insatiabili praedandi cupiditate ulterius processit. Nam cum vidisset imagines quasdam Sanctorum, itemque monumenta Martyrum in honore apud plebem Christianam esse, plurimaque donaria quotidie offerri, auctor Henrico fuit, ut omnes Angliæ Sanctorum imagines celebriores una cum memoriis Martyrum, auro, et argento refertis e medio tollerentur, praetexendo idola sufferri. Corraserat itaque Henricus ingentem vim auri, et argenti, aliarumque rerum pretiosarum. Monumentum S. Thomæ Cantuarensis Archiepiscopi erat insigne maxime, et locupletissimum. Hoc vero Henricus non erat contentus depraedari, verum etiam in ipsum Sanctum actus horrendis furiis est, idque propterea, quod contra Henricum II. Regem Ecclesiæ libertatem invicte defendisset. Nam hunc quasi viventem in judicium vocavit, et quia citatus se non stiterat, condemnavit velut proditorem, et contumacem; deinde exhumari jussit, et comburi, cineresque spargi

gi in aerem. Postquam Henricus Ecclesias, et monasteria expilavisset, Clerumque omnibus reditibus spoliasset, ad aliorum etiam bona, et facultates se vertit, Angliamque universam sic depeculatus est, ut fere dimidiam bonorum partem ab omnibus Anglis abstulerit, et ne quis contra hiscere auderet, legem quoque tulerit, idque svadente Cromvelo suo vicario, ut si quis absens et causa indicta crimine læsæ majestatis damnatus esset, non minus vim haberet condemnatio, atque duodecim virali judicio (quod apud Anglos supremum tribunal est) ille condemnatus fuisset. Cujus vero legis vim ipse Cromvelus omnium primus expertus est. Nam non multo post ab Ordinibus regni haereseos, perduellionis, repetundarum, furtorum, et homicidiorum damnatus, et raptus ad supplicium est, nulla concessa facultate sui defendendi. *Sanderus l.* 1. *Hist. Angl.*

§. 21.

Exitus rerum Bolenae, et Henrici. Ei succedit Edvardus filius. Religionis status sub hoc in Anglia.

Catharina legitima conjux Henrici a. 1536. die 6. Febr. non sine suspicione veneni e vita excessit anno ætatis 50. et a suo adventu in Angliam 33. cum prius literas ad Henricum scripsisset, velut dilectissimum conjugem suum, monens eum, ut salutis animæ suæ rationem haberet, atque hanc omnibus aliis rebus potiorem duceret, et condonans ei omnia ex animo, quæ ab illo passa erat, nec non Mariam, communem filiam, ei commendans, ut patris erga eam officium præ-

stet.

stet. Hæ Catharinæ literæ Henrico expresserunt lacrymas. Non tantum igitur Mariam filiam in gratiam recepit, sed quoad jus sibi succedendi etiam Elisabethæ, quæ ex Bolena nata est, anteposuit. Bolena quoque post Catharinae obitum jam quarto mense migravit sed dissimili morte. Hæc Henrico, masculam prolem cupienti vehementissime ediderat partu suo informem carnis massam. Hinc illam fastidire coepit. Bolena autem Henricum volens decipere per suppositionem masculæ prolis, et insuper regnum Angliae ad Bolenos transferre, cum Georgio Boleno fratre suo germano concubuit: cumque res successum non habuisset, se se pluribus aliis prostituit, et extremum cuidam Marco Smetono musico. Henricus Bolenam cum fratre Georgio, et quatuor amasiis in vincula conjecit. Bolena die 29. Maji adulterii, et incestus crimine damnata capite plexa est, et triduo post illius frater cum reliquis, quos consortes criminis Bolena habuit, idem supplicium subiit. Henricus postea Joannam Seimeram Bolenæ pedisequam duxit uxorem, in quam a Bolena suos transtulerat amores. Hæc in partu, quo filium Edvardum enixa est, mortua est. Post hanc Annam Guillelmi, Cliviæ, et Juliæ Ducis sororem sibi copulavit matrimonio. Hanc a se celeriter rejecit praetexendo, non esse validum matrimonium, quod Anna in puellari aetate Duci Lotharingiæ promissa fuerit, et Cromvelo ferente sententiam de matrimonino, quod nullum sit. Vera autem causa fuit, quod Catharinam Hovardam neptem Ducis Notfolciæ præ illa amare coeperit: quam non multo post adulterii ream capite plecti jussit publice in foro. Tandem jam sextas nuptias celebravit cum Catharina Baronis Latimeri vidua. *Idem, qui supra.*

Hen-

Henricus vixit usque ad a. 1547. Qui cum jam morbo vehementius premeretur, coepit cogitare de sui reconciliatione cum Sede Apostolica, et adhibitis nonnullis Episcopis in consilium de ratione istius reconciliationis perficiendæ, ejus præterita crudelitas fecerat, ut nemo eorum auderet sensa sua ei aperire, eo, quod scirent, multos neci datos esse, dum vel ipsi Henrico, vel Cromvelo, fuissent locuti ex animi sui sententia, quamvis jussi essent libere edicere, quod sentirent. Aulici autem partim assentatione, partim ne exciderent bonis Ecclesiasticis, quæ sibi habebant a Rege donata; illum hortabantur, ut hunc velut scrupulum sibi excuteret ex mente. Itaque decessit, antequam reconciliatus esset. Agnoverat tamen conjunctionis cum Apostolica Sede necessitatem, qui se prius per schisma ab eá alienaverat. Belchairus *Hist. Rer. Gallicar. lib.* 20. refert post latam a Clemente VII. sententiam in Henricum die tertio venisse nuncium ab eodem Henrico mandatis amplissimis instructum, ad transigendam ejus causam cum Romano Pontifice. Quia vero sententia jam fuerit lata, illum indignatum recessisse a Pontificis observantia. Hinc visum fuit quibusdam, si modicam tantum moram adhibuisset Pontifex, præpediri potuisse ea, in quæ deinde Henricus delapsus est. At vero Pontifex, quamvis sententiam tulerit, prorsusque non festinanter, et quam neque tunc adhuc tulisset, nisi ad eam ferendam Corolus Imperator tantopere ipsum ursisset, et impulisset; tamen ipsius promulgationem suspenderat ad medium annum, et quæ neque tunc adhuc promulgata sit, utpote cujus promulgationem tantum Paulus III. Clementis in Pontificatu successor fecerit die 30. Oct. a. 1535. subsequentis post menses circiter viginti.

Non

Non igitur hoc fecerat, ut Henricus prorumperet in apertum schisma, sed quia viderat, spem non esse, ut a Romano Pontifice approbetur ejus matrimonium cum Bolena, quique se obstinaverit scindere a Sede Apostolica, ut hac ratione videretur non debere parere illius sententiae, quandocunque hæc lata fuisset. Atque hoc jam etiam declaraverat Bellajo, quem Franciscus Rex Galliæ post suum cum Clemente VII. Massiliensem conventum ad eum miserat in hoc negotio, dicens, si Clemens suam fulminationem differret, se quoque, quod animo intenderet, nempe ut Clementi pristinam observantiam renunciaret, dilaturum. *Apud eumd. Belchair. cit. loc.* De instante mortis articulo monitus ab amicis pateram vini albi poposcit, atque ad unum e suis conversus, *Omnia,* inquit, *perdidimus, fidem, regnum, animam.* Intermortuis deinde vocibus Monachorum nomen aliquoties ingeminasse dicitur, atque ita exspirasse, docet Sanderus. Hi monachi erant, quos interfecerat iniquissime, et crudelissime, quod ipsius nefario connubio et schismati assentiri noluerint.

Henrici testamento Edvardus filius ex Seimera proximus positus erat successor, post hunc Maria filia ex Catharina, tertio autem loco Elisabetha filia Bolenæ. Edvardus puer erat novem annorum, quem tutelæ commendavit Caroli Imperatoris, deditque ei sedecim gubernatores regni, ut etiam si horum aliqui potestatem regiam ad se trahere conati essent, his resisterent alii. At vero Edvardus Seimerus, Regis Edvardi avunculus Herefordiæ Comes, deinde Somerseti Dux, sibi vindicavit et tutoris munus, et gubernationem regni illis, qui ab Henrico erant constituti gubernato-

res,

res, non ausis obsistere. Hic vero erat Zvinglianus, et Edvardum quoque puerum per Richardum Coreum, et Joannem Checum, quos ejus institutioni praefecerat, eadem Zvingliana hæresi imbuit. Idem adhuc eodem anno, quo Henricus decessit, regni comitia Londini celebravit, in quibus sancitum est, ut Ecclesiarum omnium omnes reditus, et proventus piarum fundationum cujuscunque generis ad Regium aerarium inferrentur: abrogatæ præterea sunt Ordinationes Episcoporum, et Presbyterorum secundum formam priorem, aliusque substitutus est, tam Ordinationum quam aliorum Sacramentorum ritus in eorum administratione: cumque imagines, et statuæ Sanctorum in multis adhuc locis superessent, hæ omnes, ipsius etiam Christi, comminutæ et combustae sunt; abrogatum est Missæ sacrificium: in locum autem Sacrarum imaginum, earum etiam, quæ Christum repraesentabant in cruce pro salute humani generis pendentem, substituta sunt Regis insignia. Liber quoque confectus est continens doctrinam, et instituta religionis, in eum modum, qui erat Zvinglianis, neque aliter, quam juxta hunc permissum fuit docere populum in Ecclesia, et pueros in scholis. Cramnerus sub Henrico VIII. factus Archiepiscopus Cantuariensis fuit, qui maxime secundaverit Seimeri istis nefandis institutis ad convellendam Religionem, et jam nunc, quod ante non audebat sub Henrico, ipsam etiam externam speciem exuit hominis Catholice sentientis, scortum quoque illud, quod ad hoc tempus fovebat non tamen aperte, palam pro uxore sua coepit habere. Quæ dum in Anglia fierent, Protestantes in eam statim advolarunt, quod jam tentarunt etiam antea facere. Petrus Martyr, Martinus Bucerus, quo-

quorum jam prius facta mentio est, et Bernardinus Ochinus Ordinis Minorum, quos Observantes vocant, antea Generalis, deinde vero apostata, horum erant præcipui. His consiliariis consultatum fuit, num Christi verum corpus esse in Eucharistia, credendum esset: Buceri et Petri Martyris vicit sententia, non esse verum corpus sed solam Christi corporis figuram. Etiam illuc venit in deliberationem, essentne quadragesimae et cetera jejunia per annum juxta Ecclesiæ vetus institutum servanda, decretumque est, Regii Senatus auctoritate interveniente, retinenda esse, quia ex piscium commercio magnos Anglia capiat proventus, deinde quod sic parceretur pecorum gregibus. Ita, quod prius officium erat Religionis erga Deum, verterunt in suum proprium commodum, et lucrum.

Plures Episcopi, qui sub Henrico Rege metu obtorpuerant, ex tanto casu, et ruina Religionis excitati, se se opposuerunt Seimero, Cramnero, ceterisque qui Religionem omnem discerpserant: sed contra vim majorem nihil proficere poterant: abductique sunt in carceres, multi etiam ex laicis, quibus cordi fuit Religio, ex Anglia emigrarunt. Rustici cum vidissent altaria everti, et profanari omnia, quæ etiam sanctissima habet Religio, arma corripuerunt in ejus defensionem ad decem eorum millia. Quorum primus impetus cum defervuisset, data impunitatis promissione ob seditionem hi se se composuerunt. Etiam Anabaptistarum magnus numerus se se ingesserat hoc tempore in Angliam; istos vero Angli heterodoxi minus tolerare voluerunt, quam Catholicos, fuitque ab Anglis constitutum adversum eos inquisitionis tribunal, et qui deprehensi sunt, ad ro-

gum

gum damnabantur. Sic se res in Anglia habuerunt usque ad mortem Edvardi, qui jam anno ætatis decimo, et sexto lenta tabe consumptus, decessit. Hunc, dum pervertere incepissent ejus præceptores, Maria soror adiit, et monuit, ne se heresi contaminari sineret. Quod si Henricus pater Pontificis odio a Romana Ecclesia descivisset, non esse diutius in errore insistendum: quoniam cum peccatum Henrici fuisset gravissimum, quia auctor tantæ impietatis suis exstiterit, certe multo gravius futurum filii peccatum, si sceleratorum hominum persvasionibus ab recta Religione, et a vera fide Christi se abduci passus fuerit. Rex hæc, et plura alia sororis verba, non sine lacrymis, ingentique trepidatione audivit, respondítque, se nescire quid agere debeat in hac tanta re, futurum esse, ut magis opportune de hac cogitare possit. At nunc se gubernatoribus debere parere. His dictis lacrymabunda soror a lacrymabundo fratre discessit. Gubernatores cum puerum ita moestum, et prope afflictum conspexissent, rati id, quod erat, non passi sunt amplius, ut Maria cum puero Rege loqueretur. *Natalis Comes lib. 4. Histor. sui temporis.*

§. 22.

Post Edvardum, Maria regnante, reflorescit Religio in Anglia. Quali artificio usi sint hæretici ad concitandum populum contra Reginam, et Religionem.

Edvardus autem, qui inter Reges Angliæ sextus hujus nominis est, adeo deinde combibit hæresim, huicque affectus erat, ut morti vicinus

ege-

egerit, ne Maria soror Catholica ei in regno su cederet; cavere volens, ne per eam Religio Anglia revocetur Catholica. Quare etiam Joanna Henrici Graji Ducis Suffolciensis filiam, sibi c gnatione conjunctam de consilio Joannis Dull Ducis Northumbriae designavit, quæ sibi succ deret. Jamque, post mortem Edvardi dies er praestituta, qua coronanda esset. Cum vero futurum esset cum injuria Mariae vi testamei ti, per Henricum facti, populus adeo offens est; ut plures provinciae ultro in Anglia consu rexerint ad regnum asserendum eidem Maria Quo viso, cum ii quoque, qui in partes Joa næ erant pertracti, in partes Mariæ transiisen hæc coronata est, die 1. Octob. a. 1553. sed r pudiato illo titulo, quem Henricus, et Edvard gesserant Capitis Anglicanæ Ecclesiæ. Dullæ Dux Northumbriae, Joanna Graja, atque huj factionis primarii omnes, perduellionis damnat capitali poena affecti sunt. Ne autem appe posset probro natalium non legitimorum, qu nomine ii, qui Joannæ Grajæ studebant, ipsa incesserant, conventum Procerum instituit, q pronunciavit, et matrimonium Henrici cum C tharina, matre Mariæ, fuisse legitimum, ipsan que Mariam toro conjugali prognatam. Regina dum Polum Cardinalem, quem Henricus VIII. e Anglia fugere coegerat, constituto in ejus cap millibus aureorum quinquaginta in Angliam illic revocavit, atque omnes ceteros, qui erant pul in exilium, et eos qui in carceribus detinebantu libertati sunt restituti, nec non ad munia, et d gnitates suas pristinas repositi. Dedit postea sua sponte, et Polo etiam suam operam conferen te ad Julium III. Rom. Pontif. literas, quibus suam ei obedientiam testabatur, et absolutione

a schismate Angliæ petebat. Pontifex ad hoc perficiendum Polum constituit legati sui munere decoratum, et amplissima potestate instructum. Regina, ut Angli redirent, nec inviti, ad obedientiam Romani Pontificis, summa perfecit prudentia. Exposuit, sibi eam, quæ prius in Anglia obtinebat, probari Religionem, eam vero displicere, quæ recenter introducta esset etiam contra mentem Regis Henrici. Nam et illum voluisse conservatam habere pristinam Religionem: nec tamen se velle quempiam ad Religionem cogere. Quo obtento consensu Polus Angliam vinculo schismatis solvit, et Catholicæ Religionis instituta revocavit: missi etiam legati sunt Romam ad Apostolicam Sedem, qui totius nationis Anglicanæ nomine eidem Sedi profiterentur obedientiam, et subjectionem. Quo autem promptius ii, qui haeresium opinionibus depravati erant, ad Ecclesiam Catholicam redirent, et ne bona Ecclesiarum, vel monasteriorum, quæ tenebant, metusque de his amittendis in hæresi detineret, idem Polus edixit, nemini, etiamsi dimittere illa nollet, molestiam aliquam exhibitum iri. Romanus Pontifex, hanc tribuens Polo potestatem, dicebat, Satius esse animas lucrari, quam bona illa recuperare.

Anno postquam ad regni solium evecta fuit, Maria nupsit Philippo II. Hispaniæ Regi ea conditione, obtento consensu ab Ordinibus regni, ne Philippus hinc ullum sibi jus acquireret ad Mariæ succedendum in regno. Cavebant, ne sub Hispanorum venirent potestatem. Non eo minus adversus hoc connubium insurrexerunt ii, qui affecti erant hæresi, seditionemque moliebantur: cumque res, vi tentata, non successisset, inauditum, ut est scriptum a Sandero *lib.* 2. adinve-

ne-

neruut stratagema. Induxerunt quippe quamdam puellam, octodecim annos natam, hæresi simul, et pretio corruptam, in eam improbam simulationem; ut se permitteret in abdito inter duos muros cujusdam domus angulo ad tempus concludi, et per fistulam, ad id aptatam, eas voces edere, quas istius strophæ artifices suggererent ei. Nomen puellæ Elisabetha Crosta erat, doli auctor quidam Dracus. Ita ergo illa instructa mirabiles emittit continuo ex antro suo voces, easque tam sonoras, ut per omnes vicinos audiretur. Accurrunt undique cives, quid sit, inquirunt, mirantur, voces non mortalis hominis, sed Angeli esse clamabant; Urbi, ac reipublicæ iste spiritus comminatur miseriam, ærumnas, mala omnia, si nuptias cum Hispano, aut communionem cum Papa Romano admitterent. Multa item contra sanctum Sacrificium, et reliquam fidem Catholicam, quasi oracula, fundebat. Erant ex consciis, qui data opera se turbis adstantibus semper ingererent, atque hujus spiritus propheticas, obscuriores sententias ad Religionis eversionem, et seditionem movendam interpretarentur. Magistratus autem ad multitudinem compescendam, et quid rei esset indagandum advenit: fraus difficillime apparuit. Sed tandem inito consilio de defodiendo muro, et vicinis parietibus, unde voces reddi conjiciebat, reque hac facta, misera puella prodiit, ac examinata, quorum svasu, et consilio hoc fecerit, confessa est statim, se a quibusdam seditiosis sectariis, et ab eo inprimis, quem nominavimus, Draco, ad istam nequitiam inductam fuisse. Auctores fugiunt: puellæ publice castigatæ reliqua poena condonata est: et ita res tota in risum, et in majorem hæreseos detestationem, quæ tam diabolicis sustentaretur artibus, recidit.

Au-

Auctores hujus seditionis aliqui capite plexi unt, alii partim acti in exilium, partim carceribus, vinculisque mandati sunt. Hujus conjurationis particeps fuit etiam Elisabetha Bolenæ filia: cui vita condonata ad Procerum preces est, missa autem Wodstochium, et mandata custodiæ. Post id Regina, ut regnum purgaret ab hæreticis, qui non tantum subverterent Religionem, sed quos etiam seditionis adversum se concitatores, experta esset, et hostes tranquillitatis publicæ, edictum fecit suffragante Senatu Regio, quo hæretici omnes, qui aliunde venissent in Angliam, nec adscripti in civitatem essent, nec in munere positi aliquo publico, intra certum tempus excedere ex Anglia jussi sunt. Triginta et amplius millia eorum erant, qui se efferre debuerunt. De Petro Martyre deliberatum fuit in Senatu Regio, an non expediret, in hunc gravius etiam animadvertere, et ad rogum damnare, qui inter ceteros maxime exitialis exstitisset Angliae. Unde tamen visum est, abstinendum, ne fides publica, qua venerat sibi data, infringeretur. Buceri autem, et Pauli Fagii, qui ambo cum Petro Martyre Argentorato ab Edvardo Rege vocati venerant in Angliam, ad hanc reformandam, (prout Reformatores omnes loqui solebant,) jamque vita functi erant, ossa exhumata, et tradita flammis sunt. Cramnerus quoque sub Henrico VIII. factus Archiepiscopus Cantuariensis, qui non minimam hæresi propagandæ in Anglia navaverat operam sub Edvardo Rege, in jus vocatus, et condemnatus ad rogum est. Simulando, se mutasse mentem, voluit se eripere supplicio. Cum autem sincere hoc eum facere, creditum non fuisset, speque sua excidisset, in ipso articulo supplicii declaravit, non nisi fictum illud fuisse, quod dixerat de suæ mentis mutatione.

ne. Polus Cardinalis factus est Archiepiscopus Cantuariensis, illo e Sede ejecto, et supplicio affecto. Fuit non tantum natione Anglus, sed sangvine junctus etiam familiæ Regiæ, quippe filius Richardi ex Margaretha filia Georgii Ducis Clarentiae, qui Edvardi IV. frater erat. Cum jam exul, atque extorris ab solo patrio esset, et literis suis Henricum Regem deprecatus fuisset, ne se, et regnum mitteret in exitium rumpendo communionem cum Ecclesia Romana, hinc in furorem actus, quia Polum jam in sua potestate non habebat, saeviit in ejus matrem, et cognatos, eosque interfecit. *Sander. lib.* 2. *Belchairus lib.* 36. *Natal. com. lib.* 7.

§. 23.

Elisabetha Regina revehit schisma Anglicanum. Ejus diritas in Catholicos, et caedes Mariae Stuartæ.

Serenitas, quæ post nubilum illud, ab Regibus Henrico, et Edvardo inductum, rediit in Anglia sub Maria Regina, diuturna haud fuit. Ab anno 1553. usque ad a. 1557. tantum duravit Mariæ imperium in Anglia, quo obiit maximo cum Religionis damno. Cum aegrotasset ex tumore stomachi, et ventris, ut postea compertum fuit, et se curæ commisisset obstetricum, quod infirmitatem putasset processisse ex foetu, quem utero gereret, harum, quibus se credidit, inscitia, mortua est. Elisabetha, Bolenae filia ei successit vi testamenti, per Henricum VIII. facti. Sub Maria gerebat se veluti Catholicam, et dum coronaretur etiam jus jurandum dederat de Religione

Catholica asserenda, et tuenda. Quia vero et r Romanum Pontificem, et Senatum quoque gium Anglicanum connubium Henrici VIII. cum lena judicatum fuit illegitimum, Henricus II. x Galliae statim Maria mortua proclamaverat, gnum Angliae esse devolutum ad Mariam Stutam, quæ nupta erat Francisco II. ejus filio. at enim Maria filia Margaritæ, sororis Henrici III. Regis Angliæ, et Jacobi V. Scotiae Regis, eoque Elisabetha submota, velut toro non letimo nata, ad illam jure successionis spectabat gnum Angliæ. Elisabetha, postquam coronata it, legatos statim miserat ad Paulum IV. Rom. nt. de Regia dignitate, ad quam evecta sit. espondit Pontifex, citra Sedis Apostolicæ consum non ipsam debuisse capessere Regiam diitatem, eo, quod regnum Angliæ illius esset dum, dumque natalium laboraret impedimen-: non eo minus tamen eam hortabatur ad bene erandum de suo paterno erga eam affectu, si m suo committere voluerit arbitrio. Quod illa cere noluit: sed convocatis regni comitiis, et aevalentibus ceteris adversum Episcopos obtinuit, Acta, et decreta Mariæ Reginæ omnia rescinrentur, Edvardi autem ad pristinam auctoritam, et vigorem reponerentur. Itaque se quoe posuit pro capite Anglicanæ Ecclesiæ, plesimamque sibi ejus regendæ sumpsit potestatem l indicenda, et celebranda concilia, iisque prælendi, ad leges, et statuta Ecclesiastica conden-, et judicia exerçenda de erroribus, et hæresis, nulla Episcopis relicta potestate, nisi quam placito haberent Reginæ; et in quantum hæc sis commissa esset. Præscripsit formulam jurisrandi Episcopis, et toti Clero, qua testarentur credere, Reginam esse solam supremam gu-

bernatricem non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus, vel causis, quam temporalibus, neque alium ullum esse, qui aliquid potestatis, et auctoritatis spiritualis habeat in regno. Proventus Ecclesiarum et monasteriorum, quæ a Maria iis, ad quos spectabant, restituti erant, suo iterum aerario addixit; Vicarios suos in spiritualibus constituit, abrogavit Missæ sacrificium, Imagines eliminavit ex Ecclesiis, reformavit Martyrologia, et Calendaria. In quibus in Martyrum numerum adscripsit Joannem Hus, Wiclefum, Cramnerum, Cromvelium, inter Confessores autem collocavit Lutherum, Petrum Martyrem, Henricum VIII. Edvardum VI. nec non Erasmum Roterodamum.

Tribunal præterea institutum est ab Elisabetha, ad causas, et negotia omnia Ecclesiastica tractanda, quæ Curia delegatorum fuit appellata, quod vices delegantis Reginæ repraesentarent. Concionandi, et verba faciendi ad populum nulli facultas erat, nisi habenti scriptam facultatem a Regina. Demum ad hæc omnia firmanda, et stabilienda, indixit conventum generalem totius Cleri. Sperandum erat, ut hic simul congregatus animosior fieret adversus postulata Reginæ, tam exitialia Religioni. At vero ex novem millibus, et quadraginta, qui numerus Cleri erat, præter Episcopos 14, Archidiaconos 12, Rectores Collegiorum 15, Canonicos 50, et Parochos circiter octoginta, reliqui omnes ad ea, quæ Regina ab ipsis postulaverat, assensi sunt, atque illis statutis, de Religione ab Regina factis, subscripserunt. Qui vero subscribere renuerunt, pulsi in exilium sunt, in eorumque locum ejusmodi suffecti, qui Reginæ voluntati in omnibus secundarent. *Bonus*

pa-

istor animam suam dat pro ovibus suis. Mernarius autem videt lupum venientem, et dimit-: oves, et fugit. Joan. 10. v. 11. Nam dum re-:tæ oves a pastoribus sunt, factum est, ut eas pus raperet, et dispergeret. Neque enim etiam e cessissent vi, sibi adhibitæ ad temerandam veim fidem tam facile, quemadmodum factum est, vidissent pastorum suorum fortitudinem, et nstantiam in ea asserenda.

Maria Stuarta mortuo Francisco II. cui nuserat, in Scotiam fuerat reversa, ubi aliud conubium iniit cum Henrico Stuarto, ex quo pronatus est Jacobus VI. sub quo deinde Anglia cum cotia conjuncta fuit. Maria autem cum patri suo iccessisset in regno, ejus vero frater Jacobus, ı illegitimo toro natus, et ideo in successione osthabitus, insurrexisset in Mariam, et praevaiisset viribus, illa fugit in Angliam: sed quo mius fidum non potuit sibi capere locum; et pror-ıs non consulte hoc fecit, postquam Henricus II. ex Galliæ proclamavisset ad hanc spectare jus lariæ Reginæ succedendi in regno Angliæ, non l Elisabetham. Sed illa fiduciam non eo minus illocaverat in Elisabetha, utpote sangvine sibi ncta, nec ea mente venerat in Angliam, ut aliıam molestiam Elisabethæ facesseret ob præream successionem. Qua vero suspicione Elisabea acta, nequidem ut hospitem suscepit, sed ipso iam hospitii jure violato, custodiae mandavit, ıuitque in hac viginti annis, donec capite etiam ecti eam jussisset. Erat semel atque iterum :ta conjuratio adversus Elisabetham. In harum picionem tracta fuit etiam Stuarta, et quaminnocens condemnata est a Senatu Regio, glaque percussa, postquam Senatus sententiam

sua etiam manu subscripsisset Elisabetha Regi
Ne illud quidem concessum ei erat, ut Sacer
Catholicus ad eam venire posset, quem unice
petebat, dum se præparasset ad agonem. E
enim Catholica et pia admodum femina: sed n
sus ad eam est minister illius religionis, quae A
glis nova erat. Quem vero Stuarta a se repu
E Scotia fugiens in Angliam secum etiam tul
Jacobum filiolum suum: quem Elisabetha educ
dum curavit in ea, quæ Anglis erat nova r
gio: qui Rex Scotiæ deinde factus, etiam in A
gliæ regno successit Elisabethæ a. 1603. H
quamvis ejus connubium expetitum esset a plu
bus Principibus, tamen coelebs semper man
ne dominatum partiretur cum viro suo.

Ab anno 1558. quo Elisabetha Mariæ in
gno successerat usque ad a. 1570. Romani Po
fices usi sunt patientia, et nihil in eam constit
runt, quamvis ita fureret adversus Religion
et vexaret hujus causa Catholicos, spe ducti f
ut mitesceret. Postquam vero post tantam
ram, et omnia alia remedia tentata nihil pr
ctum erat, S. Pius V. hanc patientiam non u
rius prorogandam existimavit, sententiamque a
thematis in Elisabetham tulit rescindendo om
etiam potestatem, quam Regiam exerceret su
Angliam. Nam cum non tantum per Roma
Pontifices matrimonium Henrici VIII. cum Cat
rina, verum etiam per comitia regni Angl
legitimum fuisse judicatum esset, atque hinc c
sequeretur, matrimonium ejusdem Henrici
potuisse stare cum Bolena; consequens erat,
que Bolenam esse ex legitimo Henrici toro
tam, ac proinde neque hujus legitimam fuisse h
redem. Hoc Romani Pontificis edictum Joan
Fe

Feltonus Anglus Catholicus, ut in Anglia innotesceret, ad fores Episcopi Londinensis clam affixerat. Fuit in hujus facti levem aliquam suspicionem vocatus, et ideo sumptus in quæstionem. Is autem statim ad primam interrogationem imperterritus ad omnia sustinenda, *Non vos,* inquit, *tenebo suspensos diutius; factum quod quæritis ego feci: nec mortem defugio in causa, in qua nulla est iniquitas.* Condemnatus est illico ad supplicium, quod ejusmodi fuit. Dextra ei primum amputata, deinde attractus ad patibulum est, unde cum præcipitatus esset, cor, aperto ventre ei evulsum, ac demum capite minutus est. Propter hoc crudele supplicium non tantum omnium Catholicorum animi exulcerati magis sunt in Elisabetham, sed commoti ipsi etiam, qui jam per eam alienati a Catholica Religione erant, et quæ jam prius factæ erant seditiones, invaluerunt eo magis. Sed et Elisabetha facta ferocior in Catholicos est: undique proscriptiones audire fuit, ubique ferales resonabant sententiæ in innocentium capita, et spectabantur atrocissima supplicia. Sacerdotes nonnisi mercatorum, aut militum veste induti poterant adire domos Catholicorum ad Sacramenta moribundorum his administranda.

Semper in ore Protestantibus fuit, et nunc est, nemini ob religionem, quam quis juxta conscientiam suam sequeretur, molestiam exhibendam esse. At hoc illi tantummodo sibi ab omnibus aliis præstari volunt, non ipsi fecerunt uspiam, ubi eis successit, ut viribus contra Catholicos praevalerent. Tyrannidem vocarunt, dum prohiberentur, sua libere docere nova inventa religionis; dum tamen ipsi carnificinam facerent eorum, qui in Religione, quae semper, et ab

ini-

initio obtinuit in Ecclesia, firmi, et constantes adversus nova eorum placita, manserunt. Rebus afflictis Religionis in Anglia opem laturus cum ingenti classe, quam *Invincibilem* appellaverat, adortus est Philippus II. Rex Hispaniæ, idem ille, qui conjux Mariæ Catholicæ fuit; nec non ea etiam de causa, quod Angli Belgis, qui rebellaverant adversos Philippum, auxilia misissent. Quæ classis partim vi adversariorum, partim tempestate disjecta, et devicta est.

Sunt, qui et Paulum IV. Papam, quod in dubium vocasset, Elisabetha regiam ne dignitatem legitime obtinuisset, et Pium V. quod anathemate eam percussisset, putent, haud provide hoc utrumque factum fuisse. Hinc enim nonnisi majora fuisse Religioni comparata mala, cum hac ratione exasperata esset Elisabetha. Quod ad primum attinet, postquam matrimonium Henrici VIII. cum Bolena non tantum per Sedem Apostolicam, verum etiam in comitiis regni Angliæ habitum esset pro illegitimo, poteratne Paulus istud probare, nisi quod judicatum fuit ab Apostolica Sede, temerando? Potuitne, salva conscientia, dicere, sibi probari, seque applaudere Elisabethæ regiæ dignitati, quam illa occupavit cum injuria Mariæ Stuartæ, ad quam jus legitimum succedendi spectabat, quemadmodum super hoc jam etiam Henricus II. Rex Galliæ edictum fecerat? Si rebus suis dubiis ausa est facere Elisabetha, quæ fecit contra Religionem, quanto magis fecisset, si nullum ejusmodi fraenum habuisset? Ad alterum quod pertinet, anne Romanus Pontifex praeceps fuit in ferenda sententia, quam nonnisi post moram annorum duodecim tulit? aut injustane fuit sententia in Elisabetham, quæ sem-

semper magis, ac magis Religionem ibat subversum? Censura Ecclesiastica dirigitur tam ad eos, qui hac feriuntur admonendos, ut se male agere, et errare advertant, atque resipiscant; quam etiam ad omnes ceteros, ut per eam anguem, qui ipsis monstratur, vitare sciant. Quod si vel in his, vel illis, aut etiam utrisque labor impensus careat fructu; tamen *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt.* 2. Cor. 2. v. 15. *Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sangvinem autem ejus de mauu tua requiram,* Ezech. 33. v. 7.

§. 24.

Sectae in quas Anglo-Calviniana religio scissa est. Arminiani et Gomaristæ exorti in Belgio Foederato.

Religio, quam sibi Angli formaverunt, nec est pure Lutherana, nec Calviniana, verum ex utraque composita, majorem tamen partem ex Calviniana. Hinc Anglo-Calviniani sunt appellati. Sed neque mansit ita, ut sub Edvardo Rege, ac deinde per Elisabetham opera Parkeri, hominis versatilis ingenii, et postea Archiepiscopi Cantuariensis schismatici, confecta erat. Anglo-Calviniani retinuerunt Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Decanos Rurales, Canonicos, qui matutinas, et vespertinas preces in Ecclesiis Cathedralibus peragant: sed ordinationes Episcoporum, alio-

aliorumque ministrorum faciunt secundum eam rationem, quam ipsi sibi composuerunt; celebrant etiam liturgiam, sed induti tantum superpelliceo. Crucem Christi non tantum honorant, verum etiam manu formant in Sacramentorum administratione. Quæ cum repudiassent Calviniani in Gallia, et Belgio, velut Papistica, quemadmodum ipsi loquuntur, ne Angli quidem omnes sectarii ista sibi retinenda censuerunt, nec habebant his retentis satis ad puritatem esse revocatam religionem. Quamobrem ab Anglo-Calvinianis dissidere cœperunt, seque sejunxerunt, Joanne Knox Scoto, antesignano, novamque sectam conflaverunt, cui nomen *Puritanorum* datum est: ceteri autem etiam Episcopales vocantur. Puritani vero etiam Presbyteriani nominantur, quod inter Episcopos, et Presbyteros nullum discrimen ponant. Ex Anglo-Calvinianis altera secta pullulavit *Independentium*. Hi habent Presbyteros, a quibus regantur: inde vero Independentium nomen ipsis datum est, quod quisque illorum particularis coetus pro se tantum modo sit, nec ullatenus pendeat ab alio: libentiusque congregantur in privatis domibus, quam templis. Iidem etiam *Brovnistæ* sunt vocati a quodam Brovno, qui primas in eorum secta tenuit. Sunt præterea enati in Anglia *Antiscripturarii, Antinomi, Ranteri, Piscatoriani, Levellerii, et Quakeri*. Antiscripturarii sunt, qui universam Scripturam sacram repudiant, Antinomi, qui veterem legem, et Prophetas abjiciunt, Ranteri, quibus licentia est omne, quo carnis libido instigat, perpetrandi, stimulum carnis habendo pro naturali impulsu. Piscatoriani ab Joanne Piscator nomen trahentes, singulares, et differentes ab aliis habuerunt sententias quoad justitiam, et justificationem; fractionemque panis Eu-

Eucharistici ita censebant necessariam, ut si prætermissa esset, nulla etiam coena Eucharistica maneret: de quo Calviniani inter se non mediocres disceptationes habuerunt, quin tamen convenire potuerint. Levelleriorum, quorum sicut et Ranterorum, ab eorum auctore videtur venisse nomen, hominum omnium eam aequalitatem, velut a natura datam, asserebant, ut nec opibus, nec honore alius alium debeat anteire. Quæ doctrina sæpius deinde fomitem præbuit in Anglia turbis, et seditionibus civilibus.

Quakerorum auctor fuit Georgius Fox, sutor, lectioni Scripturae sacræ multum deditus, sed cetera rudis, planeque indoctus. Qui cum in Scriptura legisset, Spiritum sanctum esse a Christo promissum discipulis, qui eos doceat omnem veritatem, *Joan.* 16. *v.* 23. et apud eumdem Joannem 1. *Epist.* 2. *v.* 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed ejus unctio docet vos de omnibus*, persvaserat sibi, ea quæ conceperat ipse de Religione, esse sibi omnia a Spiritu sancto indita, atque Dei oracula. Cum in promptu ex multa lectione haberet Scripturæ verba, et sententias, plebs illum suspicere coepit, eique adhæsit, similiterque se Dei Spiritu agi credebat. Quorum adhaesione Foxus audacior factus, ministros Anglo-Calvinianos in templo ex Cathedris, dum concionarentur, deturbabat, et ipse conciones habebat; ementitisque revelationibus sic aliis imponebat, ut illum pro magno Apostolo haberent. Tamque ipse, quam ejus asseclae omnia alia aspernabantur, quae habet Religio officia, omniaque in illo suo spiritu, quem de se jactarent, reponebant. Et quia in Scriptura est cum timore, et tremore debere nos operari

rari salutem nostram, et Prophetas terrore correptos esse et tremore ad apparitionem Angeli *Philip.* 2. *v.* 12. *Daniel.* 10. *v.* 7, 8. hinc Quakeri quoque inter orandum motu quatiebant caput, manus, pedes, totumque corpus, ideoque etiam *Tremblantes* (Gallice *Trembleurs*) dicti sunt, a quo motu tremulo corporis et Quakerorum nomen venit ab Anglica voce *Schaker* paullulum immutata, quæ pariter tremorem significat. Hi nemini honoris, et reverentiæ gratia assurgunt, nec pileum salutationis causa, quamvis salutati, movent, quasi internæ dediti contemplationi ad ista nec adverterent, et ne ad ista si se adcommodarent mens eorum defixa in contemplatione, distraheretur. Foxo, quod invectus esset in ministros Anglico-Calvinianos, atque eorum mores, non optimos, et inprimis avaritiam perstrinxisset, lingva ferro candente perforata est. Etiam extra Angliam, atque ad ipsam quoque Americam se se propagarunt. De Anglicano Schismate scripserunt Nicolaus Sanderus in Historia hujus schismatis, Reginaldus Polus *lib. de Unione Eccles.* Belchairus, Polydorus Vergilius, Natalis Comes, Thuanus, Florimundus Ræmundus, et alii.

Hanc foecunditatem sectarum ex se novarum Calvinismus in Anglia habuit; emisit vero ex se nova germina etiam alibi, et maxime in Belgio. Notabilis inprimis est Calvinianorum scissio in *Arminianos*, et *Gomaristas.* Jacobus Arminius Lugduni Batavorum Theologiae Professor non dubitavit palam insectari verbis Calvinum, Bezam, Petrum Martyrem, aliosque plures ex Calvinianis, et eorum reprobare sententias, praesertim de praedestinatione Adami, aliorumque hominum,

qui

qui peccant, etiam ad ipsam culpam, ideoque necessario peccare, de libero arbitrio, quod per peccatum Adami prorsus exstinctum sit, de justitia, quam qui rectus est, amittere non possit, et quædam alia. Huic autem se se opposuerat Franciscus Gomarus in eadem academia Professor. Utraque pars cum nacta esset asseclas, aliique Arminio, alii Gomaro adhæsissent, et inter se vehementissime conflixissent, Calvinianorum factæ sunt novae sectæ, illis nominibus, quæ dicta sunt, appellatæ. Arminiani vocati etiam sunt Remonstrantes a libello, quem Ordinibus Hollandiæ, et Frisiæ sub nomine Remonstrationis obtulerunt, et rationes, quibus eorum assertiones niterentur, exposuerunt. Vicissim vero Gomariani alio nomine vacati *Contraremonstrantes*, et *Rigidi*, quod sententiis Calvini dicerent, stricte in hærendum esse, sicut iterum Arminiani vocati sunt *Molles*, qui duram illam sententiam Calvini de praedestinatione ferre nollent, in ipsamque Confessionis formulam quam sibi Calviniani fecerant, eorumque Catechismum insurrexerunt, et reformanda utraque esse contendebant.

Ad hoc dissidium componendum Ordines Hollandiae Hagæ a. 1610. conventum utriusque partis instituerunt ad conferendum inter se de rebus controversis. Pars utraque pro se Scripturam allegabat, hujusque sensum, quem conceperat, verum esse volebat, falsum vero partis alterius; nec pars altera alteri ullatenus cedere voluit. Gomariani cum ad Catechismum suum, et libros symbolicos provocassent, hos Arminiani deriserunt. Dicebant, illos, qui Catechismum, symbolicos libros, et ipsam Confessionem composuerunt, non fuisse majoris auctoritatis ad dogmata

sta-

statuenda, quam ipsos, qui horum auctoritatem allegarent. Tractatus iste institutus ad conciliandam concordiam per colloquium desiit in mutua convicia, et inconditos clamores, omnibus qui aderant, etiam sartoribus, sutoribus, et omnis alterius generis opificibus voce, quanta poterant clamantibus, cum nemo etiam horum esset, qui sibi non auctoritatem judicandi arrogasset, atque illud esse rectum, quod ipse diceret, contendisset. Sustulerunt apud se tam Lutherani, quam Calviniani Episcoporum, quos Spiritus sanctus posuit ad regendam Ecclesiam Dei *Act.* 20. *v.* 28. auctoritatem, et potestatem decidendi controversias de fide, et Religione: unicuique tribuerunt hanc judicandi potestatem, et cujusque arbitrio commiserunt statuere de sensu Scripturae. Hinc aliudne sequi poterat in hoc Hagensi tractatu, quam quod contigit? aut sperare ne potuerunt, ut coeant in unam sententiam, quando nemo illorum credebat se obligari ad sequendum id, quod alii judicassent? Iidem præseferebant puritatem primaevae Ecclesiae, eumque illius statum, in quo collocata erat a Christo, et per Apostolos. Dum cortroversia excitata fuisset, ad observandam circumcisionem, legemque Moysis essentne cogendi ii, qui ad fidem conversi sunt Gentiles, an non Apostoli, et Seniores convenerunt, videre de verbo hoc? an non Paulus perambulans Syriam, et Ciliciam, præceperat custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum, constituta in illo concilio? *Act.* 15. *v.* 6, 41. At vero etiam Lutherani, et Calviniani celebrarunt, et instituerunt conventus ad condenda statuta Religionis. Hoc verum est. Sed postquam statuerunt apud se, nemini, jus esse alteri quidpiam præscribendi, quod credere debeat, et libertatem cuique

de-

dederunt suo utendi judicio in his, quæ credenda sint, cui bono ipsorum conventus fiunt, quorum decretis, vim non habentibus, nemo obligatur parere? Dum sic actum esset, quemadmodum dictum est, in hoc Hagensi colloquio; ipsi Calviniani, qui circumspectiores erant, voluissent omne hoc colloquium sepultum haberi silentio, nec, quemadmodum res in eo actæ essent, palam fieri, quod hinc religioni, a se formatæ, non magna gloria accresceret.

Dum igitur dissidium in hoc conventu non restinctum, verum etiam magis accensum fuisset, seque invicem procacissime appetiissent, alterique alteros in numero hæreticorum duxissent, visum est iisdem Ordinibus Belgii Foederati synodum suæ Ecclesiæ reformatæ, ut sic ipsi eam vocant, generalem instituere, tamquam quod remedium unum putarent ad partes dissidentes componendas. Convocati sunt et convenerunt ad hanc Calviniani undique, nec tantum ex Belgio, verum etiam ex Anglia, Helvetia, Palatinatu, Hassia, Brandeburgo, ceterisque locis pluribus: e Gallia tamen prohibiti a Rege, nulli venerunt. Dorderaci in Hollandia est habita a. 1618. cumque coepisset die 1. Novemb. sessionibus 154. perducta est usque ad mensem Majum anni subsequentis. Arminiani declararunt, se Dordracenam synodum pro legitimo judice controversiarum non agnoscere, in qua Gomariani iidem et adversarii, et judices essent, ideoque eorum sententiam nullius apud se momenti futuram. Hoc idem etiam Protestantes in Germania contra Concilium Tridentinum obmoverunt. Non erat tamen par ratio. Nam in Concilio Tridentino Episcopi congregati repræsentarunt Ecclesiam, quæ a Christo fundata,

ta, et per Apostolos plantata ab eodem Christo, et Apostolis descendit, et perstitit, perstabitque usque ad consummationem mundi, utpote, adversus quam portæ inferorum non prævalebunt. *Matth.* 16. *v.* 18. Ad Episcopos vero, qui Apostolorum successores sunt, pertinet judicare de controversiis Religionis, atque has decidere, quemadmodum hoc factum ab ipsis etiam Apostolis est: *Act.* 15. *v.* 6. Adversum hos itaque nullius momenti fuit facta a Protestantibus exceptio: quod vero non sic se habuit inter Arminianos, et Gomarianos. Utrique enim parti nonnisi Scriptura fuit, juxta quam proprio suo judicio dispicere vellent, quid in re controversa sequi deberent. Hac ratione reformationem, ut eam ipsi vocabant, et nunc pergunt vocare, fecerat Calvinus, fecerat Lutherus, omnesque ceteri, qui reformatores Religionis esse volebant. Hoc autem posito fundamento, quale jus ad controversiam decidendam erat Gomarianis, tale etiam habebant Arminiani: dumque partes, quæ dissident, æquali jure præditæ sunt, neutra alteri se tenetur subjicere, neutra habet potestatem cogendi alteram.

Factio Gomarianorum erat fortior, utpote cujus caput Mauritius Dux Arausionensis, et totius Belgicæ confoederationis princeps fuerit. Præcipui factionis Arminianæ erant Barnefeldus Ordinum Cancellarius, Hugo Grotius Syndicus Roterodamensis, Episcopius Professor Leidensis. Arminius jam a. 1609. erat mortuus. Mauritius Dux nequidem exspectata sententia synodi ministros Arminianæ factionis e civitatibus expulerat: sed qui revocati sunt, ut synodo adessent, speciemque libertatis in ferendis suffragiis eadem synodus præseferret. Sed quorum plerique se iterum subduxe-

duxerunt, illud prævidentes futurum, quod accidit. Eodem metu civitates ejusdem Arminianæ factionis renuerunt legatos mittere ad synodum. Sententiam deinde Gomariani tulerunt non tantum in Arminianorum assertiones, verum etiam in capita: eamque exsecuti fuissent, nisi legati, qui aderant ex Anglia, et exteris aliis provinciis, impedivissent. Barnefeldus tamen mortis supplicium effugere non potuit mortuo Arminio factionis Arminianæ caput: ne tamen hac de causa viderentur eum condemnasse, turbatæ tranquillitatis publicæ reum egerunt, atque hoc nomine capitali poena affecerunt, bonis etiam ipsius sub hastam missis, ut calamitas in ejus etiam uxorem, atque liberos redundaret. Grotius cum quibusdam aliis carceri mancipatus est. In quo biennium fuit: liberatus vero uxoris opera est, quæ eum in cista per ancillam dextre efferendum e carcere curavit. Nec satis erat Gomarianis excommunicasse Arminianos, sed horum etiam ministros ubique locorum exturbarunt; cum tamen hi Amstelodami, et Lugduni Batavorum secreto convenissent, observati autem fuissent; non tantum eorum coetum disjecerunt, verum etiam ipsas aedes, in quibus convenerant, everterunt. Anno altero eamdem Synodum etiam Galli Alecti, quod oppidum Scotiae est, ratam habuerunt. In sua sententia, quam Gomaristae in sua Dordracena synodo tulerunt, professi sunt, se vestigiis institisse omnium legitimarum tum veterum, tum recentium Synodorum. In Arausicana autem Synodo II. a. 529. est: *Aliquos vero ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Etiam in Psalmo 5. v. 5. est:

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Gomaristarumne igitur, et ipsius Calvini, cujus hanc illi tuiti sunt sententiam, causa aequior, vel Arminianorum fuit? *Acta Synodi Dordrect. Theatr Europ. pag.* 959.

§. 25.

De Socinianis. Horum errores. Disputatio cum his Calvinianorum.

Dum Luthero, et Calvino, prælucentibus suo exemplo, aliorum etiam, qui hos sectati sunt, permultorum ingenia ferverent in formis Religioni aliis, atque aliis dandis, et quasi perficiendis; nulli tamen hoc in genere longius processerunt Socinianis. A Socinis vero, Laelio et Fausto Senis in Italia natis, quamvis sectæ huic nomen inditum sit, non tamen hi primi auctores illius fuerunt, sed Michael Servetus Tarracone in Hispania natus, medicus. Hic primum secundum Anabaptistas negaverat, valere baptismum infantium, juxta Sacramentarios autem verum corpus Christi in Eucharistia: deinde ab omnibus aliis se distinxit etiam negando mysterium SS. Trinitatis: quamobrem Sociniani etiam Antitrinitariorum et Unitariorum nomen datum est, quod sicut una natura Dei est, sic isto auctore, dicerent unam tantum etiam esse Dei personam, Sabellii, et Noeti resuscitantes hæresim. Servetus cum Genevam venisset, suaque sensa de SS. Trinitate patefecisset, nec Calvino cedere voluisset, adversus eum disputanti eodem Calvino actore, atque suffragantibus ministris Tigurinis, Bernensibus, Basileensibus, et

Schaf-

Schafhusianis a magistratu Genevensi ad rogum damnatus est a. 1553. Id, quod jam etiam alias memoratum est. Attamen error ipsius igne illo abolitus non est. Eumdem enim continuarunt spargere Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Alciatus, Bernardinus Ochinus, et Franciscus Davidis, a quibus idem error importatus etiam in Poloniam, et Transilvaniam est. A Blandrata Italo medico virus hoc hauserat Sigismundus quoque Zapolya, Princeps Transilvaniæ. Valentinus Gentilis patria Neapolitanus, cum quo dum iterum Genevæ congressus esset Calvinus, nisi simulasset se victas huic dare manus, atque errorem abjicere, idem, quod Servetus subiisset supplicium. Attamen debuit coram Genevensi magistratu genibus flexis, nudo capite, nudisque pedibus, et sola interula tectus veniam suppliciter petere ab justitia, et ab iis, quos suis disputationibus incesserat; nec non scripta sua in ignem manibus suis projicere, postquam per omnes urbis plateas eodem corporis habitu cum accensa face in manu inter lictores præcedente tubicine circumductus fuisset. Eidem quoque prohibitum fuit Geneva pedem efferre. Contra quam prohibitionem cum Geneva aufugisset, et alibi iterum continuasset loqui adversus SS. Trinitatem, Bernæ in Helvetia comprehensus, et a Musculo, Theologo Bernensi, accusatus, ibidem ad rogum positus, et exustus est. *Calvin. Epist. ad Sultzer et in Explicatione perfidiæ Valent. Gent. Sleidan. lib.* 25.

Præ omnibus autem aliis sectam hanc propagarunt, suisque novis inventis auxerunt Laelius, et Faustus Socinus. Laelius postquam Germaniam, Galliam, Angliam, et Poloniam peragravis-

set, Tiguri in Helvetia mortuus est. Hujus, utpote sui patrui, scripta Faustus sibi vindicavit jure hæreditatis, et quæ dogmata Lælius jam conceperat, ipse partim magis elaboravit, partim de suo etiam auxit, ut hinc ab ipso secta etiam denominata sit. Retinuit autem quædam, quæ jam erant assumpta a Protestantibus, uti est: Scripturam sacram esse claram, et perviam soli naturali lumini rationis, etiam Traditionem cum iisdem Protestantibus repudiavit. In eo autem jam longius, et ultra Protestantes processit, dum sic Scripturam posuit adcommodatam esse captui humani intellectus; ut nihil etiam in ea supra captum ejusdem humani intellectus sit. Atque hoc est fundamentum totius Socinianismi, cujus est mysteria, quæ habet Christiana Religio, omnia sufferre: et si quidpiam occurrat in Scriptnra, quod captum superet humani intellectus, istud Socinus, ejusque sectatores, eo usque versant, et scalpunt, donec sibi videantur quidpiam exsculpsisse, quod humanæ menti pervium, atque naturale sit. Scriptura docet, Deum esse unum, tres vero Divinas personas, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum; Patrem esse Deum, Filium esse Deum, et Spiritum sanctum quoque esse Deum. Itaque Fili, et Spiritus sancti divinitatem, quam docet Scriptura ita explicant, atque ita sumunt, ut vera divinitas non maneat nisi soli Patri, mysteriumque desinat SS. Trinitatis. Ponunt autem Filium nominari Deum in Scriptura ratione potestatis, quæ ei ad res efficiendas data a Patre sit: per divinitatem Spiritus sancti intelligunt Dei virtutem, ἐνέργειαν, efficacitatem.

Perinde ejusmodi suis subtilitatibus tollunt mysterium Incarnationis. Dicunt, Christum esse

me-

merum hominem, et tantum eatenus appellari *Filium Dei*, quatenus virtute Divina moreque insolito ex Virgine matre natus sit. Negant vero exstitisse ante hanc suam ex Maria Vigine nativitatem: et per principium, in quo erat Verbum, Joan. 1. *v.* 1. intelligunt initium prædicationis, factæ ab Joanne Baptista. Quia vero adoratus esse legitur Christus in Scriptura, quæ proinde indicet veram ipsius divinitatem, dicunt hanc adorationem non fuisse exhibitam ipsi Christo, sed per ípsum fuisse dírectam ad Deum. Negant quoque, Christum pro nobis satisfecisse Deo per effusionem sangvinis sui, et mortem, tantumque eatenus dici Salvatorem hominum, quatenus hos docuerit, quemadmodum vivere deberent, ut compotes æternæ salutis fiant, suamque hanc doctrinam sua a morte resurrectione confirmaverit. Iidem inficiantur peccatum, quod ab Adamo commissum transierit in omnes ejus posteros, nec Baptismum aliud habere, quam caerimoniam, qua is, qui baptizatur, profiteatur se Christianum. Non dant etiam, verum corpus Christi esse in Eucharistiæ Sacramento: rationem aeternæ salutis obtinendæ ponunt præcise in prædicatione Evangelii, et in assensu ei dato ab homine absque ulla necessitate divinæ gratiæ: nec Deúm circa hominum salutem aliquid prædestinasse, imo hanc nequidem præscire. Negant quoque, futuram mortuorum resurrectionem, de illisque tantum impiis dicunt exercendum esse judicíum, qui eo tempore adhuc vixerint, nec æterna impiórum hominum, atque dæmonum supplicia credunt, sed dicunt futurum, ut tam dæmones, quam homines impii, condemnati ad supplicia in extremo judicio, aliquando in suum recidant nihilum, et desinant esse. Hæc sunt præcipua rerum, quas

So-

Sociniani profitentur, capita. *Bibliothec. Fratru Polonor. Sandius in Nucleo Hist. Eccl.*

Merx tota sumpta est ex Ebionismo, Ariani mo, Sabellianismo, Pelagianismo, pluribusqu aliis obsoletis hæresibus, et pridem jam contriti nisi quod insuper in Socinianismo omne de ii quæ tenenda sint velut dogmata Ecclesiæ Chr stianæ, judicium deferatur unice ad tribunal hu manæ rationis, atque hinc via facta per Socinianc sit ad eam religionem, quæ soli rationi natura innititur, nullamque agnoscit divinam revelati nem, et quo pacto tota in fumum mittitur rev lata Religio, ipsaque fides Christi. Hoc est, quc se quæsivisse, ipsi etiam Sociniani ostenderu dum Fausto Socino hocce elogium dederunt: *T ta licet Babylon destruxit tecta Lutherus, mu ros Calvinus, sed fundamenta Socinus.* Post Lu therum, qui Babylonis convicioso nomine, qu *Apoc.* 17. *v.* 1. vocatur meretrix magna, et ma ter fornicationum, et abominationum terræ, a fecit Ecclesiam Romano-Catholicam, postque al os Protestantes, idem hoc vocabulum adhibueru etiam Sociniani de Ecclesia Romano-Catholica atque Socino etiam præ illis gloriam tribueru in hoc præclaro opere, quo nitebantur penit Christi evertere Ecclesiam. Sed portæ inferi no prævalebunt adversus eam. *Matth.* 16. *v.* 18. Quem admodum adversus Servetum, Valentinnm Gen tilem insurrexit Calvinus, nec sustinere voluit i lorum dogmata, et maxime adversus SS. Trin tatem, ita post Calvinum hoc bellum continua runt ipsius etiam sectatores, nec non et Luthe rani.

Me-

Memorabilis præsertim est disputatio habita inter Calvinianos, et Socinianos Pinczoviæ in Polonia a. 1565. in magno conventu, et hominum confluxu utriusque partis. Disputatum fuit de SS. Trinitate. Testimonia Scripturae, quæ pro hac afferebant Calviniani, eludebant suis interpretationibus Sociniani. Igitur cum desperassent Calviniani, se hac ratione quidpiam profecturos, cogitarunt adversum eos pugnare sumendo argumenta ab Ecclesia, in qua semper viguerit hæc de SS. Trinitate fides. Omniumque primo e Socinianis quæsiverunt, num aliquid deferrent argumentis, quæ sumerentur ex traditione veterum Patrum Ecclesiæ, et ex primævis conciliis. Responderunt, cum Lutherus, Zvinglius, et Calvinus, traditionem, concilia, Patres, et auctoritatem Ecclesiae repudiaverint, atque sola Scritura se niti professi sint in concinnandis suis dogmatibus, se quoque velle eorum vestigiis insistere. Vos autem, dicebant, quomodo potestis velle ista ratione agere contra nos, et a Luthero, atque Calvino desciscere, nisi victas manus dare velitis Catholicis, dum ipsi fatemini traditionem, et Patres suffragari eorum fidei, quam vos respuistis? Ita arma, quibus pugnare voluissent, Calvinianis excussa sunt e manibus a Socinianis. Ac deinde eo animosiores facti testimonia Scripturæ, quæ non dubitabant Calvinianos sibi objecturos fuisse ad probandum SS. Trinitatis mysterium, ipsi ultro protulerunt, atque more suo aliter explicuerunt, ipsumque initium Exangelii S. Joannis: *In prinoipio erat Verbum*, quibus verbis Verbi æternitas prædicatur, Calvinianis insultando. Et ne hi possent dicere, illorum testimoniorum interpretationem Socinianos fecisse suo tantum ingenio, atque sensum affinxisse suo arbitrio

et

et contra eam intelligendi rationem, quæ semp antea viguerit in Ecclesia, dicebant, annon ip etiam hæc verba Christi: *Hoc est corpus meu* interpretentur de sola figura corporis Christi i Eucharistia, contra quam Patres doceant, et cr ditum semper sit in Ecclesia?. Calviniani, quid hı responderent, non habebant. Res cum acta e set coram hominum maxima multitudine, et n mo non vidisset, premi Calvinianos a Socinian ne tamen viderentur sua etiam propria confessi ne victi esse, si conticuissent, magna voce dox logiæ hæc verba *Gloria Patri, et Filio, et Sp ritui sancto* insonare coeperunt. Hoc vero nu lum erat responsum ad id, quod ipsis erat obj ctum; ac proinde nec ejus aliquam solutione dederunt. Sociniani autem propter hanc vel insolentiam cum convicia in Calvinianos conjeci sent, atque hi in illos vicissim sic egissent; di soluta est disputatio, quæ in furiosos clamore rixam, et mutua scommata abierat. Tantum al est, Scriptura sacra ut norma sit iis, qui huj sensum suo tantum exquirunt ingenio de ejusq sensu decernunt suo præcise judicio, ad videı dum quid sit rectæ fidei; ut potius S. Augustin Tract. 18. in Joan. dicat, *Nec natas esse hær ses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur n bene, et quod in iis non bene intelligitur, etia temere, et audacter asseritur.* Quin ipsos err res etiam suos nulla non hæresis studuit fulci per Scripturam. Ecclesiæ est judicare de ve sensu, et interpretatione Scripturarum sanctaruı Hanc hæretici nolunt audire, maluntque s qui ductum proprii judicii, vel solius etiam lib dinis. Proinde, unitatem non habent sed disco diam sentiendi. *Lublieniczky in Hist. Eccl. refor Polon. Sandius in Biblioth. Antitrinit. pag.* 213

So-

Sociniani in Polonia, ubi Sigismundus Augustus Rex cuique sectæ licentiam quidvis sentiendi permiserat, et in Transilvania, cujus Princeps Sigismundus Zápolya ipse Socinianus erat, receptaculum nacti sunt, ubi merces suas palam possent exponere: quod in aliis provinciis eo minus suppetebat, quod ipsos nec Lutherani, et Calviniani voluissent pati. Brevi tamen in Belgium Foederatum, et Angliam penetrarunt, aliaque regna, aut potius quemadmodum primi Socinianorum ex Lutheranismo, et Calvinianismo delapsi sunt ad Socinianismum, ita hoc accidit idem in aliis sectatoribus Lutheri, et Calvini, tametsi Augustanam, vel Helveticam confessionem præseferrent. Nam quibus ratio, et intellectus est præcise, propriumque judicium ad statuendum de sensu Scripturæ, quid mirum, si eo delabantur, ut nihil aliter putent in Scriptura concipiendum, quam quomodo congruit cum eorum captu? Deinde ratio, et intellectus id, cujus judex est, sibi debet habere subjectum: non habet autem ratio, et humanus intellectus illud sibi subjectum, quod supra illius captum est. Igitur nec Scripturae potest uspiam alius esse sensus, quam de re, quæ cadat infra decempedam humani intellectus, et quæ proinde neque possit esse mysterium. Hoc consectarium est illius, quod tam Protestantes, quam post hos etiam Sociniani sibi sumpserunt in interpretanda Scriptura. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. v. 1. Qui nihil aliud volunt in Religione tenere, et credere, quam quod intellectu suo capiunt, et comprehendunt, dicti sunt postea *Rationalistæ*, et hujus rei professio *Rationalismus*: ex quo deinde perventum est ad

ipsum

ipsum *Deismum*, et *Naturalismum.* De quibu adhuc postea instituetur narratio.

§. 26.

Concilium Tridentinum. Praevii de hoc tractatu

Cum non tantum Lutherus ipse, damnat suis assertionibus a Leone X. verum etiam Protestantes in comitiis Imperii, identidem interposuissent tribunal generalis concilii ad decidendum quæ per eos excitatæ erant contentiones de Religione, credidit Carolus V. Imp. si factum esse concilium, sedatum iri omnes dissensiones, redituros que Protestantes ad Religionis pacem, et concordiam. Leoni X. in Pontificatu a. 1522. successit Hadrianus VI. huic Clemens VII. antea dictus Julius Cardinalis Mediceus anno subsequente. Anno 1533. Bononiæ Clementem convenit Carolus Imp. egitque cum eo de indicendo generali concilio, cui assensus est Pontifex. Quamobrem tam Pontifex, quam Imperator misit nuncium ad omnes Principes Germaniæ, et status Romani Imperii ad annunciandam generalis concilii celebrationem. Pontifex autem una declaraverat, qua ratione, juxta vetus institutum Ecclesiæ, sit celebrandum hoc concilium. Omnium primum erat, ut sit liberum, videlicet, ne qua vis inferretur in concilio congregatis, deinde, ut ii, quos concilium respiceret, promitterent se illius decisionibus, et statutis morem gesturos. Locum autem designaverat Pontifex habendo concilio Mantuam Bononiam, vel Placentiam. Quædam adhuc ali erant adnexa quoad modum habendi concilii: ae illis tribus quæ speciatim memorata sunt, maxime

me refragati sunt Protestantes. Inter Lutheranos primas tenebat Joannes Fridericus, Elector Saxoniæ. Is Smalcaldiæ cum aliis Protestantibus consultatione habita, tantum abest, ut sibi, ceterisque Protestantibus placere hoc concilium ostenderit; ut potius leges dictaverit prorsus novas contra morem omnium anteriorum conciliorum, de ejusdem concilii celebratione.

Coclaeus in libello de futuro concilio celebrando Protestantium responsum expendit, et quam male fundatum fuerit, docuit. Etenim, ait, in primo articulo petitur, nempe ab Romano Pontifice, ut concilium sit liberum, ubi scilicet Patribus tuto, ac secure decernere liceat, quidquid Spiritui sancto visum fuerit. At illi efflagitant, ut in Germania celebretur, ubi Patres ita forent captivi, ut nisi decernerent ea, quæ Lutheranis placeant, mox armis nobilium, et Lutheranæ plebis furori objicerentur interficiendi. Petitur in eodem, ut celebretur concilium juxta morem Ecclesiæ consvetum. At illi novum quærunt morem, juxta quem Summo Pontifici præponatur Romanus Imperator, Cardinalibus, et Episcopis Principes, et domini seculares, Pastoribus scilicet oves, Sacerdotibus laici, patribusque filii, et de fidei quæstionibus non decernant Episcopi, et Theologi, sed clamosi rhetores, et syllabarii laici, qui novam Bibliorum interpretationem, quam Lutherus edidit, in manibus gestantes sacræ Theologiæ doctoribus insultent, et reclament, quod non aliter intelligendus sit quivis Scripturæ textus, quam ipsi hunc cum suo Luthero intelligant. In secundo autem articulo petitur, ut concilii decretis pareatur. Hoc Lutheranis alienissimum videbatur, quasi contra liber-

bertatem Christianam sit parere concilio. Nempe expetebant ejusmodi libertatem, ut quidquid decidisset concilium, non obligarentur ad hoc suscipiendum, et amplectendum. Itaque libertatem posuerunt in sentiendi licentia, etiam si aliter definitum per concilium esset. De iis, quæ erant statuta in concilio Apostolorum, et Seniorum est Act. 15 v. 41. *Perambulabat autem Syriam, et Ciliciam* (Paulus) *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum.*

Iidem Protestantes, dicebant, ad officium Cæsareæ Majestatis pertinere, ut Cæsar curet rem ex verbo Dei cognosci, ac judicari, quandocunque Romanus Pontifex veritati adversatur, ne Papa, cum pars sit, simul etiam judex sit. Principum officium omnino est curare Religionem: *Debes incunctanter advertere*, sunt verba S. Leonis I. Papæ epist. 125. ad Leonem Imp. *Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta, defendas, et veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas.* Idque multis testimoniis non solum SS. Patrum, verum etiam ipsorum Imperatorum demonstravi *Tom. II. Dissert. mear. in Selecta argumenta Hist. Eccl. pag.* 466. Hoc quoque, ut Cæsar curet rem cognosci ac judicari ex Verbo Dei, recte erit dictum, si intelligatur, hocce judicium debere fieri per eos, quos Deus Pastores et Doctores posuit in Ecclesia. Nam hoc jam Constantinus M. hoc Theodosius M. hoc Theodosius Junior, hoc Marcianus Imperatores Orthodoxi egregie præstiterunt. Sin autem sic, ut Cæsar curet rem cognosci ex Verbo Dei, et judicari non per eos,

eos, quos Deus Pastores, et Doctores posuit in Ecclesia, verum per alios, et per eos ipsos, quorum sententiae, velut deviae a rectà fide, vocatæ sunt in judicium, falsum erit, et alienissimum a recta judicii habendi ratione. Hoc enim vere esset eumdem esse et reum, et judicem. Sic vero proculdubio hoc a Protestantibus intellectum est, qui statim ab initio Luthero signifero, auctoritate Ecclesiæ rejecta, sibi ipsis non tantum conjunctim, verum etiam seorsím jus, et potestatem judicandi de sensu Scripturae, et decernendi, quid juxta Verbum Dëi sit rectæ fidei, arrogarunt. Huc præterea additum ab ipsis est istud: *Quandocunque Romanus Póntifex veritati adversatur.* In quonam autem Romanus Pontifex veritati adversatus est? Annon potius huic dictum est in Petro: *Ego rogavi pro te, ut non defieiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*? Luc. 22. v. 32. Nempe veritati adversatus est, dum Lutherum, eiusque assertiones damnavit velut ab Orthodoxa fide discrepantes: purioremque religionem vocarunt, quam Lutherus ipsis formaverat, et secundum quam puritatem, cum esset monachus, et sacerdos, sacrilegas nuptias iniit cum Catharina Bore pariter moniali, et temerando votum, quo se Deo ambo obstrinxerant ad servandam continentiam; puriorem religionem vocarunt abjicere a se jejunium, et abstinentiam, quæ sunt instituta in Ecclesia ad carnem. ejusque concupiscentiam fraenandam, et cujus jejunii ipse Christus nobis exemplum dedit: et puriorem religionem vocarunt, indulgere genio, pietatis opera seponere, et in sola fide, quam sine operibus mortuam S. Jacobus c. 2. v. 26. vocat, Religionem, quæ salutifera sit, ponere: et cujusmodi sunt omnia reliqua in quibus

pu-

puritatem constituebant religionis, quam sibi formaverunt.

Demum illud etiam ad Caesaris curam pertinere voluerunt, ne Papa cum pars sit, simul etiam judex esset. Dum vero hunc in ista causa posuerunt partem, intelligitur, Protestantes seipsos habuisse pro parte altera inter duos litigantes, seque posuisse, velut pares in causa cum Romano Pontifice. Undenam vero hanc æqualitatem sibi sumere potuerunt? Ipsi fidem deseruerunt, quæ semper viguit in Ecclesia, et ab institutis Ecclesiæ recesserunt, atque reos se fecerunt. Ergone etiam Romanus Pontifex quia pro officio suo illos errantes arguit, et per censuram Ecclesiasticam quæsivit retrahere ab errore, factus idcirco est reus? Semper ii, qui damnati sunt ab Ecclesia, dum resipiscere noluerunt, illud, quod ipsorum errori contrarium esset, velut errorem Ecclesiae jactaverunt. Sic Ariani Catholicos quia non solum Patrem, verum etiam Filium verum Deum profitebantur, traduxerunt quasi non unum, sed plures deos more Gentilium colerent; sic Iconoclastæ et veteres, et recentiores, quia in veneratione habemus sacras imagines, nos infamant, velut idolorum cultores: idemque faciunt circa Eucharistiam, in qua quoniam Christi verum corpus non confitentur, nos, qui confitemur, pro iis, qui panem adorent, habent. Pontifex igitur Romanus non fuit pars in causa Lutheranorum, cum iisdem Lutheranis velut altera opposita parte, sed judex *Pasce oves meas.* Joan. 21. v. 17. Quorum vero causae deferuntur ad Ecclesiam decisionis causa, hi nisi rebelles esse velint, debent decretis parere. Quod si autem Ecclesiam non

au-

audierint, sint tibi sicut ethnicus, et publicanus. *Matth.* 18. *v.* 17.

§. 27.

Concilium Tridentinum indicit Paulus III. R. P. Modus in eo tractandi negotia. Transfertur Bononiam. Ab Julio III. revocatur Tridentum.

Clemens per eumdem nuncium (Hugo Episcopus Rhegiensis is erat) declaraverat, se intra sex menses Concilium indicturum, intra annum autem inchoaturum, si a Principibus Germaniae, atque a Christianis Regibus responsum, (nam etiam ad hos nuncium de concilio miserat) votis suis secundans, accepisset. Quale Principum Germaniae, sed solum modo Protestantium, responsum fuerit ad hoc frustrandum concilium, jam vidimus. Eidem concilio adversabatur Franciscus I. Rex Galliae ob suas perpetuas simultates cum Carolo V. Imp: cujus vires atteri in Germania per Protestantes, etiam cuperet. Henricus VIII. Rex Angliae perinde refragabatur, cum propter Bolenam si Pontifex illius votis non annueret, jam deliberatum habuisset, ab eo deficere. Quare Clemens VIII. differebat indictionem Concilii, et priusquam illud indixisset, anno subsequente 1534. mortuus est. Paulus III. antea Alexander Card. Farnesius, ei successit, isque, habito iterum tractatu, Mantuam illud indixit. Fridericus Dux Mantuae etsi consensum jam dedisset, sed metu eo permotus, ne quas incursiones hostiles urbs pateretur ab adversariis concilii, dumque Pontifex nequidem urbem voluisset muniri praesidiis, ne non liberum videretur concilium, tamen deinde

hoc

hoc Mantuæ ne fieret, deprecatus est. Itaque Vicentia designata est, jamque etiam Cardinales nominati erant a Pontifice, qui Concilium aperirent, eique præsiderent. Belli discrimen quod Hungariæ et Germaniæ impendebat a Turcis, fecerat, ut rursus differri deberet concilium. Anno 1542. iterum renovata est ejus indictio, verum non jam Vicentiam, sed Tridentum idque ad initium anni alterius. Cum autem Protestantes nullo modo acquiescere vellent concilio, si in Italia haberetur; Imperator petiit, ut hoc Tridenti institueretur, postquam ipsi etiam Protestantes in Conventu Spirensi declarassent hunc sibi locum non displicere. Etiam vero nunc aliis, atque aliis intervenientibus causis, incepit Concilium nonnisi die 13. Decemb. a. 1545. Joannes María de Monte, Marcellus Cervinus, et Reginaldus Polus Cardinales, et Apostolicæ Sedis legati Concilio præsederunt: non tamen semper, et in omnibus Concilii sessionibus, quæ erant universim viginti quinque, et nonnisi a. 1563. finitum est.

De titulo, quod Concilio tribuendum esset, erat aliqua disceptatio: stetit vero is, quem ei Pontifex tribui voluit: *Sanctum, et sacrum Concilium Tridentinum Sedis Apostolicae legatis praesidentibus.* Sessionibus præmittebantur Congregationes, in quibus res, quæ in proxime futura sessione proponendæ erant ad decidendum, prius expenderentur atque de his consultationes fierent, Concilli Patribus divisis in partes tres ad formandas totidem congregationes pro numero totidem legatorum, quorum unus congregationi præsidebat. Jus ferendi suffragii tributum est etiam Abbatibus infulatis, et Ordinum Regularium Generalibus. De fidei quæstionibus sic

actum

actum est, ut prava doctrina damnaretur, quin personæ attingerentur, idque ipso Pontifice volente, et monente. Tractatui de fide adjuncta erat, tam in congregationibus, quam sessionibus reformatio pertinens ad mores, et Ecclesiæ disciplinam, tractata per partes: quod si res essent, quæ Curiam Romanam attingerent, Prælatos jussit Pontifex a Concilio audiri, atque has ad se referri, ut his ipse remedia convenientia adferat. Octo sessiones cum habitæ fuissent, Concilium Tridento translatum est Bononiam propter morbum contagiosum, qui Tridenti serpebat. Id factum est die 11. Martii a. 1547. in sessione octava Pontificis lecto decreto de transferendo concilio Bononiam. Quæ translatio cum facta fuisset contra voluntatem Caroli Imp. nec Episcopi Hispani et ex ditionibus eidem Carolo subjectis, qui tertiam circiter partem effecerant Prælatorum, id temporis præsentium in Concilio, Bononiam non transiverunt, sed Tridenti perstiterunt. Erat justa causa translationis ob contagionem morbi, eamque ipsum quoque Concilium petierat. Sed Cæsar adversabatur, quod eo inconsulto facta esset, causam prætendens, quod Bononiam, urbem Pontifici subjectam, Protestantes Germani adituri non essent. Quæ vero Pontifici sufficiens non videbatur, ut Episcopi cum periculo vitæ Tridenti manere cogerentur, et jam neque spes esset, ad Concilium Protestantium aliquos venturos, qui per biennium, quod intercesserat ab ejus inchoatione, nulli venerant: quin potius adversus Concilium hoc, et Romanum Pontificem libellos satyricos, picturas infames atque mille calumnias, et probra sparserant, illudque irrisioni et ludibrio habuerant; nec non facto foedere Smalcaldico toti in apparando bello contra Carolum Imp.

erant, ut eo dejecto ex Imperatoria dignitate Imperatorem ex suo numero facerent; totamque Germaniam adigerent ad suam sectam.

Bononiae duae sessiones habitae sunt. Interea autem etiam bellum Smalcaldicum eruperat. (Supra §. 11.) Cum victi, et domiti fuissent Protestantes, atque hinc Carolus Imp. spem resumpsisset, fore, ut Protestantes ad Ecclesiam Catholicam redeant, in Comitiis Augustanis a. 1548. librum illum, cujus facta jam mentio est §pho 13. edidit, in quo Protestantibus praescripsit, quid interim ipsis permitteretur, donec a Concilio eorum controversiae decisae essent: unde huic libello, quod sex et viginti capitibus constat, nomen etiam *Interim* datum fuit. In hoc concessum erat conjugium Sacerdotibus, et communio sub utraque specie laicis: nec cetera satis consona erant doctrinae Catholicae Ecclesiae. Moleste tulit Pontifex, quod se Imperator immisisset ad ea, quae sunt fidei: passimque id factum reprehendebatur in Italia, Gallia, atque alibi, et jam ipsa etiam Germania ab Catholicis, qui hoc cum Henotico Zenonis, Ecthesi Heraclii, et Typo Constantis comparabant. Sed neque Protestantibus satisfecerat eo, quod libellus plura haberet, quae illi respuerent: et qui eorum promiserant, se se illum observaturum nonnisi metu Imperatoris, atque in speciem hanc promissionem fecerant. Imperator autem se excusabat, quod nihil de Religione statuerit, sed solum modo Protestantibus; ne ulterius, quemadmodum faciebant, prorumperent, fraenum injicere voluerit.

Anno 1549. die 10. Nov. Paulus III. diem obiit supremum. Hic omnium primus edidit Bul-

lam

um Coenae Domini, a. 1536. ideo sic vocatam, uod Romae feria 5. Majoris hebdomadae consve- rit promulgari quotannis. Excommunicatio in pronunciatur in omnes cujuscunque sectae hae- icos, eorumque fautores, in apostatas a fide tholica, vel per schisma se se scindentes ab lesia, in eos, qui personam aliquam Ecclesia- am occiderent, aut vulnerarent, vel eorum a invaderent, et occuparent, aut exactionibus varent, et in multos alios. Hæc bulla invisa t Principibus eo, quod jura sua per eam laedi stimarent. Quamobrem Clemens XIV. destitit ejus promulgatione. Paulo III. in Pontificatu cessit Julius III. Joannes Maria de Monte, an- dictus, Cardinalis, ille idem, qui primis ses- ibus Concilii Tridentini præsederat. Is Conci- n Bononia Tridentum revocavit. Carolo Imp. madmodum ingrata erat Concilii prior trans- o, quod sciret, Protestantes induci non posse eundum Bononiam; ita gavisus est facta ejus ocatione Tridentum. Itaque post repositum Julio III. concilium Tridentum, ipse etiam gustae die 14. Febr. 1551. instituit Comitia perii, ad manum quasi extremam imponen- i negotio de Religionis controversiis in Ger- nia componendis. Assensu omnium probatum , has nulla commodiore, utiliore, aut certio- ratione, quam per universale concilium tolli se, summam quoque, et urgentem esse ne- sitatem, quæ postulet, ut errores, qui emer- unt, aboleantur ad conservandam inter Chri- nos veram fidem, et pacem: Ordinesque Im- ii promiserunt se decreta Concilii suscepturos debita reverentia, denuo testati sunt, se n Concilium cum obedientia exspectaturos. tatus deinde est Imperator, Principes Impe-

rii cum alios, tum præsertim eos, apud quos Religio innovata erat, ut se conferrent ad Concilium, suosque Theologos eo mitterent, ne postea querelæ occasionem habere possent, quasi ea, quæ voluissent proponere prohibiti essent. Cavit autem iisdem Protestantibus de securitate, et in accedendo ad Concilium, et de facultate recedendi absque ullo impedimento. Quia vero omnis opera, et labor in publica pace instauranda frustra impendatur, neque possit in Imperio pax, et securitas conservari, nisi iis serio etiam occurratur, qui adversus saluberrimam pacis constitutionem agunt, justaque animadversione coerceantur, Imperator declaravit, se huic quoque rei, quantum in se erit, non defuturum. *Sanctio Caroli V. in his comitiis facta apud Goldast. Tom. 2. pag.* 340.

§. 28.

Protestantes rursus sumunt arma adversus Carolum V. Imp. In Concilio Tridentino quales horum postulationes fuerint. Transactio Passaviensis. Concilium, quod erat interruptum, resumitur.

Qua sinceritate Principes Protestantes in his Augustanis Comitiis promiserint, submissuros se Concilio, ejusque decisionibus, res deinde, quæ secuta est, manifestum fecit. Fecerunt conjurationem rursus adversus Carolum Imp. Nam cum dubitare non possent, non futurum in favorem suarum sententiarum, quod decisurum esset de his Concilium, Imperator autem declaraverit, se in refractarios justa animadversione usurum, hunc præoccupare studuerunt. Servarunt autem hanc

con-

conjurationem, occultissime, ut illum imparatum opprimerent. Summam totius hujus belli Mauritio, Electori Saxoniæ, detulerunt, ut unius imperio rectius administraretur. Idem Mauritius, Christophorus Dux Wittembergensis, et quidam alii etiam Oratores suos ad Concilium miserunt, quasi proni ad concordiam ineundam. Hi dicebant, proxime etiam affuturos suos Theologos, ad conferendum: qui vero idcirco tardent venire, quod literæ de securitate tantum ab Imperatore, non vero etiam a Concilio ipsis essent datæ. Itaque has etiam dedit Concilium. Oratores, qui venerant, ejusmodi postulata proposuerunt, quæ non alio spectabant, quam ut Concilii Patres frustra ductarent. Petebant, ut omnia, quæ jam tractata, et dijudicata essent in Concilio, denuo in examen sumerentur, delectis ad hoc examen tam ex Catholicorum, quam etiam parte sua Theologis, et horum judicio controversiarum decisio peragеretur præcise juxta Scripturam. Patres Concilii erant moniti a Papa, ut quam humanissime agerent cum Protestantibus, ne quem prætextum habere possent, quominus voluerint conferre cum ipsis. Ad hoc, quod postularunt responsum ipsis est, se supra eo cum ipsis opportuno tempore collocuturos, et tractaturos. Quod tamen factum non est, nisi privatim, etiam postquam Theologi ipsorum sed perpauci advenissent, cum bellum, quod occulte apparabant in apertum erupisset, statimque etiam tam hi Theologi, quam Protestantium Oratores Tridento discessissent. Ipsa conditio tam hæc, quam etiam omnes aliæ positae ab ipsis ejusmodi erant, ut appareret, se Concilii decretis non parituros aliter, quam si hæc juxta eorum placita facta essent. Petebant, ut decisiones juxta Scripturam fierent: quæ vero

Scri-

Scriptura ea erat, quæ sensum verbis suis illu haberet datum, quem ipsi vellent esse: cum t men ad hoc ipsum opus sit judicibus, ut certu per horum decisionem fieret judicio, cui fas no sit refragari, quis verus Scripturæ sensus sit. Nu la de iis, quæ credenda sint, et tenenda juxt fidem, per verbum Dei nobis revelatam, fore ambiguitas, et disceptatio, nisi de ipsius etiar Scripturæ sensu oriretur controversia. Jam Scri pturam, juxta quam sua sibi formaverint dogma ta, Lutherus omnesque Protestantes præsefere bant. Sed neque nos alibi, quam in Verbo Dei non tamen solummodo scripto, verum etiam abs què scripto ab Apostolis per Patres ad nos trans misso, fundamus dogmata Religionis. Attame Ecclesiam etiam audimus, non soli ductui nostı intellectus nos committimus: quam audire debe mus, nisi eligamus esse, sicut ethnicus, et publi canus. Qui ergo Protestantes volebant per Con cilium sic fieri decisionem rerum, in quibus al Ecclesia Catholica recesserunt, quemadmodum jan has sibi constitutas habebant suo præcise arbitric non Ecclesiæ judicio; nihil minus, quam volunta tem sequendi auctoritatem Ecclesiæ, seque subjici endi decisionibus, quas factura erat in Concilio habebant.

Carolus Imperator Oeniponti erat, quo s contulerat, ne longe Tridento, et a Concilio ab esset. Audierat, bellum Protestantes moliri, se non putabat ausuros erumpere: neque omnin ausi fuissent, nisi Henricus II. Galliæ Rex sua cu illis arma consociasset, ut si Imperator succubı isset Protestantibus, hujus etiam potentia imm nueretur, cui amicus haud erat, ductus stud sui magis commodi, quam Religionis. Itaque ı

qui-

quidem Episcopos Galliæ sivit ire Tridentum ad Concilium, eo quod istud reductum ad hanc civitatem esset a Pontifice ad obsecundandum Caroli voluntati. Mauritius quoque Elector, et exercitus supremus dux eumdem Carolum colebat omnibus suæ quasi observantiæ erga eum officiis: quæ vero omnia nonnisi fucata et simulata essent ad eum decipiendum. Erat Mauritio, et Protestantibus constitutum omnium primo, et de improviso adoriri Carolum, atque imparatum opprimere, in suamque potestatem redigere, ut deinde ad eas conditiones eum cogerent, quas ipsi vellent. Quamobrem cum ad bellum Protestantes prorupissent, atque hi alias, in quibus etiam Augusta Vindelicorum erat, alias Henricus Galliæ Rex Germaniæ civitates invasisset, summa deinde celeritate Protestantium exercitus ferebatur Oenipontum. Jam ad sistendum funestissimum bellum, quo ardebat Germania, per Ferdinandum Regem Romanorum, et fratrem suum tractare Carolus cœperat cum Mauritio Electore: erantque pactæ induciæ dierum quindecim. Sed harum fide non servata irruerunt, et ejusmodi impetu adgressi sunt Oenipontum, ut nisi Carolus una die citius abivisset, securitatis suæ causa Villacum in Carinthiam, altera die, capto Oeniponto, a Protestantibus comprehensus fuisset. Mauritius Elector, causam cur a Protestantibus capta essent arma prætendebat Evangelii libertatem, quasi oppressam a Carolo, cum ille ex civitatibus ministros Protestantium, et magistros expelli jussisset, qui ad has irrepserant post edictum etiam illud suum, quod fuit appellatum *Interim*, et quo cautum erat, ne pergerent ulterius disseminare suas opiniones, sed se tenerent in eo statu, in quo essent, donec decisio controversiarum facta

esset

esset per Concilium. Hæc autem, quæ ipsi sibi formarunt dogmata, habebant pro indubitato Evangelio: in quo disseminando cum impedimentum eis positum fuisset, id dicebant, factum esse adversus Evangelii libertatem. Idem non tantum Mauritius, verum etiam Henricus Galliæ Rex a Protestantibus invocatus in auxilium, præseferebat eam etiam belli causam, quod Joannes Fridericus Elector Saxoniæ et Philippus Landgravius Hassiæ, in bello Smalcaldico capti detinerentur a Carolo in captivitate quasi contra eam, quam ipsis spoponderit veniam. Carolus autem et hanc retudit sui accusationem dicendo, se, dum vitæ gratiam ipsis fecisset, non tamen promisisse, ne suæ securitatis causa hos apud se in custodia teneret, eo usque, donec res exposceret. Villacum se recepturus Carolus, quamvis Joannem Fridericum ad libertatem posuisset, ille tamen ipsum secutus est, ne libertatem videretur obtinuisse ex gratia Cæsaris, non virtute armorum Protestantium. Philippus Hassus erat socer Mauritii: quem idcirco Carolus ulterius detinuit, ut nisi Mauritius ad conditiones pacis descenderet, hujus periculo eum terreret. Dum Carolus non fuisset satis providus, etsi potentissimus esset; tamen tam in arctum res ejus venerunt.

Lincii primum, deinde vero Passavii tractatum de pace est, quæ confecta est his conditionibus, ut Protestantes sinerentur suam exercere religionem, manente intacta ab his Religione Catholica; quod si quidam Episcopi et Prælati desciscerent ad Protestantes, bonis ut cederent, eaque manerent penes Ecclesiam Catholicam; Episcopi, et Prælati jurisdictione spirituali suspensa in subditos Augustanæ confessionis, in aliis tamen

cau-

causis hanc obtinerent. Bona Ecclesiastica occupata eo in statu ut manerent, in quo erant, dum hæc pacificatio fieret, liberum ut esset subditis emigrare, volentibus domicilium Religionis causa mutare, attamen cum obligatione satisfaciendi ei, quod dominis servilis conditionis, vel magistratui tributi nomine præstare deberent. Hæc *Transactio Passaviensis*, et *Pax Religiosa* vocatur. Ferdinandus Rex Romanorum lacrymans huic paci subscripsit. Ne autem cum hac clausula fieret, qua hæc *Inconditionata*, *et perpetua pax* fuit dicta, cum Franciscus Commendonus Nuncius Apostolicus, et Status Catholici intercessissent, hujus clausulæ mutatio facta sic est: *Usque ad amicabilem Religionis compositionem.* Pax hæc confirmata est a. 1555. in Comitiis Augustanis. Anno subsequente Carolus Imperium in Ferdinandum fratrem transtulit, Hispaniam, et alias hæreditarias ditiones suas Philippo filio tradidit ob ingravescentem ætatem, et morbum, quo articulari laboravit, maxime autem pertaesus curas Imperii. Secessum petiit ad monasterium S. Justi in Extremadura Hispaniæ provincia. Duobus annis ante obitum exequias sibi jussit fieri, quasi mortuo, ipsamque sui tumulationem repræsentari, ipseque interea jacebat in sarcophago. Dum pro vivo exequiæ non fiunt, sola igitur erat hæc earum repræsentatio, ad meditandum de morte: quæ vero ratio meditandi nullo modo fuit conveniens mori, et instituto Ecclesiæ.

Hoc belli tumultu exorto plures ex Episcopis Germaniæ Tridento discesserunt, ne domi suis, suorumque rebus deessent: ceteri etiam omnes in magno erant metu, ne Protestantes, qui jam Oenipontum tenebant, etiam Tridentum invade-

rent,

rent, statueruntque Concilium abrumpere, ej
que continuationem ad annos duos differre, 1
aliquod obstaculum etiam tunc superesset.
que Romanus Pontifex ratum habuit. Postqu
Concilium Tridentum redierat, habitæ sunt e
sessiones sex: quarum ultima fuit die 28. Ap
a. 1552. Julius III. mortuus est a. 1555. Ei su
cessit Marcellus II. qui jam vigesimo et secun
die ab inito Pontificatu apoplexia ictus deces
Post hunc Petrus Caraffa Cardinalis, et Episcoj
Ostiensis evectus ad Pontificatum est, qui se Pa
lum IV, nominavit. Cujus Pontificatus etiam n
nisi annorum quatuor fuit. Ei successit a. 15
Pius IV. antea Angelus Mediceus dictus, Car
nalis, et Archiepiscopus Mediolanensis. Hic int
primas curas habuit, Concilium, quod interr
ptum fuit, continuare, et absolvere. Ferdina
dus I. Imperator maluisset hoc jam omitti, rep
tans, vix aliquam spem superesse, ut ejus auct
ritatem curent Protestantes, sed svadebat Ponti
ci, ut potius Eucharistiæ sumptionem sub utr
que specie laicis, et conjugium concederet Cl
ricis. Hac enim ratione credebat, facilius po
Protestantes revocari ad Catholicam Ecclesia
Pontifici non fuit visum expedire, ista concede
aut si viderentur concedenda, tamen fore cons
tius, hoc cum Concilio facere: addebat eti
Concilia non tantum institui ad eos, qui jam in
rore sunt, revocandos, sed etiam ad cavend
ceteris, ne in eumdem errorem deferantur. I
que edictum fecit de Concilio resumendo, et p
agendo. Die 18. Januarii 1562. postquam
nos decem interruptum fuisset, denuo coepit
Tridenti.

Pon

Pontifex ad Principes omnes Germaniæ etiam Protestantes, et liberas Imperii civitates Commendonum nuncium suum misit, qui hos invitaret ad Concilium benignissimis verbis. Protestantes Naumburgi, quæ urbs superioris Saxoniæ est, conventum instituerunt, deliberandi causa, mitterene aliquos deberent e suo numero. Alii dicebant, non esse mittendos, alii autem mittendos: ne si detrectassent venire ad Concilium, ipsis imputari posset discordia Religionis, ejusque continuatio, sed ita, ut hi exceptionem facerent contra Papam, et Episcopos, congregatos in Concilio, negarentque posse esse judices: siquidem hi obstricti essent Pontifici per jusjurandum ei datum, dum facti essent Episcopi, in Papam vero ipsum competeret judicium, quasi cujus culpa e sua puritate deciderit Religio: deinde exigendum etiam esse, ut Concilium sit liberum, et in quo suis Theologis jus æquale cum Theologis Catholicis ad decidendas controversias sit. His igitur conditionibus statuerunt mittere suos Oratores, et Theologos ad Concilium. Alterum adhuc erat, de quo deliberabant, quamnam fidei suæ formulam deberent secum adferre. De hoc vero magis inter se disceptabant. Nam cum alii Confessionem suam Augustanam, alii aliquam ex iis, quas plures habebant confectas post Augustanam, neque etiam hi omnes eamdem, censuissent esse ferendam ad Concilium, et exhibendam, erant, qui contenderent, ex his omnibus unam esse conficiendam, ne si plures, et diversas proderent sibi esse fidei formulas, objici posset, quemadmodum jam factum identidem sit, ipsos nequidem secum esse conjunctos in unius, ejusdem fidei professione. Vicit tamen ea sententia, quæ stabat pro Augustana Confessione. Huic vero præfationem ap-

apposuerant, in quâ dicebant, se omnes in eademque fide esse concordes, et in nullo vicem discrepare. Fridericus Dux Saxo-Vin sis noluit hoc dici, utpote, quod falsum manifeste: siquidem nemo tam cæcus sit, videat perpetuos inter eorum ministros de gione conflictus: itaque Catholicis dari, ut facil ipsos possint arguere, et convincere. vero auditus non esset, proripuit se ex co cum indignatione. *Pallavic. l.* 13. *cap.* 13. *de Vera in Vita Caroli V. Belcarius l Thuan. lib.* 17.

§. 29.

Summa eorum, quæ definita, et acta s Conc. Trident. et illius conclusio.

Nec tamen Protestantes ad Concilium runt, quamvis statuissent ire; et ne vide id fecisse absque justis causis, multa, qu etiam prius erant jactata ab ipsis, obmo contra Concilium. Dicebant, non esse le convocatum: non enim a Romano Pontifice, Imperatore convocandum fuisse, debuisse in mania celebrari, atque in hoc jus ferendi gia etiam permitti laicis; non esse liberu quo Romanus Pontifex præsideat, sibi Epi obstrictos habens, nec tantum non legitimu nequidem dignum, quod Concilii Christiani ne appelletur, in quo decreta hominum pl erent, quam Verbum Dei, demum cons se impediri, ne ad coetum profanorum hon adeant. Convicia reddiderunt pro human invitatione: sed nisi sic dehonestassent Conc

non habuissent, quod afferrent, cur omiserint ad illud venire. Hominum, qui se alienarunt ab Ecclesia, semper fuit conviciari, et calumniari eamdem Ecclesiam. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hoc tempore inter Episcopos, qui venerant ad Concilium, fuerunt etiam tres ex Hungaria. Georgius Draskovics, Episcopus Quinque-Ecclesiensis, Ferdinandi I. Imp. et Regis Hungariæ legatus, Joannes Kolosváry, et Andreas Duditsius, ille Csanadiensis, hic Tinniensis in Croatia Episcopus, alio nomine dictus Sbardellatus a matre, quam habuit Venetam. Erat probe excultus scientiis, quibus operam dederat Patavii in Italia, et Parisiis in Gallia. Angliam quoque inviserat, ubi cum Reginaldo Polo familiariter conversabatur. Redux primum Canonicus Strigoniensis, deinde Episcopus Tinniensis factus est. Missus a Ferdinando Rege legatus in Poloniam ad Sigismundum Augustum, captus est amore Sophiæ Genisellæ puellæ honorariae in aula ejusdem Regis, quæ aliena a Religione Catholica, non se ei promittere aliter voluit, quam si non tantum Sacerdotio, verum etiam Religione Catholica repudiata eam sibi sumpsisset in connubium. Ad Concilium deinde missus in ejus Sessione 21. orationem habuit, in qua summa virium contentione egit pro conjugio Clericis concedendo. At vero legem coelibatus Concilium pro Clericis confirmavit, exceptis Clericis minorum Ordinum, idque tantum modo etiam, si coelibes alicubi haberi non possent. Ex eo, quod deinde fecit, patuit, rem suam potissimum quæsivisse. Quam cum non obtinuisset, abiit postea in Poloniam, et Genisellam sibi copulavit iis, quibus illa voluit conditionibus, videlicet renunciando Sacerdotio, atque ipsi etiam Religioni. Joannes Kolosváry in Syno-

nodo mortuus est. De quo Pallavicinus lib. 19. Hist. Conc. Trident. cap. 2. *Haud reticuero,* inquit, *per eos dies* (dies hæc erat 24. Nov. 1562.) *in Concilio occubuisse Joannem Kolosvarinum Dominicanum, Hungarum, Episcopum Csanadiensem, affectis moestitia Patribus, quam ejus virtus, ac sapientia promerebant, ac præ ceteris Draskovicsio, cui sublatus sibi socius videbatur in Hungariæ suæ commodis promovendis.*

Jam sessiones sedecim erant habitæ prius, quam a Pio IV. resumptum esset Concilium: accesserunt adhuc deinde sessiones novem. Itaque universe sessionibus constitit viginti quinque. Actum est in his de Fide, et de Reformatione. Quoad Fidem ea sunt definita, adversus quæ insurrexerant Lutherus, Zvinglius, Calvinus, atque alii horum socii et asseclæ, et quibus contraria dogmata statuerant. Est videlicet Canon definitus Divinarum Scripturarum, est asserta auctoritas divina Traditionum Apostolicarum, est doctrina Catholica exposita de peccato originali, de justificatione, de gratia, de numero, et effectu Sacramentorum, de partibus Sacramenti pœnitentiæ, de transubstantiatione Eucharistica, de Sacrificio Missæ, de iis, quæ pertinent ad Matrimonium, de Imaginum sacrarum, et Reliquiarum usu, veneratione, et cultu. Quoad reformationem facta sunt statuta de Episcopis, aliisque Clericis, de Monachis, et aliorum Regularium Ordinibus. Speciatimque quoad Episcopos de eorum obligatione residendi in suis dioecesibus, de obligatione Verbi Divini prædicandi per seipsos, de celebrandis synodis dioecesanis singulis annis, tertio autem quovis anno Provincialibus pro moderandis moribus, et emendandis, de controversiis

con-

componendis. Nec tamen decreta, quæ conduntur in conciliis Provincialibus debent publicari inconsulto Romano Pontifice, juxta declarationem Congregationis Interpretum Concilii Trid. Item de Visitatione dioecesium singulis annis, aut si hæc amplior sit, intra biennium, nec non qua ratione hæc institui debeat, ut fructuosa sit. Adversus Curiam Romanam factæ erant querelæ, quod Romæ rescripta impetrarentur, et deinde obtenderentur ad minuendam, et impediendam jurisdictionem Episcoporum in suis dioecesibus, et contra exemptiones. Dum Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est, quemadmodum definitum est etiam in Concilio Florentino; non possunt Episcopi existimare, se ita præsidere dioecesibus suis, ut non una cum his subsint Romano Pontifici, neque nisi ita esset, atque tota Ecclesia unum supra se caput haberet, illius aliqua unitas constaret. Cum vero contingere possit, atque etiam persæpe contigerit, ut rescripta obtinerentur obrependo; statutum est, ut rescripta vim non haberent, nisi exhibita prius Ordinario essent, ut si quid haberet adversus ista, edocere Romanum Pontificem posset, atque ita, quod concessit, in irritum mitteretur.

Exemptiones præsertim Monachorum, aliorumque Regularium non placebant jam etiam antea multis Episcopis; jamque in Lugdunensi I. generali Concilio, in Viennensi et pluribus aliis hi obnitebantur: quæ tamen concilia, ipsumque etiam Tridentinum has stare voluerunt, et decreverunt. Agnita sunt ab his merita Religiosorum erga Ecclesiam tam in convertendis infidelibus ad

Fi-

Fidem Christi, quam etiam Fidelibus instruendis in pietate Christiana, atque iis, qui ab hac desciverant, revocandis ad frugem, pluresque Ordines Religiosi directe sunt instituti, ut subsidio essent Episcopis, et Parochis in cura animarum. Cum vero contigisset, ut quoniam horum fervorem non nunquam et diligentiam majorem observasset populus, hisque propterea et aliis de causis magis afficeretur, quam suis ordinariis pastoribus, isti hinc, unde potius diligere eos debuissent, erga eos conceperint displicentiam: cumque ideo male ipsis affecti essent, etiam in eorum monasteria, et claustra extendentes suam auctoritatem, rem eo adduxerunt, ut Romanis Pontificibus necessarium visum sit, hos ab illorum jurisdictione eximere. Ne tamen Episcopi queri possent, suam lædi curam, et potestatem in dioecesi, cui toti præessent, statutum in Tridentino concilio est, ne Sacramenta administrarent, et ne Verbum Dei prædicarent extra suas Ecclesias, concedente Episcopo, intra suas vero petita ab hoc benedictione: et neque etiam in his illo contradicente: cautum quoque, ne domicilium sibi figerent in dioecesi, nisi consensisset Episcopus. Quodsi autem Regularis, etiam in cura animarum positus extra suum collegium, vel monasterium deliquisset; hunc denunciandum esse Superiori illius regulari, ut eum puniat, et quem si ille non punivisset intra tempus, ab Episcopo præstitutum, ipse Episcopus hunc possit punire. In ipsa etiam collegia, et claustra data est Episcopis potestas, ut si in his observasset rem, cui correctio adhibenda esset, de hac facienda Superiorem regularem admoneret; si vero ille hanc intra menses sex facere neglexisset, ipse eam Episcopus possit perficere. Monachis tamen e. Regula-

ilaribus adversus suos Superiores, si puniantur uod adversus instituta Ordinis peccassent, deneata est omnis prorsus aliorsum appellatio; quippe, judicatum est, hac concessa subversum iri isciplinam: dum nihil proclivius foret, quam se pponere Superioribus, et quærendo patrocinia rustrari eorum potestatem.

Pro laicis vidimus jam supra, nondum revocato Concilio per Pium IV. petiisse Ferdinandum usum Calicis in Eucharistia. Hoc idem deinde etiam in Concilio nec tantum ille, verum etiam Rex Galliæ per suos Oratores petierat. Post essionem 21. plures hac de re congregationes institutæ sunt. Patres fuere satis multi, qui concedendum hunc usum duxerint, multo tamen plures, qui censuerint negandum. Itaque rem totam Papæ reliquerunt, ut faceret, quod hac in re magis expedire judicasset. Cumque Ferdinandus institisset hoc a Pontifice obtinere, is hoc concessit, sed nonnisi pro sola Germania, atque etiam in hujus illis tantum locis, ubi judicio Episcoporum id videretur admittendum, et tantum modo eo usque, donec importunitas, quæ hanc permissionem expresserat, non defervuisset. Viennæ in Austria visa est primum hæc permissio profuisse, cum plures declarassent, se per hoc retentos esse in Ecclesia Catholica, qui secus transituri ad Protestantes fuissent. At vero etiam hæc utilitatis species brevi evanuit, potiusque damnosam esse, re comprobatum est. Namque hinc ansam Protestantes sumpserunt se jactandi quasi jam etiam Catholici inciperent videre veritatem Religionis ipsorum, ad eamque sensim transirent, multosque ex Catholicis hac ratione ad se pellexerunt. Quamobrem Pius V. et Gregorius XIII.

communionem sub utraque specie quoad laicc sustulit, et abrogavit. Qui præfracte stabant, steterunt jam etiam prius Hussitæ in Bohemia pro usu Calicis in Eucharistia, non aliunde h fecerunt, quam quod crediderint plus sumi si utraque specie, quam sub una. Eo ipso igit ostenderunt, se non credere sub sola panis spec contineri totum Christum, quod rectæ fidei coi sentaneum non est. Idem Ferdinandus Imp. iterum Maximilianus II. petebat a Romano Po tifice, ut saltem iis Sacerdotibus, et monach concederet retinere feminas, quas sibi copularun qui ex Lutheranismo vel Calvinismo, ad que desciverant, vellent redire ad Catholicam Relig onem. Quod vero constanter abnuit Pontifex ne ipsis in eorum libidine, et sacrilegio conn veret. Sed res hæc etiam alios allexisset, ut sumendas uxores diverterent ad Lutheranismun et Calvinismum, ea fiducia, quod redituri h etiam secum, jamque velut legitimas uxores po sent adducere, et habere. *Thuan. lib.* 36. *Palla lib.* 24. *c.* 24.

Sessio 25. et ultima habita est die 3. et Decemb. 1563. Qua terminata Patres interrogat placeat ne ipsis, ut ad laudem Dei omnipotent finis Synodo imponatur, atque omnium, et sing lorum, quæ tum sub felic. record. Paulo III. et Ju lio III. quam sub Pio IV. Romanis Pontificibu in ea decreta, et definita sunt, confirmatio no mine sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sed legatos, et præsidentes a Beatissimo Romano Por tifice petatur, responderunt: Placet. Tres tame erant, iique Hispani Episcopi: Anton. August nus Episcopus Leridensis, Bartholomæus Sebas anus Episcopus Pattensis, et Petrus Consalvus

Me-

Mendoza Salmanticensis, quibus videbatur hæc confirmatio non necessaria. Car. Ludovicus Richard in Analysi Conciliorum, de Tridentino Concilio sic loquitur: *Tridentinum Concilium nedum generalia concilia supra Papam esse profitetur, quod Constantiense, et Basileense, concilia præstiterant; sed contrariæ potius opinioni favere videtur, declarans in postremæ sessionis vicesimo primo capite de Reformatione, omnia Concilii decreta intelligi, et explicari debere, salva Apostolicæ Sedis auctoritate, Papæ judicio hæc ipsa decreta subdens, mandatque, ut ab eo peteretur eorumdem confirmatio, quemadmodum egit.* Hoc videlicet mirum Richardo videbatur, utpote Gallo, dum Gallis, sed solum modo recentioribus contraria placeret sententia. Hoc est, quod quamvis ex his, quæ attulit, viderit eminentiam Pontificis supra generalia concilia, tamen dixerit videri, Concilium huic opinioni favisse. Dissertationis meæ VI. in Selecta argumenta Hist. Eccl. §. 5. videor mihi satis luculenter demonstrasse tam veterum Conciliorum exemplis ipsius etiam Nicæni I. quam etiam testimoniis Patrum hanc confirmationem conciliorum etiam generalium factam per Romanos Pontifices fuisse, quæ neque aliter vim, et vigorem habuissent, nec non Dissertationis XIII. §. 5. et subseqq. Ex qua eadem Dissertatione XIII. quæ tractat de Concilio Constantiensi, puto etiam satis posse apparere, argumentum sumptum ex Concilio Constantiensi bene fundatum haud esse ad probandam Conciliorum generalium eminentiam supra Papam. Nec Concilium generale adversatur alteri concilio generali. Substravit autem etiam Concilium Tridentinum Acta Pontifici confirmationis causa. Eominus Basileense concilium

aliquam considerationem meretur: quemadmodum istud quoque demonstrasse mihi videor Dissertatione XIV. mea in Hist. Eccl. selecta argumenta. Patres fuerunt 255. qui subscripserunt Concilio, nimirum omnes qui ultimæ sessioni affuerunt. Die 6. Jan. anni 1564. subsequentis Pius IV. etiam per Bullam suam idem Concilium confirmavit.

§. 30.

De receptione Concilii Tridentini, et ejus promulgatione.

Concilii Tridentini solennis promulgatio facta est omnium primo Venetiis inter Missarum solennia, in Ecclesia S. Marci, ipso etiam jubente Senatu. In Hispania post celebratas plures synodos, Toleti, Salmanticæ, Cæsaraugustæ, Granatæ, et Mechliniæ in Belgio, quod tunc in ditione Regis Hispaniæ erat, in quibus omnes Episcopi suam observantiam erga hoc Concilium professi erant. Philippus II. Rex Hispaniæ suo etiam edicto illud observari in omnibus suis ditionibus jussit hac solum clausula addita, *Salvis suis, regnique juribus.* Quamobrem Sicilia quoque, et Neapolis, quæ eo tempore Regi parebant Hispaniæ, nec non Peruvia, Mexicana, quæ regna amplissima in America eidem Regi suberant Hispaniæ, idem Concilium susceperunt cum debita obedientia. Sebastianus Rex Lusitaniæ idem factum esse in suo regno literis suis testatus est ad Pium IV. idque pure sineque additione alicujus clausulæ.

In Gallia Carolus a Lotharingia Cardinalis, et Archiepiscopus Rhemensis statim ut rediit Triden-

dento, ubi Concilio interfuerat, Synodum provincialem celebravit: quæ synodus professa est, Se firma fide complecti, et tenere omnia, quæ de fide in superioribus oecumenicis conciliis, et novisime in sancta generali synodo Tridentina definita sunt. Hanc proxime secuta est synodus Cameracensis: in qua hac forma verborum suam Concilio Tridentino obstrinxerunt fidem Præsules: *Ego N. omnia, et singula, quæ in sancta Synodo Tridentina definita, et statuta sunt, palam recipio, nec non veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeo, et profiteor, simulque hæreses omnes a sacris Canonibus, et generalibus Conciliis, præsertim a prædicta Synodo Tridentina damnatas publice detestor, et anathematizo.* Idem ab Episcopis Galliæ factum est Rothomagi, Burdigalæ, Turonibus, Aquis, Tolosæ. Cum vero Reges Galliæ in ejus promulgatione per suum etiam edictum moras necterent, Clerus Gallicanus, apud hos identidem institerat pro hac promulgatione. Dicebat se timere, ne Ecclesiæ Gallicanæ nota schismatis inuratur: dumque hoc iterum factum esset a. 1615. in Comitiis regni Parisiis habitis ab eodem Clero, et Ordinibus quoque Regni; tandem etiam a Ludovico XIII. facta promulgatio est. Obtendebantur quæpiam adversus Concilii publicam receptionem, et promulgationem, in hoc statuta antiquis Regni moribus contraria. Quæ ne diutius morarentur hanc receptionem, Clerus Gallicanus se se obstrinxit ad rogandum Pontificem, ut ista temperet. Qua de re sic scriptum est a Natali Alexandro Hist. Eccl. Sec. XVI. Dissert. 12. art. 16. *Ordines Regni conjunctis studiis Regi pro Concilii promulgatione supplicarunt. Illud tandem Gallicani Præsules, cæterique viri Ecclesiastici, Gallicanam Ecclesiam*

ro-

repræsentantes in frequentissimis comitiis, eod anno Parisiis celebratis, subscriptione sua, juramento receperunt, ac se recipere declararu atque in conciliis Provincialibus solenni ritu r cipiendum, et comprobandum decreverunt, salı Regni juribus, et privatorum rationibus, quoru gratia Summus Pontifex rogaretur a Clero, quædam ejusdem Synodi capita temperaret. A que hoc Natalis se testatur, sumpsisse ex Tomo Commentariorum Cleri Gallicani.

In reliqua etiam Italia præter eas provinc as, quæ jam memoratæ sunt, Concilium stati receptum promptissime, et promulgatum est. Ni mo tamen S. Carolo Borromæo Cardinali, et A chiepiscopo Mediolanensi magis incubuit in ea curam, ut statuta Concilii observarentur. N unquam ad depravatos mores corrigendos suffec rat statuta fecisse, quantumvis optima, et sa ctissima, si deinde ii, qui præsunt, torpeant i vigilantia adhibenda, ut observentur. *Simile fa ctum est regnum cœlorum homini, qui seminav bonum semen in agro suo: cum autem dormire homines, venit inimicus ejus, et super seminav zizania.* Matth. 13. v. 24. De Germania sic e scriptum a Richardo. Tom. 2. Analys. Concilio pag. 611. *Germaniæ Principes Protestantes Co cilium recipere renuerunt: at illud ab Imper tore Maximiliano II. quoad ejus peculiares diti nes, ac deinde ab universa Germania in conve tu Augustæ Vindelicorum a.* 1566. *habito re ptum est* In Poloniam a Pio IV. Commendor fuit missus Nuncius Apostolicus, cujus opera, dexteritate perfectum est ut a Sigismundo III. R ge Poloniæ in generali nationis Polonicæ conv tu a. 1564. Parzoviæ habito, nemine etiam

rum

rum, qui alieni erant a Religione Catholica, contradicente, Catholicis autem mire conspirantibus idem Concilium susceptum sit. *Pallavic. Hist. Conc. Trid. lib.* 24. *cap.* 13. In Hungaria, et provinciis ei adnexis, quæ tunc magnam partem sub Turcis erant, multisque bellis conflictabantur, non habetur vestigium Synodi, et publici alicujus conventus, in quo cum solemnitate hoc receptum esset Concilium. Cum autem Maximilianus II. Imperator, idemque Rex Hungariæ, pro suis ditionibus, illud receperit, intelligitur, hanc receptionem ab eo etiam pro Hungaria factam esse. Continuator Fleurii *lib.* 169. §. 82. refert ex Thuano eumdem Commendonum a Pio V. missum esse ad Archiepiscopum Coloniensem, ut hunc cum aliorum tum etiam Hungariæ, et Sarmatiæ, (eadem hæc est, quæ Polonia) Episcoporum exemplo hortaretur ad Concilium Tridentinum suscipiendum, et amplectendum. Unde intelligitur ab ipso etiam Clero Hungariæ Concilii promptam receptionem factam esse.

§. 31.

Lutherani, et Calviniani ad Patriarcham Constantinopolitanum suam mittunt Confessionem adprobationis causa.

Ut Anglia, Dania, Norvegia, ceteræque provinciae, quarum Reges, et Principes defecerant ad novatam per Lutherum, et Calvinum religionem, suo etiam publico aliquo decreto snffragarentur definitionibus, et statutis Concilii Tridentini, non erat sperandum, et eo minus, dum sibi posuissent solam Scripturam pro tribunali ad de-

decernenda fidei dogmata, in quo tribunali Scripturae assideret interpres sensum Scripturae dans vel suo captu, cui illudere error potest, vel sola etiam libidine in eam partem, in quamvult, et destinatum sibi habet tractum sicut ipse etiam Lutherus post damnatas suas assertiones a Leone X. ita egerat, declarans, se neque Papæ, neque Conciliis solis crediturum, nisi convinceretur Scripturarum testimoniis. *Supra Part. V.* §. 7. Iidem, propter quos celebratum fuit Concilium, cum sibi nova condidissent dogmata, præseferebant, Religionis puritatem, quæ in Ecclesia Catholica defecerit, apud ipsos autem refloruerit. Hoc manifesto argumento volentes comprobare, Protestantes Tubingenses (Tubinga urbs est in Svevia) gubernatore istius negotii Martino Crusio, miserant summam eorum, quæ crederent ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum, eum in finem, ut si ille, quemadmodum credebant facturum, utpote affectum male Ecclesiæ Romanæ, his assensus esset, possent jactare, sibi esse veterem fidei puritatem, quam etiam Græci, communione disjuncti a Romana Ecclesia, de se prædicarent. Male vero ipsis res cessit. Primum Pratriarcha breviore dato responso culpaverat ipsos, quod sibi sumpsissent ultra id sapere, quod teneret, et crederet tam vetus, quam nova Roma, (Constantinopolis) quod descivissent a Patrum, et primævorum Theologorum doctrina, quantumvis dicerent, huic suam etiam doctrinam esse consentaneam. Nam hunc nonnisi fucum esse, siquidem Patrum testimoniis nihil deferrent.

Hoc accepto responso nondum destiterunt, sed rursus suæ doctrinae capita, jamque probata et argumentis instructa ad eumdem miserunt, d[illegible]

ceu-

centes, istud se dissidii tollendi spe inter Latinos, et Græcos facere, quam sibi spem facerent, si Patriarcha expendisset ipsorum argumenta. At vero Patriarcha indignatus, quod suas ei merces denuo obtrudere, atque persvadere ausi essent, libellum composuit, cui titulum indidit: *Censura Ecclesiae Orientalis,* atque in hoc Protestantium dogmata eodem ordine, quo erant ipsi proposita, assumpsit, et refutavit. Movit hominem jam senem ad hoc illa imprimis ratio, quod intellexisset, Protestantes jactare in Occidente suum cum Orientalibus in fide consensum, et convenientiam, quam cum sibi probrosam duxisset, voluit istam famam comprimere, eosque, qui illam sparserant, fallaciæ atque mendacii convincere. Speciatim arguit erroris, quod non omnia septem Sacramenta crederent, et pleraque ex his velut hominum inventa repudiarent, et nec illa, quæ profiterentur, pure, et sicut oporteret, tenerent; quod Scripturæ sacræ sensum suis interpretationibus perverterent; quod Sanctis, horumque imaginibus, et reliquiis cultum subtraherent, similiter ut Judæi; quod coelibatum, et continentiam, virtutem Angelicam, velut puritati Religionis contrariam, a se projecissent; quod ex Sacramento Pœnitentiæ distinctam peccatorum confessionem sustulissent; quod Patrum auctoritate contempta, tamen se auderent Theologos dicere. Perinde in ceteris, quæ Protestantibus instituta Religionis sunt, Jeremias Patriarcha fecit, et quæ his puritas, et fidei integritas insit, docuit. Post acceptam hanc Censuram Orientalis Ecclesiæ, et ad notitiam omnium aliorum perlatam, ultra Protestantes suam convenientiam cum Græcis Orientalibus non jactarunt. In iis, quæ sibi nova fecerant instituta Religionis, Protestantes accusabant

Ec-

Ecclesiam Catholicam, quasi in his a primæva puritate exciderit, et Romanum Pontificem, qui Ecclesiam ad hanc impuritatem deduxerit, criminabantur. Etiam ne Græcos Orientales, communione a se disjunctos, Romanus Pontifex inducere potuit ad ea, quæ velut impura Protestantes a se projecerunt, hi vero pergunt tenere eo modo, quo ab antiquo tenuerunt, quamvis ab Ecclesia Romana quoad alia quæpiam disjuncti? *Spondanus ad a.* 1574. *Chronicon Eccl. Græcæ Philip. Cyprii. pag.* 419.

Hoc, quod modo narratum est, fecerunt Lutherani a. 1575. Non eo minus etiam Calviniani in Belgio Foederato circa annum 1630. idem a Græcis Orientalibus quæsiverunt suæ Helveticæ Confessioni. Mirum debet videri, et istos nunc, et jam ante Lutheranos patrocinium quæsivisse, ab his suæ Confessioni, qui profiterentur, se in suis dogmatibus pro norma unam, et solam habere Scripturam? Quæ si pro ipsis erat, quid opus erat adhuc velle emendicare suffragium Græcorum Orientalium? Cyrillus cognomine Lucaris, patria Cretensis, peragratus Germaniam Genevam venerat, ubi doctrinam Calvini hausit. Ad hunc jam initiatum sua doctrina, et Alexandrinum factum Patriarcham Calviniani miserunt suam Confessionem, approbationis causa: qua obtenta possent gloriari de sua convenientia cum Græcis Orientalibus in professione ejusdem fidei, quasi veteris, et antiquæ. Obtinueruntque ab eo responsum prorsus tale, quale voluerunt. Ingens hinc exultatio, et tripudium Calvinistis, auctumque etiam, cum idem Cyrillus Alexandria ad Patriarchatum Constantinopolitanum translatus, Confessionem fidei quasi Orientalis Ecclesiæ plane Helveticæ

ticæ Confessioni conformem ad eos misisset, quamque hi velut a Cyrillo totius Orientalis Ecclesiæ nomine datam, sæpius typis ediderunt, se se jactantes et Catholicis insultantes. Neque tamen res ipsis cesserat gloriæ, nec gaudium eorum fuit diuturnum. Erat delatus Cyrillus, quod Cosacos instigasset ad Azecam urbem in ditione Turcarum diripiendam. Itaque a Turcis strangulatus, et ad Bosphorum Thraciæ ex Castro septem turrium, quod ex adverso Constantinopoleos est, præcipitatus fuit.

Cyrillus Beroeensis ei successit, huic Parthenius. Hic synodum Constantinopoli a. 1642. celebravit, in qua cum recensita fuissent omnia, quæ habuit Confessio Lucaris, consona dogmatibus Calvinianorum, sic pronunciatum ab eadem Synodo est: *Quapropter et hæc capitula, et interrogationes communi suffragio plene subvertimus, et repellimus, tanquam hæresibus repleta, et omnino ab orthodoxa nostra religione repellimus, eumque criminari* (Lucarim) *dum ait, suam privatam fidem esse professionem Orientalem Christianæ fidei Græcorum, cum sit Calvinica, non nostra. Eos vero, qui hæc Capitula legunt, et pertinaciter retinent, eaque sive verbis, sive scriptis defendunt, tamquam consentientes, et communicantes ejus hæresibus, et corruptores Ecclesiæ Christi, arcemus a congregatione fidelium, et tamquam ethnicos, et publicanos haberi præcipimus, nullam habentes communionem nobiscum, cujuscunque conditionis sint, et sunto æterno anathemati obnoxii, et segregati a Patre, et Filio, uno secundum naturam solo Deo et in hoc, et futuro seculo, et maledicti, et expertes veniæ, et insolubiles post mortem, et æternæ damnationis partici-*

tici-

ticipes. Neque enim unquam Ecclesia nostra talibus dogmatibus delusa est. Huc evaserat illa lætitia, et triumphus, quem Calvinistæ, Confessione quasi Orientalis Ecclesiæ sibi ab Lucari missa, in testimonium consensionis suae Confessionis cum Confessione Ecclesiae Orientalis, egerunt. Rursus a. 1672. Dionysius Patriarcha Constantinopolitanus, Constantinopoli, et Dositheus Patriarcha Jerosolymitanus Jerosolymæ Synodum celebravit (hæc altera etiam Bethlehemitica vocatur, quod Jerosolymæ incepta, hic continuata, et terminata sit) in qua distincte utraque hæc synodus exposuit fidem suam de iis, quæ conformiter Confessioni Helveticæ Lucaris in Confessione missa ad Calvinistas in Belgium professus erat, dogmata esse Orientalis Græcæ Ecclesiæ, sic videlicet: *Credimus Sacras Scripturas a Deo fuisse revelatas, eisque non ut lubuerit, sed secundum Ecclesiæ Catholicæ traditionem, et interpretationem adhibendam esse fidem, omni dubitatione majorem, et eamdem esse Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, quam Scripturæ. Credimus Deum ab aeterno, quos elegit prædestinasse, quos vero reprobavit, damnationi deputasse: at non sic, ut illos justificare, hos autem sine causa reprobare voluerit, atque damnare. Credimus non sola fide, sed ea tantum, quæ per charitatem operatur, id est, fide, atque operibus hominem justificari. Credimus esse in Ecclesia legis novæ Sacramenta, eaque septem, nec minorem, majoremve Sacramentorum numerum admittimus. Credimus in sancto divinæ Eucharistiæ Sacramento Dominum nostrum Jesum Christum esse præsentem non secundum figuram, aut imaginem, neque secundum quamdam, uti in ceteris Sacramentis, gratiæ excellentiam, neque secundum simplicem, quam*

et

in Baptismo Patres nonnulli commemoravere, essentiam, neque penes conjunctionem, qua proito Eucharistiæ pani Verbi divinitas hypostae uniatur, quemadmodum inscite, ac misere itherani arbitrantur, sed vere; realiterque, atenus panis, et vinum, facta consecratione, insmutetur, transubstantietur, convertatur; inseat panis quidem in ipsum corpus Domini rum, et vinum in ipsum verum sangvinem Doni. Atque sic per octodecim capita fecerant ræci suam Confessionem opposite iis, quæ Calsiani habent in sua Confessione.

Synodus Jerosolymitana sibi hunc titulum diderat: *Clypeus orthodoxæ fidei, sive apologia Synodo Jerosolymitana sub Jerosolymorum Paiarcha Dositheo composita adversus Calvinistas ereticos, Orientalem Ecclesiam de Deo, rebuse divinis hæretice secum sentire mentientes.* tiam Lutheranos, quemadmodum vidimus, Græin hac fidei suæ expositione attigerunt. Nam Confessionis suæ ab his missæ ad Jeremiam Paiarcham adprobationis causa mentionem fecent in sua hac Jerosolymitana synodo, *Jeremiam utem eorum hæresim theologice juxta, ac Caolice confutavisse, et orthodoxas opiniones, quasnque a principio Ecclesia obtinuit Orientalis, utheranos edocuisse.* Quæ pariter ipsius synodi nt verba. Cum Lutherani, et Calviniani ad ræcos Orientales confugerint testimonii causa, io vellent probare dogmata, quæ sibi fecerant, se ea, quæ primaeva Ecclesia habuerit, adhuc m incorrupta, intelligitur, ipsos etiam huic temonio detulisse auctoritatem, qui secus istud i quæsituri non fuissent. Græca Orientalis Ecesia hoc præstitit testimonium abunde. Illi ipsi igi-

igitur etiam recognoscant, oportet, et dogmata, quæ sibi formarunt, non esse primævæ Ecclesiæ, et quæ his contraria tenet Romana Ecclesia, quibus suo testimonio suffragatur etiam Orientalis Græca Ecclesia, perstitisse incorrupta, nec proinde verum esse, Romanam Ecclesiam a primæva fidei Christianæ puritate decidisse, verum hoc esse nonnisi affictum ab ipsis esse, ne dogmata, quæ sibi fecerunt, viderentur esse nova, atque cum his fidem quoque deseruisse, quam ab antiquo tenuit, et credidit Ecclesia. *Allatius in Tractat. de Orient. et Occid. Eccl. perp. consens. Carranza Summæ Concilior. Tom. 4.*

§. 32.

Lutheranorum, et Calvinianorum tractatus de concordia Religionis inter se facienda.

Antequam Lutherani, et Calviniani a Græcis Orientalibus testimonium suæ cum his in fide convenientiæ quæsivissent, se jam ipsos etiam in ejusdem fidei professione conjungere voluerunt, quod jam ante etiam aliquoties tentaverant, sed irrito successu. Maulbruni non longe Vittemberga in Saxonia utrique convenerant ad hoc perficiendum a. 1564. Lutheranis præsidebat Christophorus Dux Vittembergensis, Calvinianis Fridericus Palatinus Elector. E parte utraque delecti erant Theologi quinque, qui inter se conferrent; Calviniani, Petrus Boquinus, Gaspar Olevianus, Zacharias Ursinus, Michael Dillerus, et Petrus Dathenus; Lutherani, Jacobus Andreæ, Valentinus Vannius, Joannes Brentius, Theodoricus Schnepfius, et Balthasar Bidenbachius. Disputatum est,

Ver-

Verba Christi: *Hoc est corpus meum*, sumendane essent secundum literam, nec ne; deinde Corpus ne Christi uno, eodemque tempore in multis, vel plane omnibus locis existeret. Affirmabant Lutherani, negabant Calviniani. Disceptatio cum durasset dies septem, et neutra pars cedere voluisset alteri, tandem deventum est ad mutua convicia, et scommata, ita ut Elector Palatinus, et Dux Vittembergensis se se proripuerint, non sustinentes turpitudinem istius conflictus. Iidem Theologi utriusque partis scripto ediderunt, et vulgarunt, quomodo se ille tractatus habuerit; utrique vero gloriose, atque victoriam sibi adscribentes. Negabant Lutherani se se habituros Calvinianos pro fratribus, esse obsessos a diabolo, esse hostes Christi, cum quibus sibi nihil in societate Religionis possit esse commune; nec Calviniani omiserunt, paria paribus reddere. *Hospinianus Hist. Sacramentariae Part. 2. pag.* 554. *Spondan. ad h. a.*

Erant Vittembergenses ministri apud Augustum Electorem Saxoniae delati, quod de Eucharistia, de libero arbitrio, et operibus non sentirent, quemadmodum Lutherus, et Saxonicae Ecclesiae, verum Zvinglianos et Calvinianos sequerentur. Ille a. 1571. conventum Dresdae instituit Theologorum, et Superintendentium, ut eos vocant, non solum e Saxonia, verum etiam ab aliis Germaniae Principibus missorum. *Hi Formulam Consensus* conscripserunt. Quam vero alii suscipere noluerunt, potiusque contra eam insurrexerunt. Elector itaque metuens, ne hinc majus dissidium oriretur, alium conventum indixit Torgavium, quae etiam civitas Saxoniae est, a. 1574. Quindecim Theologis commiserat, ut formulam con-

concordiae componerent: at vero hanc ceteri respuerunt. Hos Elector primum in carceres conjecit, deinde exilio mulctavit: cumque eamdem formulam consensionis obtinendæ causa ad omnes Germaniæ Principes non solum Augustanæ, verum etiam Confessionis Helveticæ misisset; hi per suos Theologos aliam formulam conficiendam quisque diversam, curarunt: quas vero Elector Saxoniæ vicissim rejecit; suos vero Theologos, et ministros Saxones ad formulam servandam, suis auspiciis confectam, adegit.

Nihil erat propius, quam ut dissipatio totius Protestantismi consequeretur, eademque Calvinianismo timenda esset. Hoc fecit, ut utriusque Confessionis sectatores, serio de ineunda concordia sibi cogitandum existimarent. Quare Francofurti a. 1577. iterum conventum instituerunt, quo nullus apud eos fuit unquam celebrior, speciem habens cujusdam generalis concilii, utpote ad quem convenerint tam Lutherani, quam Calvinistæ undique ex Germania, Gallia, Anglia, Hungaria, Polonia, Belgio, Bohemia, et Helvetia. Cum hactenus quiquid statutum fuisset, non tantum non fuisset receptum ab aliis, verum etiam impugnatum, ne rursus idem accideret, atque omnis eorum labor in concordia facienda irritus fieret, statuerunt formulam concordiae, quam confecturi essent, mittere ad omnes suas Ecclesias, eum in finem, ut his liberum esset, omne id, quod vellent, in ea mutare, vel prorsus omittere, nec non addere, quod censuissent adhuc addendum, ut sic, quod omnium consensum obtinuisset, ab omnibus etiam firmiter teneretur, ipsique omnes in confessione eorumdem dogmatum convenirent. Poteratne autem vel cogitari, ut ista ratione illa uni-

unitas, quam quærebant, obtineretur tam multis concessa facultate reformandæ formulæ, quam compositturi erant, dumque hi in dogmatibus, quæ per formulam dare volebant credenda, ab invicem dissentirent? Post multas consultationes, et institutos seorsim minores conventus, tamen deinde *Liber concordiæ* prodiit dictus Bergensis, ab ejus præfatione, quæ facta est a Bergensibus: (Berga locus est prope Magdeburgum) non tamen ex consensu omnium: quin huic libro non tantum alii verbis contradixerunt, verum etiam hunc libellis impugnarunt. Ab Catholicis autem, appellatus fuit iste liber *Concordia discors Protestantium*, utpote ex quo enatæ sint majores inter Protestantes discordiæ. Denique id emolumenti habuit omnis iste tractatus de concordia et conspiratione perficienda in unam formam Confessionis; ut nova Protestantibus accesserit secta eorum, qui susceperunt hunc librum concordiæ pro fidei suæ norma, quos *Concordistas* dixerunt: qui vero vicissim omnes alios, velut hæreticos, condemnaverunt. *Hospinianus de Origine, et progressu Libri Concordiæ. lib. 3. c. 7. 9. 25. Laetus in Compend. Hist. Univ.*

Inter conventus, quos ii, qui sibi novam Religionem formaverunt, memorabilis est etiam Vapincensis in Delphinatu a. 1603. Calviniani hunc instituernnt, ea quidem præcipue de causa, ut inter se aliquam uniformitatem credendi facerent, deinde vero, ut cum Protestantibus in Germania, e quibus complures ministri ad eumdem conventum advenerant, aliquam concordiam inirent. Confessio Gallica approbata est, deinde deliberatum de scissura inter utrosque tollenda, conclusumque, ne se scriptis virulentis invicem appete-

 rent,

rent, præterea, ut ad formulam Confessioni quam, ut dictum est, approbaverant, adderetu Pontificem Romanum esse Antichristum, eiq notas a Daniele, et Apostolo designatas (Dan. v. 25. 2. Thess. 2. v. 4.) convenire. Cum Syn bolum Apostolorum recepissent, consultarunt d inde, quæ, et ubi fuerit hæc Catholica Ecclesi quæ per hoc Symbolum credenda proponitu dum ipsi, eorumque coetus, per Calvinum fo matus, nondum exstitisset. Nolebant recognoso re nostram esse Catholicam Ecclesiam. Videba enim, hoc si concederent, consequens esse, s qui ab hac recessissent, non esse in hac Cathol ca Ecclesia. Non constat, quid determinaveri Videtur eos illud ipsum constituisse, quod etia vulgo jactabant, nimirum Ecclesiam, antequa ipsi exorti fuissent, constitisse in Albigensibu Waldensibus, Wiclefistis, et Hussitis, vel etia penitus defecisse. Si vero in Albigensibus, et c teris, qui dicti sunt constitit, dum neque cu his in omnibus conveniunt, ergo tamen se a Ecclesia segregassent, quam Symbolum credenda proponit; si vero defecit, quod etiam magis an plectuntur; in Symbolo id continebatur, et d batur credendum, quod non fuit. Insectation tamen mutuæ Lutheranorum et Calvinianoru non desierunt etiam post Vapincense hoc statu tum: cumque synodales suas literas misisset omnes partes hicce conventus, Elector Brandebu gicus cum sua ditione ex Lutheranismo transi ad Calvinismum. *Thuanus Hist. lib.* 29.

Uladislaus IV. Rex Poloniæ cum vidisset be la, quæ jam exarserant in Germania, Gallia, al isque regnis ex diversitate, et discordia religi num, jamque ejusmodi turbis agitata fuisset ip

etiam

etiam Polonia, Thorunii in Prussia Polonica a. 1645. conventum et ipse instituit eum in finem, ut Lutheranos, et Calvinianos induceret ad eamdem cum Catholicis unitatem Religionis. Præter Catholicos itaque tam Lutherani, quam Calviniani vocati sunt ad conferendum de Religione: voluitque Rex hoc fieri ab omnibus, sedato animo, et pacato; deinde, ut pars quælibet, in scripto exhiberet ea, quæ crederet, et teneret, omni remota verborum non tantum asperitate, verum etiam inurbanitate. Lutherani Poloni in subsidium sibi vocarunt Joannem Hulsemannum e Saxonia, Calviniani vero Calixtum e Brandeburgico Marchionatu. Erat etiam Lutheranus: sed hunc judicabant imprimis idoneum ad partes inter se conciliandas. Cui vero, quod Calvinianis suam operam navasset, Lutherani gravissime indignabantur. Dicebant rem prorsus indignam esse, suum ministrum aliquod habere consortium cum malorum hominum conventiculo, inprimisque Hulsemannus, dicens, non licere orthodoxo Ecclesiam adire hæreticorum. Jam hinc licebat prævidere, quis fructus futurus esset etiam istius conventus ad tollenda dissidia causa Religionis. Nihilominus, Rege jubente, ad rem itum est. Rex constituit viros primarios, et ipsum Regni Cancellarium Georgium Tentzinum, qui negotio præsiderent. Calviniani, scripto, ut erat a Rege imperatum, declararunt, se inniti, suaque dogmata fundare in verbo Dei, attamen, ut sicubi obscuritas esset, se dicerent ire ad Nicænum, et ad prima alia Concilia, ad Patres trium primorum seculorum, et ad Symbolum Athanasianum: cumque exponere tantum debuissent, quæ ipsi habeant, et sibi posuerint credenda; non hoc fecerunt, sed Catholicorum dogmata, quibus ipsi

contrarie sentirent, ut est, verbi gratia, Cultus et invocatio Sanctorum attulerunt, neque ita, u creduntur, verum ista pingendo iis coloribus quibus maligne vellent, cumque multis conviciis Lutherani solam Confessionem Augustanam obtulerunt cum Catechismo Lutheri. Catholici professi erant, Verbum Dei, non tantum scriptum verum etiam viva voce traditum, et ad nos pei Patres, transmissum, esse, quod sequantur, nec non auctoritatem Conciliorum. De his exarsi vehemens disputatio: cumque Calvinianis redditum fuisset scriptum, ut ex eo submoverent verba indecentia, et conviciosa, hoc se facturos pertinacissime negarunt. Nec Hulsemanni fuit majoi urbanitas, et loquendi decentia adversum Catholicos. Nec ulterius speciatim ad ipsa dogmata ventum est. Sed cum per tres fere menses contentio, et concertatio de his, quæ dicta sunt durasset, dissolutus conventus est, dum nulla spes affulsisset alicujus concordiæ, et conciliationis Zbigneus, qui primum locum tenebat inter Calvinistas, invitaverat Lutheranos, ut saltem cum Calvinianis vellent in unum corpus coire. At vero hoc multo adhuc arrogantius Hulsemannus negavit posse fieri, nisi Calviniani missis suis erroribus, Augustanam Confessionem pure susciperent. Nam ipsos errare in iis fidei, et Religionis capitibus, quæ velut fundamenta ceterorum omnium sint, atque in fidei veritate tantum distare a se, quantum cælum a terra. Videntur igitur Calviniani procliviores, et mitiores ad ineundam cum Lutheranis concordiam fuisse, quam hi cum illis. In sua Synodo quoque Carentoniana (Carentonium est locus in Normannia, non procul Constantia) a. 1631. iidem Calviniani professi erant, Lutheranos in omnibus veræ Religionis prin-

principiis, et articulis fundamentalibus secum convenire, ideoque se se illos sine aliqua abjuratione prævia ad sacram Christi mensam apud se recipere. Si tamen in hoc sinceritas fuit. Nam iidem tamen a Lutherano, qui coenam Domini vellet cum ipsis sumere, prius exigebant, ut Lutherum abjuraret. Quamobrem Braunius Lutheranus, hoc Carentonianæ synodi statutum appellavit Cainianæ fraternitatis monumentum. Neque ergo etiam hæc alia fuit, quam Concordia discors. *Ittig. Synod. Carenton. Gall. Ref. Korthold. Hist. Eccl. Sec.* 17.

§. 33.

Protestantes denuo ineunt foedus contra Catholicos, hi vero contra illos. Quid Protestantes Donavertæ adversus Catholicos egerint. Protestantes, et Hussitæ rebelles in Bohemia.

Protestantes in Germania, qui toties, re tentata, concordiam inter se inire non poterant in fidei Christianæ certa aliqua confessione, erant tamen semper statim concordes, simul atque vim parassent adversum Catholicos, suæ religionis prætextu: habuerunt autem semper in vota sua pronos etiam Calvinianos. Per Transactionem Passaviensem, et Pacem Religiosam libertas religionis concessa ipsis erat, qualem sibi optarant: ut tamen obstringerentur ad pacem, et tranquillitatem servandam, et ne injuriam Catholicis inferrent, contentique iis, quæ jam bona Ecclesiastica ad se traxissent, ab his ulterius carpendis, atque rapiendis abstinerent. Hoc vero Protestantes non servaverunt; dumque ab Catholicis in ejusmodi

cau-

causis itum esset ad Spirense Imperii tribunal et pro his lata sententia esset, exigente æquitate; illi primum de hoc querebantur, deinde vero inter se etiam foedus fecerunt adversum Catholicos, quam *Unionem Evangelicam*, appellarunt. Ne tamen nimium in oculos incideret hæc illorum conjuratio, tantummodo qui hanc Unionem fecerant, se *Correspondentes* vocarunt. Non eo minus tamen observatum cito est, qui molirentur. Itaque ipsi etiam Catholici, ne sibi deessent, inter se foedus iniverunt, quam *Ligam Catholicam* appellaverunt.

Ex multis, quæ injuriosa, et violenta acta a Protestantibus in Catholicos sunt, est inprimis notabile, quod Donavertæ, in Svevia accidit. Sacellum hic Protestantes habebant in suburbio. Adegerunt magistratum minis, et vi intentata ut Ecclesia Parochialis in urbe Catholicorum concederetur ipsis, ubi partitis horis cum Catholicis obirent exercitia suæ religionis. Paulo post autem Catholicos penitus ex hac Ecclesia excluserunt, et ad sacellum quodpiam S. Viti amandarunt, et insuper his prohibuerunt, ne in funeribus effigiem Crucifixi præferrent; ne aqua lustrali, et thure in iisdem funeribus uterentur; deinde ne nisi per suos ministros proles suas curarent baptizandas, et tantum coram his matrimonia inirent: qui ipso etiam jure civitatis Catholicos privare volebant. Inciderat dies, qua hi ex more in supplicationem processerant. Lutherani tam Sacerdotem, quam totam multitudinem, procedere volentem, repentino incursu disjecerunt, et in fugam compulerunt. Res erat delata ad Imperatorem Rudolphum II. Maximiliano Bavariae Duci is commiserat, ut Donavertanos Protestantes officii ad

mo-

moneret, et modestos, pacatosque esse juberet. Cum tantisper quievissent, deinde rursus in Catholicos, in supplicationem procedentes, irruerunt armati gladiis, et fustibus, parati ad trucidandos non solum Catholicos qui processerant, verum etiam Praefectos Maximiliani Bavariae Ducis, qui ab eo missi ad componendos Protestantes adhuc Donavertae morabantur: in horumque caede bacchati Protestantes fuissent, nisi illi summa celeritate diffugissent, atque domos, in quas confugerunt, occlusissent. Sed neque Imperatoris mandato morem genere voluerunt, sed huic aliud contrarium mandatum a suae civitatis magistratu editum opposuerunt. Ter ipsos monuit Imperator, ut parerent; post trinam vero monitionem pervicaces juribus, et libertate Imperialis civitatis privavit, eidemque Maximiliano tradidit, ut armis subactos in suam ditionem redigeret. Quod cum factum esset, Donavertanis quamvis jam urbi admoto exercitu tamen cedere nolentibus, Catholici receperunt Ecclesiam, ex qua expulsi erant a Protestantibus. Ministri Protestantium alii urbe dedita diffugerunt, alii capti Monachium perducti sunt, et dati in custodiam: vitae gratia facta est omnibus, amissa tamen libertate, et juribus. Ipse Hofmannus in suo Lexico Universali, tametsi Protestans ad vocabulum Donaverta dicit Donavertanos, libertate quam assecuti erant pace Passaviensi, petulantius usos esse. *Thuan. lib.* 138. *Palatius in Vita Rudolphi II.*

Circa idem tempus, quo in Germania foedus illud fiebat, de quo dictum est, Hussitae, et Lutherani tumultuabantur in Bohemia; cumque ea, quae tumultuose petebant, ipsis a Rudolpho Im-

pe-

peratore, eodemque Rege Bohemiæ negata fuissent; illi conventicula celebrabant, et in his conjurationem ad arma capienda contra eumdem Rudolphum fecerant. Hic ne bellum accenderetur, et ad illos componendos, in paceque continendos literas misit, quibus libertatem exercendæ religionis ipsis concessit: quas Bohemi literas Majestatis appellarunt. Similes literas Rudolphus etiam dederat Silesiis, Moravis, et Austriacis Protestantibus, cum etiam hi Bohemorum exemplo provocati, armis minati essent, nisi similis libertas ipsis concederetur. Neque tamen hac etiam concessione sibi facta, contineri in pace, et tranquillitate poterant. In alienis Catholicorum fundis exstruxerunt sibi templa, et oratoria. Re ad Matthiam, qui Rudolpho fratri in regno successerat, delata, ademptæ ipsis claves sunt horum templorum, et oratoriorum. Illi vero querimonias jactabant de læso jure suo, quod per illas literas Majestatis obtinuerint; deinde ministris concitatoribus per conciones palam ad conventicula coire coeperunt, vimque parare. Matthias literas Majestatis, quarum prætextu illa faciebant, per Jurisconsultos expendi jussit, libertas Protestantibus concessa, pertineretne ad facultatem ædificandi etiam in alienis fundis. Cum Jurisconsulti aliter censuissent, Matthias Rex declaravit, non esse Protestantibus jus vi illarum literarum ædificandi templa in alienis fundis. Illi vero procacissime ipsi Regi inscitiam tribuerunt, et mentis exiguitatem ad intelligendas illas literas, nec paruerunt.

Brunoviae, ubi in fundo, qui ad Abbatem monasterii ejusdem loci pertinebat, sibique non competente, cum templum exstruxissent, nec inde

de cedere voluissent, et aliquot, ex ipsis qui se audacius opposuerant, dati in carcerem essent, ceterorum globus armatus irruit in Regiam arcem, et ex Regiis ministris Gulielmum Slabata Præsidem Regiæ Cameræ, Comitem Martinitzium supremum armorum Præfectum, et Philippum Platerum, alio nomine Fabricium de fenestris præcipites dederunt. Erat altitudo viginti orgyiarum: nec tamen ex tanto casu læsi erant, ut etiam protinus se dare in pedes, atque fuga eripere potuerint, dum iidem seditiosi adhuc in dejectos ex sclopis jaculati essent. Non desunt ex ipsis Protestantibus scriptores (Jäger Hist. Eccl. lib. 8. Cluverius) qui agnoscant istam horum, qui præcipitati ex tanta altitudine sunt, in vita absque ulla læsione conservationem non potuisse fieri, nisi Dei providentia extraordinaria. Henr. Matth. Thurn caput rebellium erat, quo instigante Bohemi non tantum arma non deposuerunt, sed etiam ceteri omnes per universam Bohemiam insurrexerunt, ærarium Regium occuparunt, priores magistratus ex officio deposuerunt, quin ipsum quoque regnum Bohemiæ Friderico Palatino detulerunt. Id factum erat a. 1618. cum anno subsequente Matthias Imp. et Rex mortuus fuisset, Francofurtum missis legatis impedire conabantur, ne Ferdinandus II. successor Matthiæ, Imperator eligeretur: sed rejecta fuit eorum postulatio ab omnibus aliis Electoribus præter Fridericum Palatinum, quem Bohemi etiam Regem sibi coronarunt. Bohemi rebelles non tantum subsidia sumpserunt a Protestantibus, verum etiam Gabrielem Bethlen Principem Transilvaniæ advocarunt in auxilium utpote addictum Helveticæ Confessioni. Qui cum in Hungariam se infudisset cum quadraginta militum millibus, et tam suæ Confessionis,

quam

quam etiam Augustanæ Hungaros facile sibi ass ciasset, multos vero etiam ex Catholicis vi ad gissset ad arma capienda, exercitus iste dein per Hungariam grassabatur indignissime, præse tim in Episcopatuum, et monasteriorum bon Sacerdotes autem et monachos, quos ceperant occiderunt non tantum crudeliter, verum etia propudiose; Martinumque Crisinum, Canonicu Strigoniensem, multis tormentis excarnificatum ad ejus constantiam fragendam, ac demum occ sum, in Cloacam dejecerunt. Bethlen Posonii cu Bohemis foedus iniit, quam Societatem æterna vocaverunt: quæ tamen jam subsequente anno i nita est. Jamque Bohemi duce suo Thurnio ipsu Ferdinandum II. Viennæ obsidere coeperant, Bethlenum sui in conventu Neosoliensi Rege Hungariæ proclamaverant. In Hungariam imm graverat Lutheranismus; et Calvinianismus per c pias, quæ ex Germania conscriptæ sub Ferdinai do I. et subsequentibus Hungariæ Regibus miss erant in eamdem Hungariam. In Transilvania Is bella Joannis Zápolya uxor post mariti mortem quodam Petro Petrovics seducta, edictum fecer quo quidvis credendi, et profitendi omnibus d dit facultatem.

Res in summo discrimine posita mutavit f ciem; præliis aliquot prospere factis adversus r belles per Dampierium, et Bucquoium belliduc Ferdinandi, ita ut Thurnius quoque solvere ol sidionem coactus sit. Non tantum vero Maxim lianus Dux Bavariae, verum etiam Georgius Sa xoniæ Elector, quamvis Augustanæ Confessionis visa iniquitate rebellium Bohemorum, ceterorum que, quis his consociati erant, suppetias Ferd nando tulerunt. Idem factum est a pluribus Ita

liæ

liæ Principibus. Pontifex Romanus Paulus V. et Philippus III. Rex Hispaniæ pecuniis eumdem Ferdinandum juverunt. Anno 1620. die 8. Novembris commissum est prælium ad Pragam ab exercitu Ferdinandi, ductu Maximiliani Ducis Bavariæ cum Friderico Palatino. Habebat is numerosissimum exercitum non tantum ex Bohemis, verum etiam ex Germanis, Hungaris, Anglis, et Batavis coactum, primoque congressu, Albo monte ad Pragam occupato, Cæsareos infra montem positos cedere coegit. Sed cum Maximilianus signa rursus inferri contra hostem jussisset, militesque ad spem victoriæ etiam a Dominico, Ordinis Carmelitarum, qui exercitui Crucem præferebat, excitati fuissent, exercitus adversariorum primum turbari, non servatis ordinibus coepit, deinde vero etiam terga vertit, et in fuga salutem quæsivit, nec ullo modo illius fuga sisti poterat. Cæsa sunt horum millia circiter quinque, plures etiam e ducibus capti: in eodemque ipso loco hæc facta illorum clades est, in quo Fridericum Palatinum Bohemi suum Regem salutaverant. Idemque hic erat, dies Dominicæ vigesimæ secundae post Pentecosten, in qua Missa habet illud Evangelii: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* Fridericus prælio non interfuit, sed in urbe vino indulsit, et jocis cum mulierculis. Ubi autem audivit se victum, et profligatum exercitum, ex urbe fugit cum uxore, et liberis in Belgium Foederatum. Maximiliano Praga se dedidit: redierunt ad officium Bohemi, Moravi, et Silesii, nec non Austria superior, quæ etiam sociata erat Bohemis. Exercitu victore urbem intrante, erat videre, Lutheranos, Calvinianos, Hussitas, qui in ea erant, turmatim confugientes ad Catholicorum Ecclesias, et mona-

ste-

steria cum libellis precatoriis, rosariis, icunculis in manibus, seque Sacerdotum, et monachorum fidei commendantes, dum illud metuissent, quod facturi erant ipsi, eorumque milites Catholicis, si victores fuissent. Maximilianus autem Bavariæ, et exercitus dux sub pœna capitis militibus prohibuit, ne quem læderent, vel spoliarent. Literas Majestatis repetiit, et recepit, et nonnisi Lutheranis exercitium religionis permisit, tantumque eo usque, donec Ferdinandus Imperator, et Rex etiam quoad hoc ipse statuisset. Itaque omnes etiam aliarum sectarum homines Lutheranos se dicebant. Maximilianus de victoria hac nuncium illico ad Romanum Pontificem misit, et vicissim ab hoc gratulatorias literas accepit. Hac relata victoria Bethlenus quoque, jam se ferens etiam Regem Hungariae, prostratus est, et Ferdinandus omnia, quæ Posonii, et Neosolii acta sunt in illis contra se initis conventibus, proscripsit. Pax tamen cum Bethleno nonnisi biennio post confecta est. *Struvius Hist. Germ. Period.* 10. *Nicol. Istvánfi Hist. de Reb. Hung. lib.* 4. *Katy lib.* 2. *et* 3.

§. 34.

Protestantes, et Hussitæ a Ferdinando II. domiti in Bohemia. Ejusdem edictum de restituendis bonis Ecclesiasticis in Germania. Bellum Pax Westphalica.

Est superiore §pho demonstratum, Protestantes in Germania se se denuo comparasse ad bellum inferendum Catholicis. Hoc nunc erupit. Ferdinandus II. Religionem instaurare in Bohemia,

nia, ceterisque illis ditionibus suis, quæ in illo bello, de quo supra dictum, Bohemis associatæ erant, adnisus, ex Bohemia, Moravia, Silesia, et Austria omnes sectarum cujusvis generis, ministros excedere jussit, et omnia conventicula, sectas illas sequentibus, interdixit: et ne impunitas licentiam daret peccandi Pragæ tribunal constitutum, ad judicium exercendum de illius rebellionis contra se capitibus, quos Bohemi Directores regionis vocaverant, atque de his supplicium etiam sumi jussit. Fridericum quoque Palatinum ex imperio proscripsit, ejusque tam ditiones, quam Electoris dignitatem in Maximilianum Bavarum transtulit: attamen flexus Principum Germaniæ precibus, omnia reliqua ei reliquit præter solam Electoris dignitatem, quam Maximilianus jam sibi collatam haberet, tantumque donec viveret, et quo mortuo ad Palatini hæredes rediret. Nec tamen hac tanta indulgentia affectus destitit Palatinus a sua malignitate, et non tantum ipse arma adversus Ferdinandum non deposuit, verum exteros etiam Principes Germaniæ, Regesque exteros ad bellum contra eumdem concitavit. Christianum, seu ut alii eum vocant, Christiernum, Daniæ Regem nactus est, qui illius causa bellum susceperit: qui vero victus est ad Lutteram oppidum Saxoniæ, per Tillium belliducem Ferdinandi deleto toto ejus peditatu. Pacem Dano Ferdinandus ea conditione tribuit, ne se rebus Germaniæ deinceps immisceret. Ipsius etiam Palatini copiæ, nec non quas auxiliares, potissimumque ex Saxonia collegerat, erant debellatæ penitus. Palatinum Ferdinandus mulctavit Palatinatus parte superiore, quam Maximiliano Bavaro contulit cum Electoris dignitate jam non ad tempus, sed in perpetuum, Austriam vero superiorem ab hoc re-

recepit, datam antea ad compensandas impensas belli sua causa gesti.

Satis videbatur rursus hocce bello Protestantium in Germania contusa esse audacia. Post pacem, quae dicta est Religiosa, *Supra* §. 28. contra hujus pacta Protestantes duos Archiepiscopatus, Bremensem, et Magdeburgensem, Episcopatus quatuordecim, pluriumque monasteriorum bona invaserant, et occupaverant. Nam secundum hanc pacem, concessum ipsis exercitium religionis erat, et permissa bona Ecclesiastica, quae ad illud tempus jam rapuerant; cautum vero, nequam rapinam deinceps facerent, aut injuriam qualemcumque Catholicis inferrent. Itaque Electores, et Principes Imperii Catholici hortati sunt Ferdinandum Imperatorem, ut dum post victoriam, tam insignem de Friderico Palatino relatam, opportunissimum esset, ut ipsis videbatur, bona illa Ecclesiastica recuperare, per edictum suum juberet illa restitui. Quod cum factum esset, et imperatum ab eo sub poena proscriptionis, turbati non mediocriter Protestantes sunt: qui qua cupiditate illa rapuerunt, eadem nolebant dimittere. Quamobrem Principes Protestantes foedus armorum, quod jam ante fecerant contra Imperatorem, et Catholicos, Lipsiae renovarunt, bellumque Caesari intulerunt. Vix videntur hoc facturi fuisse, si fiduciam in suis tantum viribus habuissent, sed nacti sunt adjutores Adolphum Gustavum II. Regem Sveciae, et Ludovicum XIII. Regem Galliae, qui Protestantibus quadringenta aureorum millia in annos singulos pollicitus est. Svecus autem suis etiam omnibus copiis auxilium ipsis tulit. Jam Gustavus I. circa an. 1520. Lutheranismum induxerat ad regnum Sveciae. *Supra* §. 11. Dania jam ante

ante Sveciam sub Friderico I. Rege, eoque præeunte, ad Lutheranismum desciverat. Ludovicus XIII. Rex Galliæ Protestantes pecunia juvit consilio Cardinalis Richelii. Dicebat, bellum hoc attinere tantum ad negotia alia, non Religionis. Itaque in foedere cum Sveciæ Rege inito cautum erat, ne quod incommodum inferretur Catholicæ Religioni. Quanto fuisset consultius, prorsus omittere illud, cui ne noceret apponi debuit conditio, ne vergeret in rem nocituram Religioni, sicut factum est.

Signis collatis cum Sveco victus est ad Lipsiam exercitus Cæsareus, cui Tillius præerat, a. 1631. iterumque subsequente anno ad Lutzenum in Misnia adversus Wallensteinium, ducem exercitus Cæsarei, Sveci victores fuerunt, quamvis ipse Gustavus Rex primum gladio vulneratus in brachio, deinde globo ictus plumbeo in tergo, lapsusque ex equo, et pede adhærente in subice, ad aliquot passus raptatus ab equo, demum confossus occubuerit. Cum varia deinde fortuna continuatum fuisset bellum biennium, a. 1634. Nördlingæ in Svevia ita succubuerunt Sveci Cæsareis, ut sedecim eorum millia cæsa sint, tormentorumque, et impedimentorum ingens numerus captus, dum ex Cæsareis nonnisi mille, et ducenti desiderati fuissent. Prælio interfuit etiam Ferdinandus III. Ferdinandi II. filius. Hac pugna confectum fuisset bellum, nisi vires Svecorum, et Protestantium sustentasset Galliæ Rex, nec jam solis pecuniis, verum etiam duodecim millibus peditum, et sex equitum subsidio missis, et insuper bello illato etiam Philippo IV. Hispaniæ Regi, ne auxilium ferre posset Ferdinando. Ejusdem Richelii, cujus jam facta mentio est, consiliis tam se inimi-

cum

cum præbuit Ferdinando. Id agebat Riche ut Archiducum Austriae potentia depressa, Re Galliæ eveheret in Europâ ad summum cul dignitatis.

Ferdinandus II. a. 1637. diem obiit supren Ferdinandus III. filius Electorum suffragiis fa Imperator est, quem tamen nec Gallia, n Svecia agnoscere volebat Imperatorem; quas Galli, vel Sveci aliquid juris habuissent ad ctionem Imperatoris. Gustavo in regno succ rat Christina filia, quæ se regno abdicavit a. 1 facta Catholica. Sveci Georgium Rakotziu qui Gabrieli Bethlen successit in Transilvania, rum in societatem belli vocaverunt. Is cum e citu septaginta millium irrupit in Hungariam insuper per literas, quaqua versum missas, citavit Calvinianos, et Lutheranos ad arma c enda, secumque jungenda, prætexens religi et libertatis defensionem, tametsi in neutro q piam fuisset, in quo se læsos dicere potuiss quin et Turcas sibi adjunxerat. Tota ard bello Germania, et Hungaria; fervebat quc bellum inter Gallos, et Hispanos. Tandem cl bus, et ceteris incommodis, quæ bella secum runt, attrita non solum Germania, sed ce etiam provinciis in bello hoc consociatis, de ce conficienda utrinque cogitatum est. Osnal gi cum Svecis, Monasterii cum Gallis, quæ u que civitas sita in Westphalia est, instituti ctatus de pace sunt. Cum Georgio Rakotzio prius bellum compositum fuit. Protestantes tebant, ut non tantum edictum a Ferdinand factum de Ecclesiasticis bonis restituendis post tem Religionis ablatis, verum ipsum etiam servatum Ecclesiasticum, quod in illa Pace

c

citum erat, aboleretur, quo cautum erat, ne, si qui ex Catholicis ad Protestantes transirent, bona Ecclesiastica possidentes, ista etiam secum possent transferre. In argumentum hujus suæ petitionis adferebant, sibi in bonis Ecclesiasticis multum adhuc deesse, ut in his ad æqualitatem veniant cum Catholicis. At vero Catholici demonstrabant, hæc bona esse Ecclesiis, et monasteriis collata a Catholicis, et pro Catholicis. Protestantes autem dicebant, esse has factas collationes etiam pro se. Ipsi anno 1617. celebrarunt annum primum secularem suæ, ut eam vocant, Reformationis. Longe vero ante, bona illa Ecclesiis, et monasteriis collata erant, et qui hæc contulerunt, Catholici erant, qui neque alios, quam Ecclesiam Catholicam, ejusque ministros munerari in mente habuerunt. Qui ergo a Religione Catholica desciverunt, hi neque ullo jure sibi arrogare poterant hæc bona.

Quadriennium ab a. 1644. usque ad a. 1648. duravit hæc de conditionibus pacis Osnabrugi, et Monasterii consultatio, quin tamen interea cessatum esset ab armis, et vel aliquæ induciæ factæ essent. Cum vero non tantum in Germania, verum etiam in provinciis hæreditariis viribus prævaluissent Sveci, jamque etiam pars urbis Pragensis capta ab illis esset; Ferdinandus III. cedendum ratus, ad conditiones pacis, tametsi duras, acceptandas descendit. Abrogatum est edictum Ferdinandi II. de restituendis bonis Ecclesiasticis; Friderico Palatino restituta est dignitas Electoris, attamen manente in eadem etiam Maximiliano Bavaro cum restrictione ad unam ejus hæredum lineam: idem Palatinus recuperavit etiam superiorem Palatinatus sui partem; Reservatum

 in

in posterum etiam pro Protestantibus est sancitum. Jus libertatis quoad Religionem non tantum Lutheranis, verum etiam Calvinianis assertum est. Svecis Bremensis Archiepiscopatus, et tres Episcopatus, nec non pars Pomeraniæ in compensationem navatæ Protestantibus operae data est, Brandeburgo autem, cujus erat Pomerania, Archiepiscopatus Magdeburgensis cum tribus Episcopatibus, Gallo Alsatia obtigit et Brisacum. Belgium Foederatum ab Hispano avulsum in Rempublicam versum est: quæ libertas Helvetis pariter concessa est. Postquam annos triginta bellum hoc durasset inde ab initio rebellionis Bohemicae a. 1618. gestumque esset cum summa direptione et vastatione civitatum, et agrorum die 14. Octob. 1648 pax hæc perfecta, statimque eadem die per explosionem tormentorum hora integra annunciata populo est. *Bougeant. Relat. Pac. Westphal. et Hist. Belli tricen. Brachel. Hist. tem. lib. 7.*

§. 35.

Multorum illustrium virorum in Germania reditus ad Ecclesiam Catholicam, aliorumque magnus numerus etiam alibi in ipsa etiam Hungaria ad eamdem Ecclesiam. Protestantium vaticinium de interitu Rom. Pontificis, et Catholicorum.

Hac obtenta pace Westphalica nimis exultarunt Protestantes in Germania. Propter bona aliquot Episcopatuum, et monasteriorum, quæ contra statuta etiam et legem Transactionis Passaviensis rapuerant, excitarunt tam funestum bellum ipsi etiam Germaniæ, neque tantum Catholicis

ve-

verum etiam Protestantibus in Germania, utpote, qui peraeque pertulerint belli istius mala, et acerbitates. Etiamsi justæ possessionis fuissent hæc bona, tamen præstitisset etiam ipsis, potius istis carere, quam illa tam gravia, et funesta pati: vel etiamsi Ferdinandi II. edictum de his restituendis fuisset iniquum, tamen ubinam viderunt in fidelibus primævæ Ecclesiae, cujus puritatem præseferebant exemplum ei simile, quod ipsi fecerunt, ut armis etiam insurgerent adversus edictum Cæsaris? Primi Christi fideles rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt. *Hebr.* 10. *v.* 34. Et rebellaruntne hi vel num saltem opposuerunt se adversum Imperatorum ethnicorum edicta, etiam sangvinaria? Christi verba in Evangelio sunt: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo - - - diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* etc. Matth. 5. v. 38, 43. Si Evangelici sunt, quales se dicunt et volunt haberi, cur igitur contrarium Evangelio, et nunc, et sæpius alias fecerunt, nec tantum in Germania, verum etiam in Hungaria, et aliis regnis? At vero etiam Catholici arma sumpserunt adversum Protestantes. Omnino. Verum, ut arma, sibi a Protestantibus illata repellerent, non quæ ipsi priores intulerint Protestantibus. In ipsis etiam Nuptiis Parisiensibus, de quibus Protestantes queri maxime solent, non aliud erat, quod Carolum IX. Regem Galliæ moverit ad has apparandas, quam ut Principes Regios, qui Hugonotarum erant capita, et quibus hi niterentur, perpetuo adversus Regem rebellantes, totiusque Regiæ familiæ excidium machinantes, opprimeret ejusmodi

di ratione, qua securitatem sibi, et toti regn pararet, civilis tamen sangvinis quam minimo im pendio. Supra §. 17. est de his nuptiis actum

Protestantibus, et maxime nobilioribus, quoi in Lutheri disciplinam concesserint, jam ratio movens erat bonorum Ecclesiasticorum opima præda; ipsorum Protestantium propria confessione: *Supra* §. 11. non quasi omnes hoc agitati stimulo essent, alios enim aliæ etiam illecebrae pellexerant, et eos, qui, ex Clero, et monachis ad illam puriorem religionem adspirarunt, licentia scortandi moverat, ut reformationem sequerentur propositam a Luthero; cui etiam ipsi eadem reformatio in sinum dederat Catharinam Bore. Non sic autem se res habuit apud Catholicos, dum Imperatores Catholici se opposuissent Lutheranismo Nonnisi enim pro officio suo, quo tutari deben Religionem, vigilantiam adhibuerunt, ne errore serperent, quos Lutherus, ad subvertendam Religionem orthodoxam spargebat cum ipsius etiam Imperii convulsione. Ferdinandus II. non tantum affectus optime erga Religionem, verum etiam ut æquitatem curaret, quod boni Principis est, bonis; quæ Ecclesia sibi collata habet liberalitate Catholicorum Principum, eidem Ecclesiae conservandis, studuit, edictum illud faciendo de restituendis bonis. Pontifex vero Romanus, Innocentius X. is erat, quamvis per Fabium Chisium nuncium suum intercessiset paci Westphalicæ, quod hæc absque illius consensu se in quædam immisisset ad ea etiam, quæ essent juris Ecclesiastici, tamen idem Romanus Pontifex, eumdem dico quoad munus, quod gessit, non quoad personam, nam hic Clemens XII. erat ultro concessit, ut si Principes Germaniæ Protestantes redirent ad Ecclesiam

clesiam Catholicam, bona, quæ tenerent rapta per eorum majores ab Ecclesia, salva conscientia retinere possent, non hæc bona quærens, sed magis illorum animas, et salutem æternam.

Ex ipsis Principibus Germaniæ religione Protestantibus hoc tempore permulti ad Religionem Catholicam redierant, nedum innumerabiles etiam alii: nec illa prosperitas, quæ contigit Protestantibus, obnubilavit eorum oculos, quo minus viderent, ubi veritas Religionis esset. Quosdam ex his speciatim memorabo, atque etiam qua id ratione factum sit. In Philippi Ducis Neoburgici manus venerat libellus a quodam Catholico confectus contra Lutherum. Dux, utpote Protestans, moleste tulit perstringi Lutherum. Ad eumdem Ducem invisendi causa propinquum suum, venerat Maximilianus Dux Bavariæ. Sermone facto de hoc libello dicebat, se optare ut ea, quæ in libello hoc adversus Lutherum essent scripta, Theologi Catholici in præsentia sua proponerent Augustanæ Confessionis Theologis, atque hi de his dissererent inter se. Hic fecerat, ut adessent ad certum diem Augustanæ Confessionis Theologi, ille idem fecerat quoad Theologos Catholicos Ratisbonæ a. 1601. multis aliis etiam præsentibus fuit habitum hoc colloquium. Caput quæstionis erat, et in quo totum fere tempus consumptum erat, duravit autem plures dies, Solane Scriptura sacra esset, vel num præter hanc alio etiam opus esset judice ad decidendas controversias fidei; deinde actum de Traditionibus est, istæne etiam obtinere deberent in Ecclesia. Victoria non cessit Theologis Protestantibus. Rem suam nec argumentis firmis egerant, et infirmum fuit, quod reposuerant ad argumenta Catholicorum, vel plane

ad

ad respondendum etiam elingves fuerant. Nam cum hi (Hunnius et Heilbrunerus nominatim isti erant) sic pro sola Scriptura argumentati fuissent Ea sola norma est, ad quam exigi debet omne quod credendum est, ad quam nos Deus misit atqui Deus nos ad legem scriptam misit; igitur hæc sola est norma, ad quam exigendum est omne quod credi debet, et rursus: Qui punivit omne a Dei verbo scripto recedentes, is ipso facto te status est, Dei verbum scriptum debere unam es se regulam credendi: sed Deus omnes punivit Dei verbo scripto recedentes; ergo ipso facto etc ipsisque propositio major utrobique negata fuis set; nam tunc sola Scriptura esset norma creden di, si ad hanc solam missi essemus. At vero 2 Thessal. 2. v. 14. est: *State, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epi stolam nostram*, illique adhæsissent, nec occur risset, quod responderent, tandem hæc illorum verba fuerunt: Putabamus, majorem non nega tum iri.

Quamvis vero hæc illorum argumenta rit formata non fuissent, ideoque in his proceder ulterius non potuissent; tamen contra Tradition hoc Deut. 4. v. 2. protulerunt: *Non addetis a verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex e* Sed neque hoc erat, quo probari potuisset solam Scripturam, non vero etiam Traditiones esse no bis sequendas. Neque enim etiam Moyses dixe rat: Non addetis ad verbum, quod scripto vobi do, sed quod loquor. Et quamvis Moyses Israe litis omnia scripto dedisset, quod difficile erit pro bare, tamen nondum debebit consequens esse sic factum etiam esse per Apostolos, dum hoc e verbis S. Pauli: *State, et tenete traditiones eci*

ma-

manifestum est, id sic factum non esse ab Apostolis. Eosdem Protestantes Theologos premebat Jacobus Gretserus e S. I. Theologus Catholicus Professor in Ingolstadiensi Academia, quaerendo, quanam alia via, si non traditionis habeant ipsius etiam Scripturae sacræ libros, atque hos sciant secernere a falsis, et spuriis? Eo ventum fuit, ut Maximilianus Catholicis Theologis præsidium dare debuerit ad eos tutandos, dum adhuc aliquamdiu ulterius collationes continuatæ fuissent. Erant enim quidam ex Protestantibus, qui minati sunt, se illos interfecturos. Huic igitur collationi cum interfuisset Gulielmus Philippi Palatini filius, nutare statim coepit in suo Protestantismo; mortuo autem patre factus Catholicus est. Ulricus Hunnius quoque, hujus, qui unus ex Theologis istius colloquii fuit, et Marpurgi in Hassia Juris professor idem cum Joanne Veninger æque Professore atque aliis pluribus quam sexaginta nobilioribus Protestantibus, idem fecit. Hunnius etiam librum elucubravit, et edidit sub hoc titulo: *Indissolubilia Catholicæ Religionis argumenta. Thuan. lib.* 126. *Relatio de Ortu, et Progressu Colloq. edita Monachii a.* 1602.

Hoc quod narratum est, contigit jam ante Pacem Westphalicam. Post hanc autem alii etiam, atque multo plures ex Germaniæ Principibus reversi ad Religionem Catholicam sunt. Ernestus Hassiæ Landgravius, cum ei de Religione dubia exorta fuissent, legit libros utriusque partis Catholicæ, et Augustanæ, tractantes de controversiis inter Catholicos, et Protestantes summa cum attentione et diligentia; deinde colloquium etiam fieri voluit coram se Theologorum utriusque partis. Quo facto convictus de veritate Religionis

Ca-

Catholicæ, hanc Coloniæ professus publice in Ecclesia est: quin librum quoque composuit, in quo rationes exposuit, quibus permotus nuncium remiserit Augustanæ Confessioni. Cujus exemplum secutus Georgius Christianus æque Landgravius Hassiæ pariter renunciavit Confessioni Augustanæ, et Bruxellis, ad Religionem Catholicam reversus est. Idem fecerunt Christianus Augustus Princeps Sulczbacensis ex familia Palatina, Odoardus Comes Palatinus, Ulricus Dux Wirtenbergicus, Joannes Fridericus Dux Brunsvicensis, Philippus Dux Neoburgicus. Fridericus II. Hasso Casselanus Landgravius præsertim dignus memoratu est ob animi constantiam, quam præstitit in Religione Catholica suscipienda. Ille libros SS. Patrum magna sedulitate volvit, et cum horum doctrina comparavit tam quæ Catholica Ecclesia profiteretur, sua etiam ætate, quam quæ Calvinus suis sectatoribus tradidit dogmata, nam hujus sectator et ipse Landgravius erat. Semper conscientiæ libertatem in Religione tam sectatores Calvini, quam etiam ceteri omnes, qui sibi novam formabant religionem, crepabant, sed hanc sibi tantum vindicant, ceteris omnibus negant. In Fridericum eo, quod Catholicus factus esset, insurrexerunt sui subditi: ablata ei ab his conjux ablatæ, et abstractæ ab eo tres proles sunt, ut prohiberent, ne uxor maritum, proles patrem sequerentur in Religione: etiam Principatu, et hæreditariis bonis privare illum voluerunt. Cumque vincere ipsius constantiam nullo modo potuissent, non aliter in possessione suarum ditionum reliquerunt, uxoremque, et liberos ei restituerunt, quam ubi jusjurandum dedisset, se in eo statu, in quo esset, et libertate, Helveticam Confessionem in suis ditionibus, porro etiam servatu-

rum.

a. Quam subditi ab Imperatore in Germania, aliisque regnis a suis Regibus libertatem relinis petierunt ipsis armis; hanc domino suo lviniani permittere noluerunt. *Continuator Fleii. Tom.* 79. *pag.* 374.

Quod Calviniani in Hassia Cassellana fecerunt ntra suum Landgravium; hoc factum a Luthenis est, in Saxonia adversus Augustum III. Elerem Saxoniæ. Hic cum patre suo Friderico igusto II. qui a. 1697. Rex Poloniæ factus erat, ligionem amplexus est Catholicam: quem hi iter adegerunt ad *Assecurationis tractatum*, eum vocarunt, ineundum, de Lutheranismo acte in Saxonia servando, deque Catholicæ Reionis usu non ultra suam familiam extendendo. naparte, Imperator Gallorum, hanc oppresnem Catholicæ Religionis in Saxonia novissime tulit, et ad libertatem Catholicos posuit, qua therani tantum frui in Saxonia voluerunt. Sic rolus etiam Alexander Dux Wirtenbergensis, tus Catholicus, adactus est a subditis suis, prori indigna ratione, ad similem faciendam ipsis nsionem. Quam se etiam invicem tolerent, patiantur Lutherani, et Calviniani, illud osten. In Svecia Regis, et Ordinum regni consenconcessum fuit Calvinianis, nec non Catholiexercere suam Religionem. At vero ministri therani huic concessioni se opposuerunt, nec ieverunt eo usque, donec Rex indulgentiam suam vocasset. Pace Westphalica Helveticæ et Augunæ Confessionis sectatoribus æqualis libertas it concessa. Illi tamen cum Francofurti sibi mplum vellent exstruere, Lutherani hoc iis non rmiserunt. *Continuator Fleurii Tom.* 79. *pag.* 74.

Sed

Sed redeo, unde digressus sum, ad Religic nem Catholicam, quemadmodum hæc refloruer post pacem Westphalicam non tantum in Germa nia, verum etiam alibi. S. Franciscus Salesiu Episcopus Genevensis ad septvaginta millia, ma ximamque partem Calvinianorum reduxit ad Ec clesiam Catholicam, inter quos multi nobilitate, e scientia insignes viri erant, quemadmodum scri ptum est in ejus Vita. Etiam Vita S. Joannis Fran cisci Regis e S. I. habet ab hoc Apostolico viri innumerabiles e Calvinianis in Gallia, et finitimi regionibus esse revocatos ab erroribus. Hoc S. Fideli a Sigmaringa factum æque est in Rhætia. In Hungaria quoque Petrus Pazmannius Cardinalis, et Archiepiscopus Strigoniensis quinquaginta illustres Hungarorum familias præter eorumdem Hungarorum multa alia millia ad gremium Ecclesiæ Catholicæ reduxit. Dum a. 1600. Romæ Jubilaeum celebratum esset, multi ex Germania, aliisque provinciis Lutherani, et Calviniani venerant Romam videndi causa atque etiam irridendi, quæ se ibi monstra superstitionum visuros putabant, quemadmodum hæc depingebantur ab eorum ministris. Quorum permulti observata fraude, dolis, et maledicentia suorum ministrorum abjurarunt errores, et facti sunt Catholici. Idem hoc contigit etiam postea sæpius. Ex his tunc Romam pergentibus fuit etiam Stephanus de la Favergue Calvini pronepos, æque tantum videndi gratia portentosas superstitiones Romanas, ut eas solent Protestantes vocare. Etiam vero iste amplexus est Romæ fidem Catholicam: quod quam torserit Calvinianos dici non potest. Nec tantum satis fuit ei fieri Catholicum, sed ingressus etiam est institutum Carmelitarum paulo ante ad rigorem pristinum reformatum, cui prius ludibrio eran

omnes

nnes monachi. Stephanum secutus est et in amlectenda fide Catholica, et in eodem instituto nonastico ejus etiam famulus. *Spondanus ad a.* 1600. *Thuan. lib.* 124.

Dum annus inivisset 1666. quia *Apocal.* 13. v. 18. de Bestia dicitur, per quam Antichristus ntelligitur *Numerus ejus sexcenti sexaginta sex,* iquidem Lutherus, et post hunc ejus sectatores, Romanum Pontificem pro Antichristo, et bestia Apocalyptica haberent, hunc annum buccinaverunt esse eum, quo Romanus Pontificatus casurus, et desiturus sit. Anno 1688. ob concursum numeri octonarii sicut Protestantes in Germania ex anno 1666. hoc fecerant, similiter Hugonotæ in Gallia mysterium invenerunt, atque hunc annum fatalem Romano Pontifici habuerunt. Puella quædam nomine Isabella Vincentia in Delphinatu omnium prima coepit canere hoc vaticinium, idque cum contortione, et volutatione in terra sui corporis. Hoc enim credebat necessarium, ut fidem faceret, se divino spiritu esse afflatam, atque hujus instinctu se suum vaticinium facere. Hujus puellæ exemplum statim secuti sunt etiam alii omnis ætatis tam viri, quam feminæ, atque inter ridiculos corporis motus, membrorumque agitationes idem vaticinium de Romani Pontificis et omnium Catholicorum interitu effutiebant. Quodque magis mirandum, creditum hoc vaticinium fuit ab Hugonotarum etiam doctissimis, ita ut ipse etiam Petrus Jurieu per literas, quaquaversum missas, hoc vaticinium ratum habuerit, et publicaverit, idque etiam cum nova revelatione anni istius fatalis non anno 1688. verum post annos sex, et viginti. Credo noluisse annum illum præsentem sumere, quo implendum sit hoc vaticinium,

um, ne illius vanitas cito appareret. Ex Gall hic fanatismus venit etiam in Angliam, et tant numerus fanaticorum coepit esse, publice in pl teis se se volutantium cum gesticulationibus, m ventibus risum, ut ad turbulentos hominum co cursus vitandos Regii Consilii decreto interdi hæ vaticinationes debuerint. *Jæger Hist. Eccl. l. 7. c. 10. Arnold. Hist. Hæres. Vol. 2. C. 24. Co tinuat. Fleurii ad eosd. an.*

§. 36.

Religionis propagatio in America et India Oc dentali.

Iisdem temporibus, quibus in Germania, m tisque aliis regnis Europæ, defectio ingens a R ligione Catholica facta est, sed utique tantu eorum, de quibus est 1. Joan. 2. v. 19. *Ex nob prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fi issent ex nobis, permansissent utique nobiscum* ita tamen, ut quemadmodum demonstratum e multi ex his reversi ad Ecclesiam sint, a q aberrarunt; eadem Religio incrementa cepit i multis aliis vastissimis Asiæ regionibus et in Am rica. Hanc esse detectam a. 1492. a Christopho ro Columbo, et Americo Vespucio, dictum e jam in Prolegomenis Cap. 3. §. 9. Columbus cu sumptibus Ferdinandi V. Hispaniæ Regis suas na vigationes fecisset, ad hunc nuncium etiam de h terris attulerat, quas novas repererit. Hispan qui missi erant ad terras, quæ a Columbo repe tæ sunt, occupandas, multa gravia, et Christian hominibus indigna perpetrarant adversus terr rum illarum incolas soli inhiantes auro. Franc

scus

scus Ximenius Cardinalis, et Archiepiscopus Toletanus svasor Regi fuit, ut viri Religiosi sanctimonia, et vitæ integritate præstantes eo mitterentur, qui et licentiam comprimerent Hispanorum militum, et fidem in illis regionibus Christi plantarent. Conquisiti sunt viri ex omnibus coenobiis Hispaniæ pietate, et eruditione præstantes ad hoc opus. E Societate Jesu hi delecti sunt, ex Ordine S. Dominici, S. Augustini, et S. Francisci partem maximam. Americani homines erant feri, et omnis culturæ, ipsorum etiam agrorum expertes, sed venatu tantum animalium viventes, atque homines non minus, quam feras venantes, horumque etiam carnibus vescentes. Colebant pro Deo quædam simulacra, quæ *Zemes* appellarunt, atque humanis puerorum, et puellarum victimis colebant. Eodem adhuc anno, quo hi ex Hispania in Americam Viri Apostolici venerant, classem in Americam misit etiam Emmanuel Rex Lusitaniæ pariter cum viris Religiosis, postquam Brasilia a Lusitanis fuisset detecta regio Americæ, qua parte ad meridiem spectat. Postquam Galli quoque in America sibi possessiones quæsivissent, etiam a Ludovico XV. missi sunt viri idonei ad prædicandum Evangelium in eadem America. Americanos plerumque non fuit difficile superare, cum sclopporum fragore, atque missis inde globis in summum terrorem conjecti fuissent, existimantes adversarios tonitrua, et fulmina in suis manibus gestare: terrori autem cedentes, etiam munusculis deinde allecti sunt præsertim speculorum, quæ vehementer illos oblectabant. Sic deliniti ab Europæis, atque hos amare incipientes, dum hi coram erecta etiam Christi Crucifixi effigie in genua flexi preces fudissent; illi ad hos accedebant, atque idem faciebant, iisdemque se doci-

les

les præbebant. Successum Religionis propa in America illum habuit, ut a. 1532. fere se tos Episcopatus, et sexcenta monasteria nun verit, quemadmodum est apud Lindanum *in log. pro Ecclesiar. in una Christi vere Evang Concordia cap. 2. Petrus Martyr Anglerius cad. 3. Cap. 1.*

De populis incolentibus Mexicanam r nem præcipuam Americæ Septemtrionalis, tinus Valentinus ex Ordine Minorum, qui duodecim sociis ejusdem sui Ordinis ex His missus erat, ad populos illius regionis in Christiana instruendos, postquam sub Hispan potestatem venisset, scripserat in literis in spaniam datis, quæ exstant apud Wadingum 8. ad a. 1530. a se, atque sociis suis esse quam decies centena millia Indorum bap Dum America nomen etiam Indiæ Occide gerit, Americani hinc etiam Indi solent vo nec se hyperbolice, hunc ponendo numerum stabatur loqui, sed juxta rei veritatem. Fere viginti a se exstructa esse coenobia, atque in dies semper exstrui ab ipsis Indis fervid votione, sunt verba ipsius epistolæ; in h vicinitate esse habitacula constructa, in q quingenti, et amplius pueri instruantur in d na Christiana, qui non tantum alios pueros, v etiam parentes suos doceant. Sunt tenacis quit, memoriæ, valde dociles, et perspic sunt pacifici, et inter eos numquam est rixa jurgium, loquuntur submissa voce, oculis de sis. Mulieres fulgent incredibili honestate, recundia foeminea naturaliter inest iis, Conf nes eorum, maxime foeminarum sunt incom bilis puritatis, et inauditæ charitatis. Sacr

ct

ctum Eucharistiæ Sacramentum abundanti lacrymarum effusione suscipiunt, Religiosos, præcipue Fratres Minores pro magno ducunt, quia primo eos cognoverunt, et per Dei gratiam bonum exemplum ab eis accipiunt. Idem Wadingus loc. cit. habet etiam literas Zumarragae Archiepiscopi Mexicani ad eosdem Minores datas. In his, *Scitote*, inquit, *nos magnis laboribus distineri in conversione infidelium*, *quorum* (Religiosorum Divi Francisci) *manibus plus quam decies centena millia, gratia Dei, baptizata sunt, quingenta idolorum templa solo æquata, plusquam viginti millia dæmoniacorum simulacrorum ab his antea culta confracta, et concremata, plerisque in locis fabricatæ Ecclesiæ, atque oratoria erecta, Dominicæ Crucis vexilla jam ab Indis culta, quodque admiratione cum primis dignum est, cum in hac Mexicana urbe solerent olim idolis suis plusquam viginti millia cordium puerorum, puellarumque quot annis in sacrificiis offerre, nunc humana illa corda universa non jam dæmoni, sed Deo altissimo innumerabilibus laudis sacrificiis offeruntur*. His pueris, atque puellis ante simulacra constitutis pectus primum fuit discissum, et apertum, deinde cor extractum, atque ori admotum simulacri, et quasi ad edendum datum, demum eorumdem sangvine iis litatum De pueris, qui in disciplina Christiana instruebantur eadem refert, quæ jam sunt memorata, et insuper, istos speculari magna cum sedulitate, quibus locis parentum idola laterent, eaque furari; unde factum sit, ut nonnulli a parentibus suis crudeliter necati sint; ad puellarum institutionem ab Imperatrice Elizabetha (Caroli V. Imp. hæc fuit conjux) ex Hispania missas esse mulieres sex honestas, et prudentes, datumque ab ea in mandatis, ut

am-

ampla domus fabricaretur, in qua illæ sub Episcopi patrocinio ad mille usque puellas erudiri possent. Mexici, quæ non tantum Mexicanæ, verum etiam totius Americæ prima, et maxima urbs est, centum millia ædium complectens a Paulo III. R. P. a. 1541. Sedes Archiepiscopalis constituta est, habens sub se Episcopos octo. Sub finem seculi decimi octavi perhibent Scriptores, jam fuisse in America Archiepiscopatus quinque, Episcopatus centum et septvaginta duos, septvaginta millia templorum. E quo numero templorum licebit etiam facere conjecturam de numero Fidelium istius ejusdem temporis in America. Ladislaus Sappel (Geschichte der fortgeplantzten Religion) dicit fuisse horum quadraginta milliones.

Nuspiam autem in America magis effloruit Christiana Religio, quam in Paraguaya, quæ ingens Americæ regio est inter Brasiliam ad ortum, et Paraguayrum fluvium ad occasum, tensa per quadringenta et amplius milliaria Germanica. Erant initio Paragvaji difficiliores ad credendum Evangelio, qui viginti Missionarios, ut solent vocari, interemerint, et aliquot centenos, e suis, qui primi facti Christiani erant. Omnia vero vicit obstacula indefessus Missionariorum labor, et invicta constantia. In sola ea regione, quæ proprie Paraguaya vocatur, est enim divisa in plures provincias, diversis insignitas nominibus, jamque sub initium seculi decimi octavi numerabantur tercenta Christianorum millia: de quibus Muratorius (*Relat. des Missions du Paraguay cap.* 7.) refert, quod cum eo venisset P. Florentinus ex Ordine Capucinorum testatus sit, se nescire, an uspiam sanctiores Christiani sint, istisque visis in Paraguaya

guaya se existimasse videre illos primos Christi fideles, quorum erat cor et anima una. *Act.* 4. *v.* 32. Morum autem innocentia illorum talis erat, ut Petrus de Faxardo Episcopus urbis *Buenos Ayres* (Bonus aer) in eadem Paraguaya, in literis suis ad Philippum V. Hispaniæ Reg. testatus sit, apud eumdem Muratorium, se non credere, ut in hac beata regione vel unum committatur letale peccatum. Præter ea, quæ etiam in Europa usitata sunt pietatis exercitia, Christiani in Paraguaya mane et vesperi conveniunt ad peragendas preces ad Ecclesiam, quas pulchras, omnibusque ornamentis instructas habent; solennibus vero festis etiam floribus ornant, consperso floribus ipso etiam pavimento, atque odoriferis aquis; nec non odores incendunt in omnibus altaribus: preces autem alternatim clara voce persolvunt. Post solis ortum celebratur Missa, a qua vix aliquis emanet etiam profestis diebus. Non tantum diebus festis, verum etiam sabbatis. Missa fit cum musica, qua cum valde delectentur Paraguayi, se nimis dociles ad hanc præbuerant, sicut et alias artes non tantum mechanicas, verum etiam liberales cito arripuerant, et didicerant, instructi ad has ab Europæis. Quantum cantu, et musica afficiantur, hinc licet etiam intelligere. Nam si Missionarius incidat in aliquem nondum Christianum, et adhuc ferum; tantum cantare debeat, ut cantantem sequatur ferus usque ad locum, quem incolunt Christiani, seque his adjungat, et consociet etiam in ipsa Religione. In festo SS. Corporis Christi non tantum Ecclesia, verum etiam plateæ, per quas proceditur, singulariter exornantur: omnes hac die ad Sacram mensam accedunt, quod et aliis diebus, etiam non festis, frequentissime ab iis fit, omnes laudes Dei canunt: supplicatione finita

omnes conferunt pro pauperibus, et infirmis, q ad victum sunt necessaria. Longum esset nimi omnia, quae sunt hujus generis, enarrare. Sæ ipsi recenter conversi ad fidem, agunt fidei pr cones, et Apostolos, perguntque ad sparsos in d sitis etiam locis infideles, sacra prius Confessio expiati, et Comunione refecti cum desiderio ip us etiam Martyrii. Missionarii e Societate Je plantarunt et Religionem Christianam in Parag aya, et ad hunc statum tam eximium perduxeru a) Paraguaya sub Rege Hispaniæ majorem parte est. Dum autem in Hispania illud oestrum libe tatis fanaticæ etiam exstitisset, quemadmodum Americani se etiam subduxerant multi ab obs quio Regis Hispaniæ, ita neque Religio inco cussa. Anglis præsertim laborantibus adversus C tholicam Religionem.

Religio Christiana his temporibus etiam pr pagata est ad Indiam Orientalem. Quæ hæc s declaratum est Prolegomenor. Cap. 3. §. 3. Secu decimoquinto Lusitani duce Vasquio in eam v nerunt, atque etiam sedes sibi fixerunt. Cumq res his semper melius processissent, Joannes II Rex Lusitaniæ a. 1540. a Paulo III. R. P. vir aliquot e Societate Jesu, tunc recenter nata a fidem Christianam ibi plantandam petiit. Horu unus, et præcipuus fuit S. Franciscus Xaverius Romano Pontifice etiam Nuncii Apostolici pote state instructus. India dividitur in tria imperia quem-

a) De quo sic scriptum est a Philippo Jacobo de Huth. Ve such eiuer Kirchengeschichte des achtzehnten Jahrhu derts Augustæ Vindelic. a. 1807. Der unpartheyische G schichtforscher muss gestehen, dass man so gut gebild te Christen, und Bürger bloss dem Eifer der Missionä der Gesellschaft Jesu zu verdanken hat.

quemadmodum *loc. cit.* demonstratum est: quae multa continent regna, nec omnia iisdem regibus subjecta. In ea illius regione, quæ Regi Lusitaniæ parebat, postquam Xaverius cum sociis Evangelium prædicasset, in Japoniam, quæ Indiae pars est, etiam progressus, multa centena hominum millia ad Christum convertit, pluresque in his reges, et viros principes: quorum aliqui etiam legatos miserunt Romam ad Gregorium XIII. Papam suae erga eum venerationis, et observantiæ testandæ causa. *Thuan. lib.* 77. Volebat Xaverius ad Sinarum etiam imperium intrare. Ad insulam Sancianum jam pervenerat. Ubi cum substitisset, donec ingrediendi obtinuisset facultatem, sine qua nulli peregrino licitum est intrare, mortuus est. Indis jam S. Thomam Apostolum prædicasse Evangelium dictum est supra *Part.* 1. *pag.* 98. Quos cum prorsus alienos a fide repererit S. Xaverius, sequitur, hanc deinde ibi fuisse oppressam, et exstinctam. *Horat. Tursellin. in Vita S. Franc. Xaverii.*

Sed ne nunc quidem firma constitit in Japonia. Bonzii, sic sacrorum ministri vocantur Japonensibus, multitudine eorum, qui fiebant Christiani, ex nobilium etiam familiis, et unde ipsorum etiam proventus magis semper imminuerentur; irati Taycosamam Japoniæ Regem contra Christianos ita concitarunt, ut ejusmodi persecutionem in Christianos a. 1590. moverit, qua plura, quam viginti ipsorum millia, illius unius anni spatio, interfecta sint. Viginti quoque ex Missionaris, maximamque partem ex Ordine S. Francisci, nam post Clericos e Societate Jesu ex aliis etiam Ordinibus Religiosi in Japoniam, atque Indiam venerant, ad eam Religione excolendam, acti

in crucem sunt. Hanc acerbitatem in Christian-
continuarunt Dayfusama, et Xogunus, qui Ta-
cosamæ successerunt reges, plurimum conferente
ad acuendam horum iram, et crudelitatem in Chri-
stianos Carono, navigationis Batavæ in Japoniam
præfecto, mercatus causa. Duæ hunc faces suc-
cenderant ad hoc facinus, odium Catholicorum,
et studium Portugallos, atque Hispanos excluden-
di ex Japonia, ut ipsi soli in ea obtinerent mer-
candi potestatem. Xogunus præsertim immanem
exercuit in Christianos carnificinam, et crudeli-
tatem. Quorum alios lento igne jusserat assari,
alios, inclusos in saccos, in cumulum congeri, ut
ex tabe corporum mortem obirent, alios ex pedi-
bus ita suspendi, ut capitibus mergerentur ad
scrobem infra eos factam, et capita terra obrue-
rentur; in aliorum ventrem primum fundi fer-
ventem aquam, deinde bacillis eos contundi, de-
mum prelo eo usque premi, donec cum sanguine
vita expressa esset; alios aliis tormentorum generi-
bus, ingeniose de industria excogitatis, jusserat
enecari. Hollandi autem, et illius Caroni popu-
lares, atque sodales Japonensibus suam navave-
runt operam in detegendis, et deferendis Christia-
nis. Hoc speciatim in Joachimo fecerant Japo-
nensi Christiano, qui aliquot Sacerdotes clam ad-
vexerat: qui omnes igni traditi sunt. Iidem ipsi
Hollandi etiam cum in suspicionem incidissent
apud Japonenses Christianæ Religionis, atque su-
per hoc fuissent interrogati, Non, sumus, re-
sponderunt, Christiani, sed mercatores Hollandi:
et ne aliquo signo se tamen proderent, non Psal-
mos more suo recitarunt, non diem Dominicam
observarunt, non aliud quidquam fecerunt, quod
aliquam haberet notam Christianismi. Omnium
vero atrocissime desæviit in Christianos Toxogu-

nus

nus Xoguni filius, ejusque in regno successor, qui a. 1626. una die triginta septem Christianorum millia vario suppliciorum genere sustulit: cumque statuisset tollere funditus, et delere in regno suo Christianum nomen, et cavere, ne denuo aliquando posset renasci, iidem Hollandi consilium ei dederunt, ne ullum Hispanum, vel Portugallum ad regnum suum admitteret. Quod Rex ita generaliter ad arcendos omnes Christianos peregrinos a regno suo fecit, ut præceperit, ne ullus peregrinus intromitteretur, nisi prius laminam cupream, habentem Christi impressam effigiem pedibus conculcasset, atque verba, quæ etiam erant præscripta, et in lamina descripta contumeliosa, et scelesta in Christianam Religionem pronunciasset. *Grasset. Hist. Japon. Part.* 1. *lib.* 10. *Ludolph. Theatr. Orb. cap.* 13. *Tavernier Itiner. Tom.* 3.

§. 37.

Religio propagata ad Sinenses. His qualis fuerit religio. Controversia de Sinensibus ritibus. Quas vicissitudines in Sinis Christiana Religio habuerit.

In Indiam Orientalem esse propagatum Evangelium per S. Francisum Xav. qui idcirco etiam Indiarum Apostolus vocatur, est superiore §pho demonstratum, atque etiam in Japoniam, sed nondum tamen Sinas usque, quas cum adire etiam voluisset prius mortuus sit, quam intrandi facultatem obtinuerit. In eadem India ad fidem Christi convertenda, nec non in Philippinis insulis in mari Indico, atque in ipsa etiam Tartaria, quæ Si-

Sinensi imperio contermina est, fides plantata cum a Missionariis e Societate Jesu, tum et ab aliis ex ordine S. Augustini, Dominici, Fi cisci. Mortuo S. Xaverio ad Sinense imper ex eadem Societate Jesu deinde primus omn penetravit, nec multo post Melchior Nunnius ciatus, mercatoribus Lusitanis, præ se ferens ptionem captivorum, portansque secum pecu copiosas. Ex Japonia transierat ad Sinenses. Q cum pecuniam ad liberalitatem adhibuisset eosdem Sinenses; hi illum bono animo de Reli ne loquentem audiverunt, quin tamen, bienn inter eos versatus aliquem ex iis fructum sui la ris ceperit. Alia ratione deinde alii rem ex dem Societate tentaverunt. Sunt Sinenses As nomiæ, et scientiarum Mathematicarum admoc studiosi, et cupidi. Has scientias Missionarii ram his ostendere coeperunt: quas admirat eosdem etiam de Religione loquentes, fuer proniores: tamque dociles se his præbuerunt brevi tempore ingentem conversionis ad Ch fidem sementem fecerit eorum prædicatio. N cum non multo post medium seculi 16. Evang um in Sinis prædicari coepisset, jam circa a. 1 numerus Christianorum ad tercenta millia ibi excreverat, suasque hi Ecclesias, et Episcopos buerint cum magna libertate exercendæ Reli nis: sed quæ brevi rursus conciderit.

Sinenses unum Deum, quem Regem cæli pellant, confitentur, seque colere dicunt. A men etiam primos suos Reges, et Sapientes diis habent, quasi illi uni supremo Deo succ turiatos: e quibus sapientibus nemo illis m est Confucio, quem habuerunt, annis circiter ante Christum natum, philosophum, et sap tem

tem, qui quemadmodum Socrates apud Græcos philosophiam constituit in morum disciplina, et probitate, ita hoc ipse fecerat apud Sinenses, cujus etiam instituta tanti faciunt, ut ad dignitates, et munia regni nulli alii assumantur, quam professi doctrinam Confucii, quos Mandarinos, et literatos appellant. Honores quasi divinos iidem suis majoribus, et progenitoribus, vita functis, exhibent, sed nulli majores quam Confucio. Pekini, quæ totius Sinensis imperii metropolis est, in templo quod eidem Confucio sacratum est, mensa stat luminibus, atque odoribus accensis referta, supra quam tabella pendet cum inscriptione: *Tronus animæ sanctissimi, et maximi doctoris Confucii.* Etiam hujus simulacrum habent, et venerantur, quod *Pagodes* vocatur, et ita describitur a Georgio de Sepibus: *Fuit is*, quem videlicet in hoc simulacro Pagodes dicto, colerent, *philosophorum Sinensium princeps, cui maxime a literatis fana conduntur, quæ singulis plenilunìis, et noviluniis frequentissimi adeunt Bonzi*, nomen hoc iis est, qui apud Sinenses æque, ac Japonenses sacra peragunt, *solitis adorationibus, cæremoniis, et suffitibus suum numen veneraturi. Idolum plenum est literis, et ignotis quibusdam characteribus usque ad umbilicum signatum, ut videre est in eo, quod asservatur in Musæo Kircheriano Romæ.* Oblatio constat ex vino, sangvine, et fructibus. Hanc qui facit, postquam per jejunium, aliaque austeritatis genera se præparasset, coram inscriptione, supra mensam appensa, submittit genua, noviesque toto corpore se prosternit in terram; deinde vultu in terram defixo peragit magnum numerum precum: demum Bonzius calicem vini manu una, altera sangvinis offert, et libat. Fere eaedem cærimoniæ fiunt er-

ga

ga vita functos parentes, et majores coram tabella, domi parieti affixa, cum inscriptione: *Sedes animæ N. N.* Etiam certas oblationes habent, quas Cælo, terrae, et astris faciunt, et plura alia.

Ex his cærimoniis quasdam permiserant Sinensibus, ad fidem conversis Missionarii e Societate Jesu, habentes eas pro mere civilibus, adeoque innocuis; contra autem Missionarii ex Ordine SS. Augustini, Dominici, et Francisci has habebant pro puritati Christianæ Religionis non consentaneis easque iis, qui illorum opera conversi ad fidem sunt, prohibuerunt. Nam et ex his multi Sinas venerunt, ut in iis Religionem Christianam plantarent. Hinc inter ipsos Missionarios exortæ disputationes, et dissensiones sunt. Causa delata est Romam, et cum jam agitata fuisset in Congregatione de Propaganda fide sub Innocentio X. Alexandro VII. et Clemente IX. nec ab ea semper eodem modo fuisset judicatum, quod neque relationes factæ essent æqualiter; demum Clemens XI. post accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, a. 1704. confirmavit, et auctoritate Apostolica comprobavit Sacræ Congregationis responsiones, quibus ritus Sinenses, velut superstitione affecti prohibebantur. In his responsionibus erat, Deum appellandum esse nomine *Tien-Chu*, hoc est Cæli Dominum, non autem *Tien* Cælum, neque *Xanag-Ti*, quod supremum Imperatorem significat, adeoque tabellas in templis appendi solitas cum inscriptione *King Tien* Cælum colito, non esse permittendas. Secundo, fas non esse Christianis præesse, ministrare, aut interesse solennibus Sinensium sacrificiis, Confucio, et progenitoribus factis, vita functis. Tertio, idem statutum fuit de obla-

oblationibus in templis, vel privatis ædibus, quamvis præmissa etiam declaratione, se has civili solum modo, non religioso cultu facere; denique nec illas tabellas in privatis domibus, habentes inscriptionem: *Thronus seu sedes animæ N. N.* esse admittendas. Ante hanc Constitutionem Clementis XI. jam erat missus Carolus Thomas de Tournon Patriarcha Antiochenus ad faciendam investigationem, res hæ quomodo se haberent. Ille accepta Constitutione Clementis XI. ursit ejus observationem: passus vero difficultates non mediocres a. 1710. in urbe Macao obiit. Post hunc missus erat Carol. Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexand. ut Apostolicus Visitator cum potestate Legati de Latere. Hic pariter conjectus in angustias, sub quibusdam conditionibus concesserat, et emolliverat illa, quæ erant per Constitutionem Clementis XI. interdicta: nec eo minus ab Imperatore Sinarum jussus est se Sinis efferre. Benedictus XIV. renovavit Constitutionem Clementis XI. duabus suis Constitutionibus, quarum altera incipit: *Ex quo singulare* a. 1742. die 9. Aug. altera: *Omnium sollicitudinum* a. 1744. die 12. Sept. ex quibus Constitutionibus, quæ de his ritibus memoravi, omnia fere sumpta juxta ipsa verba sunt.

In India, quæ sita est intra fluvium Gangem, jacet Malabaria: ubi etiam inter Missionarios e Societate Jesu, et aliorum Ordinum præcipue Capucinorum, quædam erant dissensiones non absimiles iis, quæ fuerunt in Sinis. Carol. Thomas de Tournon, dum in Sinis, et Indiis versaretur, atque e re Christiana futurum esse judicasset, suique officii, utpote qui Visitator Apostolicus esset, tollere dissidia, et expendisset ea omnia diligenter,

ter, circa quæ dissidebant Missionarii, super his decretum statuit. Hæc autem erant, quemadmodum recensentur a Benedicto XIV. in Constitutione: *Omnium sollicitudinum*, cujus jam facta mentio est, quæ prohibuerat, videlicet, Ne in baptizandis omitterentur Sacramentalia, uti est insufflatio, sal, saliva, ne iisdem baptizandis nomen idoli imponeretur, verum alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, ne novae nuptae imaginem in collo deferrent idoli, quod nuptiis præsidere credebatur a Malabaris, ne Christiani tibicines, et musici in idolorum festivitatibus, et in eorum sacrificiis suam illis navarent operam musicam, et plura ejus generis, quæ retenta erant, et permissa Christianis in Malabaria a quibusdam Missionariis. Hæc Tournonii statuta Benedictus XIII. et Clemens XI. rata habuerant.

Dum res Christiana semper cresceret magis in Sinis, et spem præberet etiam ulterius lætissimam, siquidem Sinensium Imperator Chang-Hi ita Christianis bene esset affectus, ut his liberrimum esset exstruere Ecclesias, Sinensibus autem amplecti Christianam Religionem, insuper Mandarinis, et Bonziis prohibuisset, ne quam molestiam ulli Religionis Christianæ causa facerent: qui se antea duriores Christianis præbebant. Nubilum primum induxerunt illæ etiam dissensiones inter Missionarios de Sinensium ritibus, brevi autem tempestas, et procella secuta est. Postquam Tournonius in Sinas venisset ad faciendam investigationem, quomodo se res de ritibus controversis haberet, Imperator Sinensium Chang-Hi, causam coram se disceptari voluit. Facile est perspectu, ab iis, qui patroni erant illorum rituum ex Missionariis, huc Imperatorem esse indu-

ctum.

ctum. Quod vero Tournonius facere noluit, prævidens, Imperatorem pro illis ritibus futurum, quibus et ipse deditus esset: sed neque illius esse poterat, dijudicare, quid Religioni Christianæ consentaneum, vel dissentaneum esset. Quamobrem Tournonius amandatus Pekino est, quæ metropolis Sinensis imperii est, et Imperatorum sedes, atque Sinis excedere jussi omnes ii Missionarii, qui ritus illos nollent tolerare. Etiam edictum jam erat conscriptum de Ecclesiis omnibus Christianorum solo æquandis. Missionarii e Societate Jesu exorarunt Imperatorem, ut his parceretur. Postquam Tournonius mortuus fuisset, et denuo a Clemente XI. Car. Ambros. Mediobarbus legatus Apostolicus in Sinas venisset, mitius erga hunc se Imperator gessit. Nam et dona sibi a Pontifice missa suscepit libenter, petiitque, ut pro se Deum in Missæ sacrificio precaretur, ad convivium suum vocavit, et cum pretiosis donis, tam eidem legato datis, quam quæ Romano etiam Pontifici deferret, dimisit, utque redire posset post triennium, secum ducens viros literatos ei indulsit.

Res, quæ modo narrata est, contigit a. 1721. Nondum vero elapso triennio mortuus est Imperator Chang-Hi. Ante obitum spe deposita ulterioris vitæ Patrem Murao e Soc. I. natione Lusitanum, in consilium adhibuit, (adeo illum ferebat) quem e suis filiis tribus, et viginti, quos e pluribus uxoribus susceperat, successorem sibi designare deberet. Erat summe periculosum, ne proposito uno, ceteros omnes regios filios sibi, atque sociis suis infensos faceret, aut ne etiam eo, quem ipse proposuisset, omisso, tamen Imperator alium designaret: prout etiam factum est.

Quia

Quia vero Imperator suae petitioni institit, nec negare ei ausus est P. Murao, quod erat petitum filium, nativitate nonum, ei proposuit. Nihil tunc Imperator respondit, sed scriptum confecit, quo declaravit, sibi quidem a Patre Murao filium nativitate nonum propositum esse, qui sibi succederet in Imperio, attamen a se designari filium Yum-Chim ordine nativitatis quartum. Eumdem Imperatorem moribundum P. Dominicus Parennin Lugdunensis, pariter e Soc. Jesu eo jam permoverat, ut assensum ei dederit ad suscipiendum baptismum. At vero ubi hoc observatum fuit ab aulicis; hi ultra nulli Europaeo accessum ad Imperatorem concesserunt. Itaque sine baptismo obiit.

Imperator novus Yum-Chim, jam ante non bene affectus Christianis, eo nunc majore odio in hos exarsit, quod sibi per P. Murao fratrum alter in commendatione ad Imperium antelatus esset. Cum suae securitatis causa fratres suos alios conclusisset in custodias, alios etiam exilio, vel capite mulctasset; illum, qui patri a Missionario Murao erat commendatus, una cum eodem Murao primum quidem tantum in carcerem conjecerat, deinde vero conjurationis adversum se insimulatos, fratrem catenis vinctum in squalidiorem carcerem condidit, ubi aerumnis brevi confectus, interiit; Patri vero Murao funiculum sericeum misit, quo is seipsum suspenderet. Quod cum facere renuisset, utpote illicitum, sibi ipsi manus afferre, super scamno positus, et sacculo arena pleno, ad os appresso, suffocatus est. In reliquos etiam deinde Missionarios furorem convertit, incitatus ad hunc a Mandarinis quoque, et Bonziis; quos omnes carceribus mancipavit, Ecclesias Chri-

sti-

stianorum partim dirui, partim in alios usus converti imperavit, quas jam Christiani numerabant tercentenas. Recepta, et revocata sunt edicta antea in favorem Christianorum edita; missusque quaquaversum libellus, quo admonebantur Sinenses, qui facti erant Christiani, ut redirent ad pristinam Sinensium religionem, Christiana, quasi falsa, a se rejecta. Hoc ipso tempore, quo hæc imperabantur, cum orta tempestate fulmen incidisset in templum Confucii, atque conflagrasset, hinc Christianis Imperator irascebatur vehementius, partimque carcerum squalore, partim tormentis urgeri eos jussit ad renunciandum Christianismo: omniumque maxime id egerat adversus Sunicos, quo nomine ii intelliguntur Sinensium, qui aliqua cognatione attingebant Imperatoriam familiam. Nam etiam ex his plures amplexi Religionem Christianam erant: quin filius quoque Imperatoris primogenitus Jungley una cum matre: cui in Baptismo Helenæ nomen impositum fuit, Jungleyo autem Constantini. Sunici cum neque promissione præmiorum, neque minis ullis abduci potuissent a Religione Christiana, rebus suis spoliati expulsi omnes sunt in Tartariam. Sed cum illic barbaris fidem Christi prædicassent, iterum reducti in catenis, et dati ad carceres sunt. Ex Sinensibus plures Societatem Jesu erant ingressi, et Sacerdotio initiati. Hi induti veste, qualis erat mercatoribus, vel opificibus, occulte in privatis domibus obibant munia Religionis, et dispensabant Sacramenta, etiam Pekini, atque Cantone: in quibus solis urbibus relicti erant aliqui Missionarii, tantumque scientiarum causa. Cum tamen quidam ex his observati fuissent, et detecti, hi capite pœnam luerunt.

An-

Anno 1735. Imperator Yum-Chim decessit, eique filius Rien-Song successit in imperio. Sub hoc Christianis lux erat orta, sed quæ non diu fulsit. Impense amabat artem pingendi, atque ideo valde sibi charum habebat quemdam Josephum Castiglionem, eximium pictorem e Societate Jesu laicum. Hic illius animum, et benevolentiam ita sibi demeruit, ut ultro Missionariis, qui erant expulsi, redeundi facultatem, et Christianis Religionis exercendæ libertatem concesserit. Josephus iste mortuus est. Statim iterum igitur Mandarini, et Bonzii obsidere cœperant aures Imperatoris, et concitare adversus Christianos. Habebat is pellicem, quam præ ceteris omnibus amabat. Hæc facta Christiana est, jamque deinceps se præbere Imperatori noluit. Hinc vero ita exarsit adversus Christianam Religionem, ut Christianos multo adhuc vehementius, quam ejus pater, persecutus sit, pœna capitali constituta in omnes Christianos, nisi Religionem abjurassent. Missionarii, qui ubique conquirebantur abscondebant se, et interdiu in cymbis in litore maris delitescebant, noctu domos obibant, ad Christianos in fide confirmandos. Qui et ipsi passim ad silvas, et montes fugiebant, ut sui comprehensionem evitarent. Petrus de Sans ex Ordine Prædicatorum Episcopus Mauricastrensis, dum quæreretur, latibulum invenerat apud quemdam Sinensem ethnicum. Ne autem fortasse etiam iste propter se in periculum vocaretur; ultro in publicum prodiit. Captus illico, et tormentis excruciatus capite plexus est: quatuor autem alii Missionarii cum Petro in carcerem conjecti laqueo interempti sunt. Horum quinque constantiam, et laudes etiam Benedictus XIV. Romæ in sacro consessu Cardinalium celebravit. Causa persequendi Christianos et illa

erat,

erat, quod plures puellae in continentia viverent, virginitatemque colerent. Dum ex his unam, tantum tredecim annos adhuc natam, tortor cruciasset, ut a proposito virginitatis illam abduceret, illa vero cruciatus animose pertulisset, vultuque immoto; et ille, *An tu*, inquit, *nescis, quod vitam ego tibi possim adimere?* illa offerens cervicem. *Mene*, ait, *tu terrere vis? En me paratum ad hoc, quod minaris. Isto mihi nihil gratius feceris.* Josephus Emmanuel Rex Portugalliæ Joannis V. Regis filius, cui Joanni ob eximia merita in Ecclesiam, et Religionem Benedictus IX. titulum Fidelissimi tribuit ad successores etiam propagandum, legationibus, et donis effecit, ut Sinensium Imperator a. 1750. mansvetior erga Christianos iterum fieret. Itaque non tantum liberam iterum facultatem exercendæ Religionis concessit, et Missionarios, atque Episcopos admisit, verum etiam his ipse suis sumptibus Ecclesiam ædificavit. Tres annos per hunc exagitati erant Christiani. Ad Septvaginta horum millia erant, qui post hanc procellam superstites reperti sunt, stabilesque manserunt. Multi vero etiam fracti animis, defecerant, et ad pristinam Sinensium superstitionem reciderant. *Bullarium Magn. Rom. Epistolae et Oration. Consistor. Clementis XI. Fattinelli Relat. de mort. Card. Tournon. Viani Storia delle Cose Operate nella China da M. Mezzabarba. Acta Causæ Rituum Sinensium. Continuat. Fleur. Tom.* 74.

§. 38.

§. 38.

Biblicae Societates. Novae sectae, quæ ex' Lu-theranismo, et Calvinianismo denuo processerunt.

Missiones, quas Catholica Ecclesia instituit pro conversione infidelium, imitantur etiam Lutherani, et Calviniani, inprimis Angli, et Hollandi; quorum ministri, mercatoribus associati, navigantibus in Americam, in Indiam, et Sinas, suam illic Confessionem dilatare student. Hoc recentissime Angli per versionem Bibliorum in omnium nationum etiam infidelium totius orbis terrarum lingvas instituerunt facere. Londini cum innotuisset, Valliam, pluresque alias Angliæ provincias laborare defectu Bibliorum, illico quidam circa annum 1804. se consociarunt ad Biblia edenda, nec tantum lingva Anglicana pro solis Anglis, verum etiam pro aliis nationibus, quæ destitutæ essent Bibliis, cujusmodi sunt omnes populi Christianæ Religionis expertes. Hanc societatem, dictam Biblicam, quæ inita Londini est, æmulati sunt etiam statim alii in Hollandia, Dania, Svecia, Borussia, et in omnibus illis etiam Americæ, Asiæ, et Africæ regionibus, in quibus possessiones suas habent Angli, Batavi, et alii Europæi, ita ut hæ societates anno 1815. jam numerarentur quadringentæ, et octoginta quatuor; quarum omnium est, laborare in Bibliis vertendis in alias, atque alias semper ulterius lingvas, atque iis edendis. Anno 1516. solæ lingvæ Orientales erant jam triginta quatuor, et septemdecim, vigentes in Russico Imperio, in quas facta versio est: in sola vero Britannia usque ad hunc eumdem annum, spatio annorum duodecim, exemplarium quindecies

ies centena millia excusa sunt. In Germania plures etiam ex Catholicis se his societatibus adjunxerunt, iis etiam favebant Principes plures, quod hæc Bibliorum editio perutilis futura putaretur esse non solum Christianis, verum etiam vim habitura ad infideles convertendos. Neque tamen etiam defuerunt, statimque ab initio harum societatum, nec tantum ex Catholicis, sed etiam heterodoxis ipsisque Anglis, qui diffiderent ei, quod ex his Bibliorum versionibus sperabatur, bono.

Non fiunt versiones Scripturae sacræ semper, etiam ab Catholicis recte, nedum ab heterodoxis. Nam, quæ hi illius loca trahunt ad sua confirmanda dogmata; hæc iidem neque aliter vertunt, quam congruenter suis dogmatibus: dumque persæpe contigit, ut viri sacris literis instructi, et exculti, tamen non attingendo illius sensum, impegerint, estne sperandum, ut homines non tantum peregini in Christiana Religione, verum etiam ab hac aversi, imo etiam ei adversantes, quales sunt infideles, ex sola Scripturæ lectione fidem in Christum hauriant, aut vel hanc velint in manus sumere, et legere. Sunt quidem aliqua hujus rei exempla, ut in Justino, et Athenagora, sed o quam pauca exempla! Eunucho Candacis reginæ, legenti Isaiam dictum fuit a Philippo: *Putasne, intelligis, quæ legis?* idemque a Deo missus erat, ut se currui Eunuchi adjungeret eum in finem, ut quod iste legebat, ei interpretaretur. *Act.* 8. v. 29. Quamobrem etiam Pius VII. R. P. in literis suis ad Ignatium Archiepiscopum Gnesnensem, et literis ad Stanislaum Archiepiscopum Mohiloviensem datis a. 1816. cum eorum laudasset vigilantiam adversum has Bibliorum versiones, docuit,

in versionibus, quæ factae a Biblicis Societatibus sunt, Scripturam esse ad pravos sensus contortam; quo fiat, ut fideles ex iis fontibus, e quibus haurire debuissent aquas sapientiæ salutaris, venenum ebiberent letale. Attulit quoque, quid jam a suis antecessoribus, et a Concilio Tridentino statutum esset de Scripturae lectione in vulgari lingva, promiscue non omnibus permittenda; siquidem observatum esset, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri: neque enim etiam hæreses asserente S. Augustino *Tract.* 18. *in Joan.* esse natas, nisi dum Scripturæ bonæ intellectæ essent non bene, et quod in iis non bene intellectum fuit, etiam temere, et audacter fuisset assertum. *Kurze Nachricht von der Entstehung, und den Fortschritten der Brittisch, und ausländischen Bibelgeselschaft in London. London.* 1816.

Nihil adhuc comperire licuit, illae Bibliorum tot versiones quantum conduxerint Protestantibus vel ad unum suum proselytum faciendum. Ad fidem, quæ una est *Eph.* 4. *v.* 5. student infideles adducere, dum tamen hanc unitatem neque ipsi servaverint cum Ecclesia Catholica, a qua se segregaverunt; sed neque hanc inter se habeant, vel unquam habuerint inde ab exordio suæ, ut eam vocant, reformationis. Quærunt se multiplicare, et propagare per universum terræ orbem, quo videantur habere Ecclesiam Catholicam. At vero Ecclesia, quæ est Catholica, eadem et una est. *Unitas autem divisionem non capit*, quemadmodum S. Cyprianus ait *lib. de Unit. Eccl.* In iis, quæ juxta Evangelium Christi credenda, atque tenenda sint se divisos esse, ipsi persæpe testati sunt, dum conventus, et tractatus eum in finem identidem instituissent; ut eorum, quæ se credere profitentur,

', aliquam uniformitatem efficerent. Accidit tius plerumque, ut dum vellent uniformitatem cere, exorta sit major sentiendi apud eos, et edendi diversitas, atque scissio ipsorum in plus partes. In quo statu nunc sint, dicturus sum, stquam ante exposuero, quæ post eas, de quis jam dictum est, novæ adhuc inter eos sectæ ortae sint.

Anno 1575. in Hispania *Illuminatorum* sea enata est. Ex Calvinianis quidam in Hispaam irrepserunt, et multos ex Catholicis perverrunt, nova sibi formata religione, juxta quam hil in Sacramentis, nihil in bonis operibus porent, sed totum in sola contemplatione rerum vinarum, et per quam Deo conjuncti eam perctionem adipiscerentur, ut quidquid agerent, iamvis obscoenissimum esset, nullum hinc ipsis ret peccatum. Per Inquisitores fidei hæc secta ppressa, brevi tamen iterum erupit. Turpissiam sectam amplexi sunt tres etiam Concionatos Hispalenses, et Constantinus Pontius, qui pau ante Carolo V. Imp. a sacris confessionibus at, aliique perquam multi ex nobilissimis familiis, nnes, qui obstinate in erroribus perstiterunt, mmis exusti sunt. Ex Hispania in Portugalliam, Flandriam, et Galliam proserpserunt, comuresque infecerunt. Sed cum severitas animadrsionis ubique adhibita esset, et nuspiam constendi locum reperisset, cito secta hæc Illuminarum, vel alio nomine Guerinorum a Guerino, ui ejus caput erat, desiit. *Thuan. Hist. lib.* 23.

In Anglia a. 1680. nova secta *Rationalistaum*, ut ab aliis vocabantur, exorta est: ipsi aun religionem, quam sibi dicerent esse, *Pruden-*

dentum religionem vocabant. Statuerunt, id omn quod credendum, et tenendum esset, expen debere nonnisi sola ratione intellectus human hujusque solius esse, decernere, quid sequendu quoad religionem esset: et quamvis alii alia se tirent judicio sui intellectus, tamen omnium rel gionem, quamvis inter se discordantem, Deo a ceptam esse ex meritis Christi. Itaque Turcarur et Paganorum religionem, eo magis autem sect omnes, quæ se Christianas dicerent, habeba pro talibus, in quibus salus æterna obtineatu Hanc religionem idcirco etiam *Universalem* appe labant. Hinc vero ulterius itum, et perventu est in Anglia ad purum putum Deismum, et N turalismum, quem videbimus brevi, in eade Anglia partum esse, et hinc propagatum in omn partes ulterius. *Continuat. Fleurii Tom.* 65. *pa* 156.

In Gallia a. 1724. ex Hugonotis prognata e nova secta dicta *Levitarum S. Spiritus*, ut se vc cabant. Huic sectæ addicti, habebant merces su as consarcinatas partim e veteri, partim novo T stamento depravato ad suas opiniones. Locum in quo sua conventicula celebrabant, Novam S on vocarunt: in hoc duo habebant conclavia in terius, et exterius. Interius erat constratum to tum tapetibus albi coloris cum pulvinaribus, e culcitris. In exteriore erat candelabrum cum se ptem luminibus ad imitationem illius candelabri quod erat Judæis in templo, et cathedra, quar Sedem Eliæ vocarunt. Ministri istius sectæ vesti tu utebantur in his suis conventiculis, qualis fui Levitarum apud Judæos. Qui sermonem ex ha cathedra habuit ad ceteros, finito sermone ha formula verbo usus est: *Ite, crescite, et multi*

pli-

plicamini: tumque omnes petebant interius conclave ad illud super tapetibus, et pulvinaribus perpetrandum, quod ex verbis illius formulæ sponte sua intelligitur. Infantes et circumcidebant, et baptizabant. Sectæ hujus supremus præses Jacob propheta dicebatur. Ludovicus XV. Rex Galliæ conventicula horum inhibuit, et si tamen attentata essent, disjicienda curabat. Alii tametsi alieni ab hac secta, Hugonotæ pro his Regi supplicaverunt, ut exercitium illud pulchrum religionis ipsis admitteret. Quod cum impetratum non fuisset, Levitae tamen adhuc in ædibus quorumdam legatorum, religione Protestantium, sua conventicula continuabant. Sed neque hic illa Rex toleraverat. Ad preces tamen eorumdem legatorum ipsis concessit, ut cum rebus suis emigrare ex regno possent. Ad duo ipsorum millia erant, qui Amstelodamum, et in alia Belgii Fœderati loca se se receperint. *Gottfried. Cont. Hist. lib.* 17. *Hist. Univers. Period.* 1. In Transactione Passaviensi, et per Pacem Religiosam *Supra* §. 28. Protestantibus fuit asserta libertas emigrandi, si terrae illius, in qua habitabant, Princeps publicum religionis exercitium ipsis concedere nollet, idemque confirmatum fuit pace Westphalica. Itaque Archiepiscopus Salisburgensis a. 1685. et rursus a. 1731. Protestantes e suis terris jussit excedere, nec tam propter religionem, in qua si se tenuissent quiete, tolerati fuissent, quam quod seditionem fecerint adversum Catholicos, atque ipsum etiam Archiepiscopum Salisburgensem. Sed hæc pro Germania facta statuta, nihil attinebant ad Galliam.

Rursus a. 1731. novæ sectæ germen emisit Lutheranismus eorum, qui dicti sunt *Pietistae*. Hi,

Hi, quemadmodum Holberger apud Continuato rem Fleurii *Tom.* 73. *pag.* 399. et ipse Pietista docet, hanc a se sectam esse concinnatam eamol causam, ut mores etiam inter Lutheranos refor marent, quos corruptos, et depravatos emendar omiserit Lutherus, cum Catholicis occupatus di sputationibus de quaestionibus fidei. Sed si more Lutherus suis sectatoribus reliquit pravos, et v tiosos, quomodo puritas illa religionis fuit, cuj instauratorem faciunt Lutherum Lutherani? Se et horum puritas, atque pietas non alibi constiti quam in solo nomine, quemadmodum nulla no hæresis, atque secta nomen sibi aliquod posu: pulchrum, atque speciosum, quamvis omne aliu potius essent, quam quod nomine præ se ferren Nam hæc etiam Pietistarum secta ejusmodi fuit ut ipsi etiam publicæ tranquillitati, atque Princi pum securitati fuerit adversaria, et inimica. Qua re ipsi Reges, et Principes, quamvis etiam reli gione Protestantes, se se huic sectæ totis viribu opposuerunt, eamque opprimere studuerunt. Ho Principes Germaniæ, Augustanæ Confessionis, ho Reges Angliæ, Sveciæ, et Daniæ fecerunt. Con temnebant videlicet, omnia hi et ministrorum su orum, et Principum quoque statuta, flocciqu faciebant; docuerunt Baptismum esse inutilem etiam Eucharistiam, et ejus sumptionem repudia runt, internas solum modo revelationes præ s ferentes, se solos perfectos venditabant; suscita runt etiam regnum millenarium, quod jam prim seculi hæreticis fuit; negarunt, impiorum pœnas et supplicia duratura in æternum. Morum tantu probitatem dicebant sibi esse, quam velint cura re, et instaurare: subverterunt vero etiam ill fidei dogmata, quæ Lutherus reliquit.

Cir-

Circa a. 1737. in Germania nova secta *Herrenhuterorum* exsurrexit. Multi partim ex Lutheranis, partim Calvinianis, nec non Hussitis, diversarumque nationum, aut facta emigratione e patria sua, vel vagabundi coiverant in unam societatem: cui se adjunxerant multi ex rusticis qui ex ditione Archiepiscopi Salisburgensis emigraverant. Hos Ludovicus Zinzendorff Comes suscepit comiter, et fovit, seque ipsum illis pro capite societatis dedit, nec non Catechismum a se compositum cum Bibliis pariter a se in Germanicam lingvam versis, ipsis tradidit. Erant autem in hoc Catechismo ejusmodi etiam dogmata, quae non erant communia sive Lutheranis, sive Calvinianis aliis, utpote quæ ipse Zinzendorffius proprio marte composuerit, et in quibus tantum Lutheri, et Calvini pedisequus esse noluerit. Hinc itaque factum est, ut hæc distincta etiam secta esse cœperit ab aliis omnibus, in quas jam Lutherani, et Calviniani erant divisi: Sed neque hos ceteri Protestantes pro suis agnoscere volebant, utpote dissidentes a se in dogmatibus. Suam e variis sectis consociationem Germanico vocabulo appellaverunt Brüderunität, seque ipsos Herrenhuteros, itidem a Germanico *Hut des Herrn*: quo vellent significare, se sub Dei custodia, et protectione constitutos esse. Zinzendorffius non tantum ipse Tubingæ in Svevia, pluribusque aliis in locis præconem egit suæ quasi Evangelicæ doctrinæ, verum etiam alios misit e suo numero ad eamdem annunciationem faciendam. Qua ipsa etiam de causa habuit Protestantes sibi adversantes. Objiciebant ei, et vitio dabant, quod munus Evangelicæ prædicationis exerceret, absque legitima vocatione. Quod ille impedimentum sustulit, Berolini a duobus Helveticæ Confessionis mi-

ministris petita, et accepta quasi ordinatione Episcopali: iisdem obtulerat quemdam Nitschmann, opificio fabrum e suis sociis, quem illi pariter Episcopum ordinarunt. Nec ulla alia secta his temporibus tam solers fuit ad se propagandam, quam hæc Herrenhuterorum. Nam missiones instituerunt in ipsam etiam Americam: ubi multas habent domos, in quibus degunt eorum missionarii, nacti protectores Anglos, Danos, et Batavos. A Catharina II. Imperatrice suscepti etiam sunt in Russia cum libertate, quam in ea habet quævis alia religio. Illorum dogmata sunt, Scripturam Sacram esse etiam in archetypa lingva erroribus affectam, Christum esse purum hominem, nullum esse aliud peccatum, quam non credere in Christum. Attamen severam inter se observant disciplinam, tenacesque sunt recti, atque æqui in mercimoniis, aliisque vitæ socialis officiis. *Continuat. Fleurii Tom.* 75. *pag.* 685.

Anno 1739. in Germania rursus comparuit nova secta *Fratrum Isenburgensium.* Illuminati de quibus paulo ante dictum est, exagitati cum fuissent in Hispania, Portugallia, et Gallia, receperunt se in Angliam. Hinc, ubi se recollegissent, animosque resumpsissent, venerunt in Germaniam, sed non jam Illuminatos se, verum Inspiratos vocaverunt. Prophetasque se prædicabant, qui missi a Deo ad docendum populum sint, os, oculos torquebant, digitis gesticulationes faciebant, atque his plura similia, ad fidem faciendam sibi flatum a Deo fieri, illuserantque vulgo, a quo suspiciebantur. Quidam Fridericus Rock caput illorum erat ephipiarius. Hi Isenburgenses etiam dicti inde sunt, quod Isenburgi se collocaverint, volentes se jungere cum Calvinianis,

nis; Isenburgum incolentibus: quod vero deinde ab Herrenhuteris obtinuerunt, quin tamen etiam cum his inita societas stabilis fuerit. Per Germaniæ civitates cum itinera facerent ad sectam suam spargendam, non ipsis res semper cesserat bene. Nam sæpius verberibus affecti, et expulsi sunt e civitatibus. Iisdem fere temporibus quidam *Henricus Jansan* in Frisia primum Lutheranus, deinde Calvini factus assecla, ac demum etiam Helvetica repudiata Confessione recepit se ad suum proprium ingenium religionis formandæ causa: quæ ejusmodi fuit, ut Trinitatem personarum Divinarum negaret, et Christi divinitatem: diceret mundum semper exstitisse, hominem numquam peccare: nam Deo id imputandum esse, si quid ab homine male, atque prave fieret, in quo perficiendo homo tantum Dei instrumentum sit. Plura his similia effutiebat. Cumque talia doceret tam scelerata, atque perversa, tamen nongentos, et amplius nactus est asseclas. Sectæ huic adscripti se *Libertinos* vocarunt. *Continuat. Fleurii Tom.* 76. *pag.* 496.

§. 39.

Qualis nunc status religionis apud Protestantes sit.

Quod ad statum præsentem attinet eorum, qui Augustanam, et Helveticam Confessionem profitentur; hi ad hoc tempus semper in eo processerunt ulterius, quod sibi pro fundamento suæ religionis posuerunt, sumere Scripturam, quæ regula Fidei est, juxta liberum ductum intellectus proprii. Hunc Reformationis suæ, ut eam vocant ve-

velut insigne beneficium praedicabat etiam G. Plank clari nominis inter Protestantes Theolog in libro, quem edidit, dum a. 1817. tertium s cularem annum Protestantes illius suae Reforma tionis celebrassent. Agnoscit, non omnia ita s habere apud se, quemadmodum hæc esse deb rent; nec tamen idcirco commissuros, ut se s nant dimoveri a suo jure in rebus Religionis su judicio utendi absque obligatione in his pender di a quacumque humana auctoritate. Secus eni renunciarent omni ei lucro, quod per Reform tionem assecuti sunt. Hoc enim ipsum esse ma gnum Reformationis meritum, quod sibi hoc prin cipium posuerint, in rebus Religionis, ut alt alterum quidem possit edocere, sed nullus aude aliquid alteri præscribere. a) Hinc cum sec tum esset, ut statim inter ipsum Lutherum, a que eos, qui se ei adjunxerunt, magnæ dissensi nes, atque dissidia exorta, atque aliæ, et ali prognatæ sint sectæ; tamen formulæ Confessionur librique Symbolici non nihil contulerint; ut i particularibus eorum coetibus aliqua creden uniformitas esset, etiam si hi coetus inter se no convenirent, atque unitatem non haberent, ade ut nequidem in Sacramentis, et eorum numer consentiant. Hoc illud est, quod etiam Planki confessus est, in sua Protestantium Ecclesia, r non ita se habere, quemadmodum deberent esse et non tantum ille, verum etiam alii multi cu alias, tum illa occasione tertii celebrati seculi su per Lutherum factæ reformationis de ratione fa cien-

a) Ueber den gegenwärtigen Zustand, und die Bedürfniss unserer protestantischen Kirche bey dem Schlusse ihre dritten Jahrhunderts Betrachtungen Vorschläge, un Wünsche von Dr. G. I. Plank C. R. und Professor de Theol. des königl. Hannov.-Gvelphen-Ordens Ritter.

ciendae apud se unitatis multa commentati sint, et scripserint. At vero quo pacto ista sperari potest eo stante, ut in rebus Religionis, hoc est in iis, quæ sunt credenda, cuique jus sit suo judicio utendi, non exstante ejusmodi supremo tribunali, in quo et auctoritas resideat controversias decidendi, omnibus autem obligatio sit parendi?

Quo autem ulterius ventum est, tempusque processit a facta illa reformatione; eo etiam plus illa libertas utendi suo præcise judicio in rebus Religionis profecit in Protestantibus, et religionem, maxime cultiores habeant, quam ipsi sibi fabricaverint suo ingenio, suoque judicio, et quamvis nomine Lutherani, vel Calviniani sint, tamen sententiis alii ab aliis discrepent: cumque Ecclesia cœtus eorum hominum cœtus sit, qui eamdem Christi fidem profitentur; illi conjunctim cœtum aliquem non faciant. Sed et eo ventum est, ut hoc, vel alterum, vel etiam neutrum credere factum sit apud eos indifferens. Eichhornius Bibliothecæ suæ Universalis Tom. VII. pag. 955. unus ex primis nostræ ætatis Protestantibus eo processit, ut diceret, diversitatem in Scriptura interpretanda, et unde Protestantibus est etiam discordia dogmatum, oportere esse, cujus concordia tam deberet esse perniciosa, quam fidei unitas. Satis, credo hinc intelligi potest, qualis unitas dogmatum sit Protestantibus, qui hanc unitatem etiam habent Religioni damnosam. Joan. David Michaelis æque unus e præcipuis Protestantium hujus nostrae ætatis Theologis *Introduct. in libr. N. F.* §. 15. *de Inspirat. Edit.* 4. *pag.* 97. de se prædicat, nullum se scire vel levissimum fundamentum ad Ecclesiam erroris immunem habendam quamcunque, sive primævam aliquam, sive ul-

ulterioris tamporis, etiam suam Lutheranam Augustanæ Confessionis.

Nam qui hoc profitetur etiam de sua Ecclesia Lutherana, is etiam declarat, se non habere certum, utrum vera dogmata sint, quæ eadem Lutheranorum profitetur Ecclesia. Iis fidem adjungere, et assensum dare, quæ quis pro incertis habet, non alterius hominis, quam inprudentis est. Hinc vero quid consequens est? non aliud, quam Michaelisium sensisse, ea, quæ profitetur Lutheranorum Ecclesia, et quæcumque alia, non esse pro certis habenda, adeoque neque credenda. Hoc autem modo qui affectus est erga ea, quæ Evangelium Christi proponit, et dat credenda, non habet fidem Christi, utpote, quibus non assentitur non habens illa pro pro certis. Quæ hujus adhuc consectaria sint, et quæ quisque per se videre potest, non opus est, ut ipse explicem. Est igitur fides Protestantium non nisi vacillans atque nutans de iis, quæ se profitentur credere, secundum Michaelisii declarationem, sive potius nulla fides. Cui enim non assentior, istud nec credo. Non potest vero intellectus assensum dare ei, quod certum non habet. Legi ipse Protestantium libros etiam hac ætate confectos, atque etiam conciones in Oratoriis ad populum habitas publice, in quibus docent aperte Indifferentismum Religionis, ut eum vocant. Contra ejusmodi concionem, ad eamque refellendam, tantum anno superiore 1824. edidit lingva Hungarica, qua et concio illa habita, typisque edita est, libellum Matthias Kovács Doct. Theol. et Prof. Theol. Dogm. in Univers. Pestiensi, et paulo ante Isidorus Guzmics Ord. S. Benedict. Doct. Theol. et Prof. Theol. Dogm. in sacro Monte Pannoniae

De

De dogmatum apud Protestantes, idque utriusque Confessionis Augustanæ, et Helveticae varietate: etiam in eadem Confessione, inconstantia, et crebra commutatione est recentissime editum Opus sub nomine Theoduls Gastmahl, oder die Vereinigung der verschiedenen christlichen Religions-Societäten. Nomen suum non exposuit. Ex Pagellis autem publicis sub nomine Göttingische Anzeigen 28. Novemb. 1822. auctor illius est Stark Oberhofprediger zu Darmstadt, qui rem hanc copiosissimis testimoniis ipsorum Protestantium docet. Aviditate summa est Opus hoc lectum, ita ut intra perpaucos annos quinquies sit, aut fortasse jam etiam sæpius typis recusum. Sed neque in ista adhuc etiam Protestantes sua mobilitate, atque ejusmodi fide, quam nonnisi levem aut etiam incertam adhibeant suis dogmatibus, substiterunt. Qui ex Anglia processit Deismus, et Naturalismus, et in Gallia detecta fronte se exhibuit; a Protestantibus in Germania etiam susceptus est, atque hinc ulterius propagatus, sed sub larva Protestantismi. De hoc autem narrabitur adhuc postea, dum perventum fuerit ad historiam hujus Deismi, et Naturalismi.

§. 40.

Successio Romanorum Pontificum.

Pius IV. qui Concilium Tridentinum conclusit, et confirmavit die 10. Decemb. 1565. vita functus est. S. Pius V. antea Michael Gislerius Cardinalis ex Ordine Prædicatorum ei successit. Inter hujus statuta est, ut Presbyteri Ecclesiæ Latinae, hujus nonnisi Ecclesiae, perindeque Græci, tantum Ecclesiæ Græcæ ritu in Missa, et divino Officio uterentur: de medicis statuit, ut aegros,

pe-

periculoso morbo laborantes, admonerent de periculo, et si quis per triduum tergiversaretur per Sacramenta se ad omnem casum communire, omitteret hunc invisere eo usque, donec animæ suæ saluti prospexisset per Sacramentorum susceptionem: idem inhibuit spectacula taurorum velut ex Paganismo aliquid, et feritatem habentia, a Christiana mansvetudine alienam. Ab eodem Pio V. Catechismus etiam Romanus, quem Tridentini Patres tribus Episcopis Leonardo Marini, Aegidio Foscari, et Francisco Forrerio ex Ordine Prædicatorum conficiendum commiserant, adprobatus est. *Constitution. Pii V. in Bullario.* S. Pio V. successit Gregorius XIII. a. 1572. Cardinalis antea dictus Hugo Boncompagnus. Hujus opera facta est correctio Calendarii, quod idcirco etiam Calendarium Gregorianum vocatur. Qua de re jam fuit in Prolegomenis Cap. 2. §. 1. Post Gregorium XIII. Sixtus V. a. 1585. humili loco in Piceno natus ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium ad Pontificatum evectus, antea Cardinalis dictus Felix Peretti. De hoc solet narrari, antequam Pontifex factus esset, solitum capite demisso incedere, postea autem erecto, et interrogatum, cur ita faceret, respondisse, se antea Claves Petri quæsivisse; postquam autem has invenisset, sibique in terra nihil amplius quærendum superesset, idcirco se totum erexisse ad ea, quæ caelum habet, quærenda, et invenienda. Nemo hoc præter Gregorium Laetium habet: cujus vero scripta multis nonnisi a se fictis rebus referta esse docet Alexander a Cruce *Tom.* 50. *Continuationis Fleurii pag.* 292. Etiamsi vero ita contigisset, hoc nonnisi jocularium ejus responsum fuisset. Erat tunc sicariis, et prædonibus plena Italia. Leges vero ejusmodi indixit, ut cito vitæ, atque rerum suarum

secu-

securitatem se consecutos omnes gavisi sint. Eamdem diligentiam adhibendo adversus alia facinora, inprimisque adversus luxuriam, repurgavit Romam, et Status Ecclesiastici regiones. Diebus qui proxime Quadragesimam antecedunt in Urbe fertur curasse erigenda patibula, ad fræna injicienda licentiæ, quæ se tunc effundebat vel maxime. Urbem instruxit magnificis ædibus, obeliscis, qui vetusti e terra fuerant sub eo eruti, item fontibus et aquarum ductibus. Vaticanam quoque Bibliothecam construxit, et ornavit. Quinque milliones aureorum collegit, et deposuit in Castro S. Angeli in Ecclesiæ necessitates. Ab eo etiam Vulgata Versio Latina Scripturae sacrae edita est, jamque post Concilium Tridentinum emendata: quæ tamen editio ulteriore adhuc adhibita emendatione non nisi a Clemente VIII. ad eum, in quo nunc est, statum perducta fuit.

Sixtum V. secutus in Pontificatu est Urbanus VII. a. 1590, qui vero nonnisi dierum duodecim fuit. Gregorius XIV. antea dictus Nicolaus Sfondratus Cardinalis ei suffectus est. Hujus quoque Pontificatus fuit nonnisi decem mensium, totidemque dierum. Ei successit Innocentius IX. dictus antea Joannes Antoninus Fachinetti Cardinalis, cujus Pontificatus adhuc brevior, et duorum tantum mensium fuit. Hunc excepit Clemens VIII. antea dictus Hippolytus Aldobrandinus die 30. Januarii a. 1592. evectus ad Pontificatum. Hujus multæ sunt constitutiones, magnamque partem spectant ad disciplinam in Ordinibus Religiosorum laxatam instaurandam. Idem damnavit sententiam, qua adstruebatur, Confessionem Sacramentalem valere solummodo per literas Sacerdoti factam, et super ea similiter per literas acceptam absolutio-

tionem, ut falsam, temerariam, et scandalosam. Dum anno 1600. jubilaeum celebraretur, ejus pietas singulariter eluxit in pauperibus et peregrinis, qui Romam venerant, omni charitate complectendis, ita ut his ipse etiam serviret ad mensam, eleemosynamque liberaliter largiretur, illorumque etiam pedes lavaret, et oscularetur, poenitentium confessiones per seipsum exciperet, et rudes instrueret. Cujus exemplum imitati non tantum Ecclesiastici, sed etiam ceteri, ipsique Principes spectaculum præbuerunt cujusdam pulcherrimi certaminis in omnibus pietatis officiis. Multos tunc curiositas Romam attraxerat e Germania, Gallia, aliisque regionibus Protestantes. Quorum vero plures depositis erroribus ad gremium Ecclesiæ rediverunt: inter quos fuit etiam Stephanus de la Favergue Calvini pronepos, de quo hoc jam memoratum est supra §. 35.

Clementi VIII. qui diem suum obiit a. 1605. successit Leo XI. Mediceus, vocatus antea Alexander Octavianus: cujus vero Pontificatus nonnisi dierum novem, et viginti fuit. Hujus successor fuit Paulus V. antea dictus Camillus Cardinalis Burghesius. Huic cum Republica Veneta fuit non modicum negotium. Senatus Venetiarum ediderat decretum, quo prohibebatur Xenodochii Ecclesiastici, monasterii, et domicilii alicujus pro Religiosis exstructio absque ejusdem Senatus facultate, rursusque alterum, quo Clerus prohibebatur bona, in fundis posita, acquirere tam testamento, quam emptione. Idem Senatus quemdam ex Religiosis capitali poena affecerat, alterum exilio mulctaverat, Scipionem vero Vicentinum Canonicum, et Brandolinum Nervesiæ Abbatem in carceres conjecerat, nulla habita ratione statu

Ec-

Ecclesiastici. Hoc vero habebatur factum adversus immunitatem Ecclesiasticam. Cum Senatus monitus nec decreta illa revocare, néc Canonicum, et Abbatem, qui in carceribus tenebantur, jurisdicitoni Ecclesiasticæ tradere voluisset; Paulus V. Venetos interdicto subjecit. Cui vero Senatus ita se opposuit, ut capitis pœnam, vel exilii decreverit in eos, qui illi interdicto paruissent. Exilium maluit eligere Hieronymus Vendramius Patriarcha Venetiarum, et Patres Societatis Jesu, Theatini, Capucini, et Eremitæ S. Augustini. Anno uno post, videlicet 1607. Henrico IV. Galliarum Rege interveniente Veneti reconciliati sunt Pontifici, sublatumque est interdictum. Cumque aliis, qui in exilium migrarunt, reditus fuisset concessus, solis tamen Patribus Societatis Jesu hunc obstinatissime denegavit Senatus. Idcirco his vehementius irascebatur, quod post exitum suum in exilium libellos complures elucubrassent, quibus Senatum perstrinxerant, et æquitatem interdicti defenderant. Cum deinde Alexander VII. Venetos in bello contra Turcas pecuniis multum juvisset, hi ad habendam Pontifici gratiam a. 1657. etiam Patribus Societatis Jesu reditum concesserunt.

Paulus V. decessit a. 1621. Gregorius XV. ei successit dictus antea Alexander Ludovisius Cardinalis: cujus Pontificatus diuturnus non fuit, tertio jam illius anno mortuus. Hunc secutus est Urbanus VIII. antea Maffeus Barberinus Florentiæ nobili genere natus. Ab hoc Romæ Collegium de Propaganda fide, quod Urbanum ab ejus nomine vocatur, a fundamentis ædificatum est, Cardinalibus, Magno Ordinis Melitensis Magistro, et tribus Electoribus Septemviris Ecclesiasticis ti-

tulus Eminentissimi concessus. Idem ad tollendos quosdam abusus cavit, ne cultus cuipiam exhiberetur, velut Sancto, nondum per Sedem Apostolicam in Sanctorum album relato, deinde ne Sancti in imaginibus alia forma, atque habitu exprimerentur, quam consveto in Ecclesia. Facultatem legendi libros prohibitos, et retinendi revocavit ad se, et ad Congregationem Sacri Officii, seu potius hoc decretum, jam a Gregorio XV. factum, confirmavit. Attamen potestas istius dandæ facultatis solet etiam a Pontifice delegari Episcopis. Sub Urbano VIII. Ibraini Turcarum Imperatoris, qui solium conscendit a. 1640. filius primogenitus Osmannus ab Equitibus Melitensibus captus, non tantum fidem Christianam amplexus, verum etiam Ordinem Prædicatorum ingressus est, dictus postea Dominicus Ottomannus. Jam etiam a. 1621. contigit, ut Mahometis Imperatoris Turcarum filius factus Christianus sit, qui in Baptismo Francisci nomen assumpserat, eo quod per Sacerdotem ex Ordine S. Francisci ad lumen Christianæ fidei perductus sit. Hoc loco mihi non prætereundum etiam videtur, quod in Synodo Tornacensi in Belgio a. 1643. celebrata a Maximiliano Villani a Gandavo, Episcopo Tornacensi, constitutum est: ut etiamsi unus tantum, vel duo ad Catechismum audiendum in Ecclesiam venissent; tamen his Pastores doctrinæ Christianæ capita tradere non negligerent: nam futurum, ut diligentia continuata, et Deo incrementum dante, paulatim auditorum numerus accrescat. *Carranza Tom. IV. Concilior. pag* 456.

Urbano VIII. dies suprema fuit vigesima nona Julii a. 1644. Innocentius X. ei suffectus est.

Ges-

Gessit Pontificatum usque ad a. 1655. Alexander VII. hunc excepit, dictus antea Fabius Chisius Cardinalis. Dum de quorumdam Pontificum gestis siletur, non illud semper est, quod nulla horum memoratu digna fuerint, sed quod alibi in narratione occurrant, sicut profecto neque Innocentii VII. vacuus negotiis fuit, quæ cum Jansenistis habuit, de quibus adhuc fiet narratio. Alexandro quoque Pontifici Janseniani molestias magnas facessiverunt. Vitam vixit admodum austeram, ut ne tum quidem cum Pontifex inauguraretur, catenulam quam corpori introrsus adstrictam gestabat deposuerit: utque mortem semper in memoria haberet, tumbam ligneam statim ut factus Pontifex est, sibi parari jussit, quam sub lectulo, quoad vixit, servabat. Christinam Scotiæ Reginam, factam Catholicam, et Romam commigrantem pompa vere Regia suscepit, et in Confirmationis sacramento, quod ei administravit, nomen Alexandræ imposuit, ubi pietatis operibus, et lectioni librorum dedita etiam vitam consummavit. Clemens XI. elegans monumentum eidem in Vaticano statuit. Illius mentio jam facta est supra §. 34. Alexandro vita functo Clemens IX. dictus antea Julius Rospiliosius Cardinalis successit a. 1667. Ingens hujus Pontificis fuit beneficentia in pauperes, et peregrinos. Horum duodenis in palatio suo ad mensam singulis diebus ipse serviebat tali modestia, et animi demissione, ut plures heterodoxi cum Romam venissent, istaque Pontificem facientem vidissent, et plura alia, Religionem Catholicam amplexi sint, nominatim Ernestus Wilhelmus Comes Bentheimensis Batavus, dicens, Religionem, quam tam pius Princeps profiteretur, non posse errore affectam esse, et Henricus Turrenius, Gallus, Ludovico XIV. Regi Galliæ ob

 vir-

virtutem bellicam valde charus, qui pariter ex Calvinianismo cum summa ejusdem Regis gratulatione ad sacra Catholica rediit. Clementi IX. Clemens X. antea Aemilius Altierius successit in Pontificatu. Aegre expugnari potuit, ad dandum consensum electioni. Erat enim jam prope octogenarius. Ab anno tamen 1670. usque ad a. 1676. annis 6. et fere tribus mensibus gessit Pontificatum.

Clementem X. excepit in Pontificatu Innocentius XI. dictus antea Benedictus Odeschalci, hunc Alexander VIII. a. 1689. dictus antea Petrus Ottobonus, Alexandrum VIII. cujus Pontificatus tantum anni unius, mensium trium, et dierum 24. fuit, secutus est Innocentius XII. dictus antea Antonius Pignatellus a. 1691. hunc autem a. 1700. Clemens XI. antea vocatus Joannes Franciscus Albanus. Hic ita sui electione perculsus est, ut etiam febri correptus sit: neque nisi post triduum cessit, cum neque Cardinales ire ad alium eligendum voluissent, et aliquot præstantes Theologi, religionem ei incussissent, metuque Divinæ offensæ eum terruissent, si Dei voluntati pergeret obluctari. Verbum Dei prædicare, confessiones pœnitentium excipere, nosocomia obire, omnes ad se facile admittere, infimis etiam aures præbere solemne habuit. *Carranza Tom. IV. Summæ Concilior. pag.* 507. Annis viginti et uno gessit Pontificatum inter magnas curas, et sollicitudines, quas ei illa tempora attulerunt. Innocentius XIII. antea Michael Angelus de Comitibus Romæ ex nobilissima Principum familia natus successit a. 1721. Hic ad petitionem Caroli VI. Imp. Viennensem in Austria Episcopatum ad Archiepiscopatus dignitatem a. 1722. evexit. Decessit

t nondum expleto Pontificatus anno tertio. Benedictus XIII. antea Vincentius Maria Ursinus ex rdine Prædicatorum a. 1724. electus Pontifex est. olebat autem suscipere Pontificatum. Augustius de Pipia Generalis Ordinis Prædicatorum ei, mquam superior præcepit, ne pergeret repuiare. Ita paruit. Parcissime etiam in Pontifitu vixit, sed neque vestitum sui Ordinis mutat. Præfuit Ecclesiæ usque ad a. 1730. Clemens I. ei successit antea Laurentius Corsinus, annos n natus novem, et septvaginta. Vixit tamen huc usque ad a. 88. suæ ætatis.

Ei a. 1740. mortuo successit Benedictus XIV. tea Prosper Laurentius Lambertinus. Eruditio-, et Operibus a se elucubratis jam ante Pontiatum longe clarissimus. De Servorum Dei Beaicatione, et Beatorum Canonizatione sic scripsit libris, quibus hæc argumenta tractavit, ut atonius Genuensis vir acerrimo ingenio, in Elent. Metaphys. de his scripserit, Esse tam pericue elaboratos, ut et miraculorum hostes, et ophetiarum derisores iis contundantur penitus, eque temeritatis, et impudentiæ convicti teantur. Idem Opera elucubravit de Festis Chri-, et B. M. V. de Sacrificio Missæ, de Sanctis, i divino officio Bononiæ coluntur, de Synodo oecesana, nec non Institutiones Ecclesiasticas. nstitutiones vero Apostolicas, et Epistolas tot nscripsit, ut Bullarii quatuor tomos a. 16. use ad 19. impleant. Inter alia Sacerdotibus nevit facultatem absolvendi nexis in crimine con- sextum Decalogi præceptum, nisi in casu exmæ necessitatis, et in defectu Sacerdotis alteis. Severissimam Constitutionem edidit contra cerdotes, suos pœnitentes in sacro tribunali sol-

sollicitantes. Clericis quamlibet nagotiationem interdixit: item quoad Quadragesimæ, et jejunii dies, eorumque observationem, et in quantum Episcoporum potestas se extenderet in concedenda facultate utendi cibis, ex carne paratis, videlicet ne hanc generaliter darent omnibus alicujus loci incolis, et eo minus totius diœceseos, nisi cum reverentia erga Apostolicam Sedem. A Benedicto XIV. habet etiam Episcopus Quinque-Ecclesiensis in Hungaria jus Pallii, et Crucis præferendæ honorem. Georgius Klimo Episcopus primus fuit, qui hoc honore insignitus est. Idem jus obtinuit ab eodem Benedicto Episcopus Varmiensis, et Herbipolensis. Benedictus diem supremum obiit a. 1758. die 3. Maji.

Clemens XIII. antea Carolus Rezzonicus, Venetus, ei successit die 6. Julii: eodemque anno die 25. Augusti Mariam Theresiam Imperatricem, et Reginam Hungariæ titulo Apostolicæ Reginæ, in omnes etiam successores transmittendo, condecoravit. Hunc titulum velut a S. Stephano hæreditarium, sibi esse debitum, existimarunt anteriores etiam Reges Hungariæ. Sed tractum deinde in dubium est, num hæc concessio facta S. Stephano a Silvestro II. pertinuerit etiam ad ejus successores. Clemens autem XIII. dissolvit omne hoc dubium, et quomodocumque se illa concessio habuisset, facta S. Stephano Regi, denuo Mariam Theresiam eo titulo insignivit. Clemens XIII. post annos Pontificatus novem, et menses sex mortuo Clemens XIV. a. 1769. die 20. Maji suffectus est antea Laurentius Ganganelli Cardinalis ex Ordine Minorum Conventualium. Per hunc festa in ditionibus Augustissimæ Domus Austriacæ reducta ad minorem numerum sunt. Idem

quod petitum ab eo idcirco est, ut qui labore manuum viverent, ut sunt coloni, et opifices, plus temporis ad operandum nanciscerentur. Idem etiam in Venetiarum terris præstitit. Annos 5, menses 4, et dies tres gessit Pontificatum. Veneno creditum est, sublatum esse, cujus valde manifesta indicia reperta sunt in corpore vita functi. Mors illius contigit die 22. Sept. 1774. Tres adhuc fuerunt Pontifices usque ad hoc tempus, ad quod pertingunt hæ Institutiones historicæ. De his autem adhuc postea una cum rebus, quæ nimis turbidæ recentissima memoria evenerunt, fiet narratio.

§. 41.

De Michaele Bajo. De Leonardo Lessio, et Joanne Hamelio. De assertionibus in Theologia Morali mollioribus, et rigidioribus. De Probabilismo. De Michaele Molinos.

Michael Bajus fuit Theologiæ Doctor, et Professor Lovanii, unusque etiam eorum, quos Philippus II. Rex Catholicus Theologos miserat ad Concilium Tridentinum. Is primum in schola inter docendum quasdam sententias protulerat, quæ ipsis ejus auditoribus non videbantur rectæ, et inter quos idcirco dissensiones exortæ sunt aliis eas impugnantibus, aliis vero defendentibus. Idque factum præcipue ab iis fuit, qui ejus auditores erant ex Ordine Minorum Conventualium. Horum ea pars, quæ contra sententias Baji stabat, controversiam detulit ad Facultatem Parisiensem: quæ ex delatis ad se sententiis octodecim notavit velut errore affectas. Adversus hanc cen-

censuram Facultatis Parisiensis ii, qui ex ejus auditoribus Bajo erant addicti, apologiam composuerunt. Quo pacto eo magis creverunt disceptationes. Quæ etsi jam fervere cœpissent, antequam Bajus venisset ad Concilium Tridentinum, tamen in hoc nulla ei quæstio mota erat, quod Concilium aliis rebus satis occupatum ad definienda quæ essent Orthodoxa fide tenenda contra Lutheranos, et Calvinianos, abstinendum duxerit ab iis, quæ inter Catholicos Theologos disceptarentur non præfracte, et mente hæretica, et quali neque Bajus erat, ut re postea declaravit. Post Concilium vero Tridentinum Bajus non tantum perrexit eadem docere in scholis, quæ antea, verum idem in libris fecerat, quos edidit, idque etiam magis, atque latius.

Ejus adversarii, causam ad Pium V Papam detulerunt: qui in Constitutione, cujus prima verba sunt: *Ex omnibus* recensuit sententias Baji novem, et septvaginta, atque de his judicium tulit, Nonnullis exceptis, quæ aliquo pacto sustineri possent, *esse hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes.* Pleraeque sunt de libero hominis arbitrio, de gratia Christi, et de piis Operibus. Aliquas dumtaxat speciatim ex his memorabo. Harum 24. est: *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, et gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, charitate Deum supernaturaliter coleret.* 26. *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ* da-

mnationis potest habere veram charitatem, et haritas etiam perfecta potest consistere cum reau æternæ damnationis. 79. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Constitutio data est Romæ die 1. Octob. 1568. quam Pius ad Archiepiscopum Mechliniensem transmisit, ut hanc is cum Lovaniensibus Doctoribus communicaret sine strepitu, ipsius etiam Baji nomini parcendo, ut ipsius verecundiæ consuleretur. Cum autem propter omissionem solennis promulgationis, non deessent, qui hanc Pii Constitutionem contenderent non esse authenticam, Gregorius XIII. Pii V. successor a. 1579. die 29. Jan. sententiam Pii confirmavit, atque de hoc edictum fecit, quod per Franciscum Toletum e S. J. postea Cardinalem ad ipsum etiam Bajum misit, qui se prompte judicio Sedis Apostolicæ subjecit. Academia quoque Lovaniensis sic hanc Constitutionem suscepit, ut legem sanxerit de nemine Doctoratus laurea insigniendo, nisi qui prius jus jurandum dedisset, se Pii V. et Gregorii XIII. Constitutiones has, de quibus modo dictum est, servaturum. Tam Bajus, quam Academia Lovaniensis eximium specimen dedit, suæ observantiæ erga Apostolicam Sedem; nec non et exemplum obedientiæ, quæ debetur eidem Apostolicæ Sedi.

Leonardus Lessius, et Joannes Hamelius e Societate Jesu erant Lovanii Professores Theologiæ in ejusdem Societatis Collegio. Hi a. 1586. propositiones quasdam ediderunt cum alias, tum as tres attinentes Scripturam sacram: 1. *Ut aliquid it Scriptura sacra, non est necessarium, singula ejus verba esse inspirata.* 2. *Non est necessarium, ut singulæ veritates, et sententiæ sint im-*

me-

mediate a Spiritu sancto ipsi scriptori inspiratae. 3. *Liber aliquis, qualis est fortasse secundus Machabaeorum, humana industria sine assistentia Spiritus sancti scriptus, si Spiritus sanctus postea testetur, ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra.* Adversum has assertiones Doctores academiæ Lovaniensis primum, deinde paulo post etiam academiæ Duacensis in Flandria acriter insurrexerunt. Orta fuit inter Professores Societatis Jesu, et ceteros illarum academiarum non mediocris disceptatio, ut hæ academiae illas propositiones sua etiam censura perstrinxerint. Motus hinc factus est etiam inter Belgii Episcopos, jamque hi synodum quoque parabant celebrare ad has damnandas assertiones. Patres Societatis Jesu ad Romanum Pontificem Sixtum V. rem detulerunt. Is Octavianum Frangepanium Episcopum Calatinum (Calata, seu Galeata est civitas in Sicilia) in Belgium misit, qui auctoritate ejusdem Pontificis utrique parti injunxit, ne altera alteram damnaret, et ne se mutuo impeterent, sed judicium de illis sententiis Apostolicæ Sedis exspectarent. Ita dissidium utcunque sopitum fuit.

Circa a. 1656. Theologiæ Moralis doctores prodierunt ejusmodi majore numero, qui dicti *Molles* sunt, eo quod ipsorum doctrina ad laxandam morum disciplinam censeretur spectare. Iidem dicti etiam sunt *Casuistæ*, eo quod illa, quae docebant, per casus, a se excogitatos, proponerent. Parochi Parisienses, et Rothomagenses in Gallia, cum incidissent in libros ab his Theologis editos, et hanc doctrinam, quæ dicta est, continentem, primi adversus hanc se moverunt. Hinc Episcopi, et academiæ ad attentionem excitatæ sunt. Parisiensis, et Lovaniensis Facultas multa

ex

illorum libris sententias excerpsit, quas velut
oribus perniciosas, atque falsas damnavit. Unam,
eramve speciminis gratia afferam, unde judi-
um fieri possit etiam de aliis, cujus indolis sint.
ngum enim, et prope infinitum esset, vixque
ssibile, omnes proferre: *Licitum est, quærere
recte occasionem proximam peccandi pro bono
irituali, aut temporali nostro, aut proximi.
robabile est, eum non peccare mortaliter, qui
ponit falsum crimen alteri sui honoris defen-
ndi causa. Fas est, occidere actorem, calu-
niatorem, testes, et injustum judicem ad ser-
ndam vitam, honorem, vel rem familiarem.
uctoritas unius doctoris probi, et docti reddit
inionem probabilem, et hanc unicuique licitum
t sequi etiam reluctante conscientia.* Etiam Ale-
nder VIII. pluresque alii Pontifices has senten-
as damnaverunt. Non eo minus tamen aliæ post
ias ejusdem farinæ prodierunt sententiæ ab iis,
uorum in has pruriebant male composita inge-
ia. Dum autem Theologi alii, ut his mollibus
sisterent, strinxissent calamos; plures etiam ex
is, mediam nescientes tenere viam in contrarios
opulos delati sunt, justo severiorem proponen-
s doctrinam. Quale v. g. est: Unumquemque
bligari ad pœnitentiam pro originali peccato to-
vitæ tempore agendam. Illos pro sacrilegis es-
habendos, qui Eucharistiam sumerent nondum
eracta plena suorum peccatorum satisfactione.
los ab Eucharistiæ sumptione repellendos esse,
arcendos, qui in se non haberent Dei amo-
em purissimum, atque omnis affectus erga crea-
ras carentem. Quamobrem perinde horum,
tque illorum priorum etiam a Romanis Pontifici-
us confixæ sunt sententiæ. Par enim pernicies
st, ad licentiam laxare viam, et hanc constrin-
gere

gere alligando onera gravia, et importabilia, et imponendo in humeros hominum, quemadmodum faciebant Scribæ et Pharisæi, idcirco reprehensi a Christo. *Matth.* 23. *v.* 4. Quemadmodum illi molles, et laxi, ita hi alteri vocati sunt duri, et rigidi.

Eodem seculo decimo septimo ineunte orta est disceptatio inter Theologos, quæ subsequente etiam seculo magno fervore continuata est de Probabilismo, et Probabiliorismo, ut hi solent vocari. Controversia videlicet hæc in eo constitit, An in concursu duarum opinionum de bonitate actionis licitum sit sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, relicta altera probabiliore atque tutiore. Pro illa Theologi Societatis Jesu, pro hac Theologi ex Ordine Prædicatorum stabant, et utrique multis editis libris, magnoque fervore rem suam agebant. Cum his alteris se junxerunt non tantum plures etiam alii Ordines Religiosorum, uti S. Augustini, S. Francisci, et Facultas Theologica Parisiensis, verum etiam idem assertum est a Clero Gallicano in Conventu totius ejusdem Cleri a. 1700. Hoc vero ex consensione petitum argumentum Theologi alterius partis quæsiverunt infringere objiciendo Probabiliorismum convenire cum Rigorismo, de quo paulo ante dictum est, et esse sumptum ab Jansenistis, de quibus adhuc sequetur narratio. Illi vero quibus hoc objectum erat, negabant rem ita se habere. Siquidem antequam Jansenismus erupisset, ex ipsa etiam Societate Jesu, ut Rebellus Lusitanus, Comitolus Perusinus, Card. Bellarminus in epist. ad Episcopum Theanensem, Claudius Aquaviva in epist. a. 1613. Mucius Viteleschi in epist. 1617. in sententia Probabiliorismi fuerint. Plures adhuc affert Petrus Maria Gazzaniga *Tom.* 2. *Prælect.*

Theo-

Theolog. de Actib. Hum. Dissert. 3. cap. 3. §. 5. qui assertores hujus sententiæ fuerint, ipsumque etiam Alexandrum VII. qui Fratres Prædicatores in Comitiis generalibus Romæ a. 1656. congregatos hortatus sit, ut se Probabilismo totis viribus opponerent. Ut autem Rigoristarum, et Jansenistarum nomen Probabilioristis non ex vero datum est; ita neque Probabilistis nomen Laxistarum, nisi fortasse aliquibus: adeoque hi inter se confundendi non sunt, tametsi sint, qui hos confundant. Ordo enim Societatis Jesu vel maxime ex professione sua habuit morum probitatem, et sanctimoniam in se, et in omnibus aliis, nutrire, et provehere, non eorumdem licentiam inducere. Quæ Societas eum etiam nunc in finem et expetita a Principibus est, et a Pio VI. et VII. restituta, ut per eam mores in populo, et pietas, quæ multum elanguit, instaurarentur.

Sub finem vero ejusdem seculi decimi septimi enatæ disputationes inter Theologos sunt de peccato philosophico. His occasionem dederat Franciscus Meunier e S. J. dum in propositionibus, publicæ disputationi expositis, Divione in Burgundia peccatum philosophicum dixisset, esse actum rectæ rationi non convenientem, theologicum autem peccatum definivisset esse liberam legis divinæ prævaricationem, et aliis hoc arrisisset, alii vero contradixissent, utpote unde sequeretur, nec legis naturalis, quæ per rationem cuique quasi promulgatur, violationem esse peccatum, quo offendatur Deus. Meunier autem declaravit, non isto sensu se locutum esse, neque in mente habuisse id non esse etiam offensam Dei, quod committeretur adversus officium, quod solo jam lumine rationis adverteretur, esse facien-

dum,

dum. Nihilominus cum ea ratione ab aliis peccatum philosophicum defensitari cœpisset, quasi hoc peccatum non esset, quo Deus offendatur, hæc assertio cum pluribus aliis doctrinæ laxioris ab Alexandro VIII. Papa a. 1690. confixa est.

Michael Molinos natione Hispanus Cæsaraugustanæ diæcesis Presbyter externa pietatis specie in magnam existimationem sanctimoniæ venerat apud omnes, ita ut ad eum hominum concursus undique fierent: quibus vero ille dux sub fuco pietatis, et perfectionis ad dissolutionem omnis religionis, et libidinem erat. Docebat namque, perfectionem hominis Christiani esse positam in sola interiore ejus quiete, sepositis omnibus externis actibus religionis, ipsa etiam precatione ad Deum, a quo neque petendum aliquid, neque cui gratiæ agendæ pro acceptis beneficiis essent: et hac ratione futurum sit, ut homo cum Deo intime copuletur, ac jam deinde quidquid in ejus corpore fieret, etiam quod secus spurcissimum esset, huic per quietem Deo conjuncto non sit peccatum, imo conducat etiam ad arctiorem sui cum Deo conjunctionem. Librum quoque conscripsit hac de re, quam Manuductionem spiritualem appellavit. Venerat is in Italiam, atque etiam Romam ad errores suos disseminandos, id, quod jam in Gallia etiam fecerat. Romæ autem captus est a. 1687. ejusque assertionibus, quas sparserat, quasque suas esse confessus erat), in examen sumptis, quæ octo, et sexaginta erant, et ab Innocentio XI. damnatis hæreseos, scandali, atque blasphemiæ, ejusque scriptis ad rogum damnatis, ipse indutus veste pœnitentis debuit in pegmate in templo S. Mariæ super Minervam sibi erecto coram Cardinalibus errores suos retractare: quo fa-

facto positus ad perpetuos carceres est. In ejus scrinio reperta sunt quatuor millia aureorum, et duodecim millia epistolarum, e quibus illius etiam asseclæ innotuerunt, quorum erant millia fere viginti, sparsa per Hispaniam, Galliam, et Italiam. Quietistæ vulgo dicebantur. Nuspiam vero detectis illorum turpissimis erroribus consistere permissi sunt. Molinos vixit in carcere usque ad a. 1692. quo decessit ut pœnitens. *Joan. Pacichellus Tom. I. Epist. pag.* 220. Huic Quietistarum errori affinis error fuit Josephi Beccarelli Parochi diœcesis Brixiensis, docentis nullum dari peccatum, et quidquid agerent homines esse innocuum: multosque seduxerat, dando licentiam, et impunitatem quidvis agendi. Joannes Badoari Episcopus Brixiensis hominem custodiæ mandavit. In qua pœnitens obiit a. 1710.

Anno 1697. Parisiis typis prodierat libellus sub titulo: *Placita Sanctorum circa vitam interiorem explicata* exposito etiam nomine auctoris Francisci de Salinac Fenelon Archiepiscopi Cameracensis. Hic cetera functus egregie Episcopali munere, tamen Jac. Benigno Bossuet Meldensi Episcopo in suspicionem venerat Molinosiæ illius quietis, quod cum Guionia nobili femina, sed Molinosii erroribus capta, crebro colloquia institueret. Deprehensi quoque non tantum a Bossueto, verum etiam ab aliis Episcopis sunt errores in ejus libro. Quamobrem delatus ad Innocentium XII. est, qui illius librum tamquam continentem propositiones temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas damnavit, ipsi-

us-

usque libri etiam lectionem prohibuit sub poena excommunicationis. Datum est decretum die 12. Martii 1699. in quo propositiones tres, et viginti speciatim recensentur in Molinosiam quietem ducentes. Fenelon ea fuit promptitudine parendi, ut decretum non tantum cum reverentia susceperit, eique subscripserit, sed literis etiam ad Suffraganeos suos Episcopos, atque suae dioecesis Clerum datis se errasse confessus sit, eosque deprecatus sit, quod sua illis doctrina offensioni fuerit. Hac sua modestia summam apud omnes adeptus est laudem et existimationem. Etiam Guionia suum recognovit errorem, et ad pietatem, quae vere Christiana est, colendam, se totam dedit. *Carranza Summae Concilior. Tom. IV. pag.* 505.

§. 42.

De Ludovico Molina, et Congregationibus de Auxiliis.

Ludovicus Molina fuit Sacerdos e S. J. natione Hispanus. In libro, quem a. 1588. edidit, *De gratia Dei cum libero arbitrio in nobis ad salutem cooperante;* sibi habebat propositum, ostendere, quomodo Deus gratia sua in nobis operetur, ad perficiendum bonum, quod fieri vult manente vigore liberi nostri arbitrii. Existimabat, se hoc planum facturum, in quo ipse S. Augustinus disputans cum Pelagianis de Gratia, expertus erat difficultates, et ultra illud volebat ire, in quo S. Augustinus constitit, Dei eam esse virtutem, ut dum operatur in nobis et velle, et perficere *Philipp.* 2. *v.* 13. nos ipsos etiam ex

no-

nolentibus volentes faciat, utpote cujus gratiæ semper voluntas nostra repugnet, donec duritia cordis per Dei gratiam a nobis auferatur. Cujus verba apud Ezechielem cap. 36. v. 26. sunt: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum ponam in medio vestri.* Molina in hoc opere quod suscepit, visus est eas partes dedisse libero arbitrio in opere bono, quod agimus, quibus derogatum sit Gratiæ. Quamobrem contra hunc Molinæ librum protinus insurrexit Dominicus Bannez, ex Ordine Prædicatorum, et ceteri quique ejusdem Ordinis. Cum in Lusitania et Hispania inter Patres Societatis Jesu, qui Molinæ partes, et ipsi tutabantur, et Patres Dominicanos disceptationes semper increvissent, Dominicani rem ad Card. Quiroga Archiepiscopum Toletanum, et supremum Inquisitorem fidei per Hispaniam detulerunt. Is vero eam misit ad Romanum Pontificem Clementem VIII. Qui ab utraque parte litigantium petiit, ut argumenta, quibus niterentur, ad se mitterent; insuper exquisivit sensa Episcoporum Hispaniæ, et Portugalliæ, nec non Theologorum neutri parti addictorum: prohibuitque, ne pars altera alteram auderet damnare, aut aliquo incommodo afficere, sed a se exspectarent causæ decisionem, et sententiam. Namque Dominicani Molinæ sententiam velut affinem Sempelagianis habebant, hujus vero defensores insimulabant Dominicanos tamquam quid commune habentes cum Calvinianis. Romæ Pontifex negotium dedit Cardinalibus, et Theologis a se delectis, ut rem expenderent, sed nullo assumpto Theologo sive ex Dominicanis, sive e Societate Jesu. Septem et sub Clemente VIII. institutæ sunt consultationes, et adhuc sedecim sub Paulo V. ipso Pontifice præsidente, inceperunt-

que haberi a. 1598. finitæ vero sunt a. 1607. Hæ dictæ sunt Congregationes de Auxiliis. In his qui causam peroraverint, e Societate Jesu præcipui erant Pater de Valentia, Ferdinandus Bastida, Christophorus Cobos, et Petrus Arubal; e Dominicanis Thomas Lemos, et Didacus Alvarez. Nec jam inter solos Dominicanos, et Patres Societatis Jesu se se tenuit hæc controversia, sed cum Dominicanis jam se junxerant aliæ etiam familiæ Religiosorum, speciatimque S. Augustini, et S. Francisci, nec non in academiis, et scholis Theologicis ferrebant super hoc argumento disputationes. Eo magis res cordi fuit Paulo V. ut rem ad exitum perduceret. Inprimis Lovaniensis, et Duacena academia se se iterum Theologis Societatis Jesu fervidissime opposuerat.

Cum tandem in his Congregationibus res ad finem pervenisset, factumque esset judicium, Summus Pontifex Præpositos Generales Ordinum Societatis Jesu, et S. Dominici ad se vocavit, iisque exposuit, controversiam jam haberi dijudicatam, et esse constitutam sententiam: quæ tamen nondum, et nonnisi, cum judicatum fuerit, ex usu futurum, promulganda sit. Ipsi vero interea continerent se, ne alter alteri notam aliquam imponat, atque idem observandum etiam curarent ab omnibus Religiosis sui Ordinis, poenas comminatus severas iis, qui secus fecissent. Et ne sententia prodire per quempiam alium, et innotescere posset, Pontifex severissimum omnibus, qui adhibiti ad illas Congregationes sunt, silentium injunxit Acta vero harum Congregationum reponi jussit sub simili custodia. Ea ratione ad hoc faciendum ductus est Pontifex, ne parte, in quam cecidisset sententia, minus prona ad obsequendum, et altera

ra exultante, non sopiretur, sed potius cresceret, quæ jam ardebat, flamma, et quod opportunum curationi tempus tunc non esset, præstolandum esse, dum sæpe, quod non succedit ratione, curetur tempore. Priorem sententiam Molinæ, quæ efficaciam gratiæ constituit, et repetiit a consensu voluntatis humanæ, sic deinde temperavit Franciscus Svarez Theologus Societatis Jesu, ut poneret Deum per suam scientiam, quam is *Mediam* appellavit, explorare tempus, quod congruum dandæ gratiæ esset, ut homo, cui destinavit dare gratiam, huic voluntatis suæ assensum det. Claudius Aquaviva, Generalis Societatis Jesu, etiam per statutum suum Molinæ sententiam nonnisi cum hoc Svarezii temperamento permisit Theologis suæ Societatis Jesu. Istos vero jam deinde ii, qui etiam ab hac Svarezii sententia dissentiebant, Congruistarum nomine appellarunt. *Serry Historia de Auxiliis.*

Ea, quæ pressa per Paulum V. de hac controversia sententia est, premitur usque nunc, neque adhuc emissa est. Cum vero quidam sparsissent per bullam *Unigenitus*, quam edidit, Clemens XI. adversus errores Quesnelli, etiam sententiam Thomistarum, sic vocantur Theologi, qui se SS. Augustini, et Thomæ discipulos profitentes, alieni sunt a Molinæ, et Svarezii sententia, esse perstrictam, Benedictus XIII. a. 1724, Constitutionem edidit, qua declaravit, falsum esse, quod spargeretur, sententiæ Thomistarum esse per bullam *Unigenitus* aliquid derogatum, et insuper eosdem Thomistas hortatus est, ut Sententias, quas hactenus laudabiliter docuissent, et quas ex S. Augustino, et S. Thoma se se hausisse, atque Verbo Dei, summorumque Pontificum,

ac Conciliorum decretis ac Patrum dictis consc
nas esse eorum schola commendabili studio gl
riaretur, pergerent tenere contemnendo, quc
ipsis objiceretur. *Dorsane Lafiteau, Histori
Constitut, Bulla Benedicti XIII. apud Contin
at. Fleurii Tom.* 71. *pag.* 723. Jam sunt pau
ante illa allata ex Scriptura, Deum esse, qui
nobis operetur velle, et perficere, qui aufer
cor lapideum, et det cor carneum, etiam con
stat testimonio S. Pauli *ad Rom.* 9. *v.* 16. Non es
se volentis, neque currentis; sed miserentis Dei
demum ne plura conferam, ipse Christus dixit
Sine me nihil potestis facere Joan. 15. v. 5. dumque ambæ partes, in hac controversia dissidentes, in dogmate consentirent de Gratia Dei, quæ nobis necessaria sit ad salutem, et quæ donum sit Dei, sed et libero arbitrio nos præditos teste nostra etiam conscientia sciamus, non oportebat ulterius rimari, etiam de modo quo Deus perficiat, ut quod in nobis operatur per suam gratiam, idem tamen salva nostra libertate fiat. In Deo vivimus, et movemur, et sumus, ait S. Paulus *Act.* 17. *v.* 28. Et qui sine Deo non possum movere digitum, tamen hunc libere moveo, quin comprehendere possim, quomodo soli etiam nutui voluntatis meæ motio digiti, vel pedis, aut alterius membri obsequatur. Deus mundum fecit e nihilo. Capisne, quomodo inde quod non fuit fieri aliquid potuerit? *Altiora te ne quæsieris* Eccli. 3. v. 22. Annon inde etiam enatæ sunt hæreses, quod earum opifices non steterint in fide ad tenenda ea, quæ Religio mysteria habet, se sibi sumpserint etiam, hæc intelligibilia velle facere, dareque intelligentia, et ratione comprehendenda?

§. 43.

§. 43.

De Cornelio Jansenio, et ejus libro, hujusque propositionibus. Negant patroni Jansenii has in ejus libro existere. Formula ipsis præscripta ad subscribendum. Subscribunt usi obsequioso silentio. Pax quam Clementinam iidem appellarunt.

Attamen partes illæ dissidentes in hoc argumento, quod modo demonstratum est de Gratia, non destiterunt sibi invicem adversari, et dum occasio se præbuisset, sibi vicem reddere. Cornelius Jansenius a. 1585. in obscuro Belgii loco *Leerden* natus, primum Lovanii Doctor, et S. Scripturæ Professor fuit, anno autem 1625. Episcopus Iprensis factus est. Assiduus fuit in legendis SS. Patrum operibus, præsertim S. Augustini, cujus libros ceteros decies, eos vero, qui contra Pelagianos tractant de Gratia, tricesies pervolvit. Erat videlicet ipse quoque cum ceteris Doctoribus Lovaniensibus involutus iis disputationibus, quæ tum occasione libri Molinæ fervebant. Composuit librum, quem hoc nomine *Augustinus* inscripsit ad designandum, se in eo exhibere nullam aliam, quam ipsius S. Augustini germanissimam doctrinam. Librum hunc ipse non emisit, sed Reginaldo Capellano suo legavit ante mortem, quam a. 1638. obiit peste, quam contraxerat Sacramenta administrando eodem morbo affectis, ea autem conditione, ut Liberti Fromondi, et Henrici Caleni Doctorum Lovaniensium cura, atque judicio ederetur, sic supremis tabulis de hoc libro suo protestatus: *Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiæ, in qua semper vixi usque ad hunc le-*

ctum

ctum mortis, obediens sum. Ista mea postrem voluntas est. Jansenio mortuo statim librum Jansenii ii, quibus erat commissus, Lovanii prel subjecerunt. Cum nondum prodiisset, rescitu vero esset quid fieret, a Patribus Societatis Jes Lovaniensibus, et impressionem Lovanii impedi re non potuissent, per Cardinalem Barberinur rem Urbano VIII. significarunt, velut attentatan adversus Pauli V. ipsiusque Urbani Constitutionem qua prohibitum esset libros et tractatus de Controversiis Gratiæ efficacis typis edere absque ipsius Papæ permissu, et concessione. Urbanus die 6. Mart. 1642. Constitutionem: *In Eminenti*, quæ illius prima verba sunt, edidit ad supprimendam libri Jansenii impressionem.

At jam interea excusus erat totus liber, imo etiam aliis pluribus locis recudebatur. Lovanienses etiam bullam hanc Urbani recipere detrectarunt, dicentes esse subreptitiam, et duos e collegio suo doctores Joan. Sinnichium, et Joan Papium Romam miserunt, qui Pontifici humiliter exponerent, non posse quidpiam fieri adversus librum Jansenii, quod non idem etiam afficeret S. Augustinum. Respondit, et declaravit Pontifex etiam absque Jansenii libro salvam, et in tuto mansuram doctrinam SS. Augustini, et Thomæ, sed neque bullam esse subreptitiam. Pos hanc declarationem Lovanienses, et plerique in Belgio conquieverunt. Jam etiam Parisiis fuit editus liber Jansenii, et ob ejus prohibitionem motus sunt facti, contentionesque excitatæ mul etiam acriores, quam in Belgio. Nicolaus Cornet, Syndicus Facultatis Theologicæ in academ Parisiensi, septem propositiones ex Jansenio extractas cum voluisset damnari per Facultate Theo—

Theologicam, et non obtinuisset, hæ etiam nomine Episcoporum octoginta quinque missæ sunt Romam ad Innocentium X. Urbani VIII. successorem, atque ejus judicio substratæ. Erant vero hæ: 1. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant.* 2. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.* 3. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* 4. *Semipelagiani admittebant præventientis gratiæ interioris necessitatem, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* 5. *Semipelagianorum error est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sangvinem fudisse.* 6. *Sensit olim Ecclesia, privatam Sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere.* 7. *Naturalis attritio sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ.* Venerunt Romam etiam Theologi e Sorbona ab utraque parte delecti, atque missi. Institutæ sunt Congregationes sex et triginta in hac causa, quarum septem ipse etiam Innocentius affuit, et præsedit. Die 3. Maji a. 1653. bulla ejusdem Innocentii edita est, qua illarum propositionum, quæ delatæ ad illum sunt, confixa est prima, *velut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et hæretica,* secunda, et tertia *ut hæreticæ,* quarta *ut falsa, et erronea,* quinta *ut falsa, temeraria, et scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Chritius pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.* Sexta et septima præterita est. Non

cer-

certe, quod habitæ pro rectis sint, quarum falsitas cuique statim in oculos cadit, sed quod neque defensores Jansenii harum patrocinium suscepissent, quorum omnis nisus tenderet tantum adversus Molinam, ejusque assertiones de Gratia.

Nemo patronorum Jansenii ausus est, harum sententiarum patrocinium suscipere, et dicere esse veras, immeritoque illo stigmate notatas, atque damnatas. Invenerunt tamen, quo pacto defenderent Augustinum Jansenii, hoc est, librum nomine Augustini ab eo insignitum, velut labis expertem. Dicebant, has sententias non exstare in Augustino Jansenii, vel certe verbis Jansenii non inesse hunc sensum, et qui proinde illius liber, si rite intelligatur, nihil contineat reprehensione dignum. Addiderunt et illud, hæ assertiones sintne reipsa in Jansenio esse quæstionem facti, nec pertinere ad fidem utpote quod revelatum non sit, in cujus proinde decisione nec Pontifex, neque Ecclesia universa immunitatem erroris habeat. Quo invento effugio Janseniani caput, quod jam demiserant, rursus erexerunt, et pugnam instauraverunt. Ex hoc præsidio Præsules Gallicani a. 1654. Parisiis congregati octo partim Archiepiscopis, partim Episcopis negotium dederunt, ut investigarent, exstentne reipsa illæ assertiones in libro Jansenii, atque etiam juxta mentem ejusdem Jansenii. Hoc cum ita repertum esset, iidem Præsules Gallicani formulam præscripserunt, cui quisque subscribere teneretur, et profiteri, se damnare corde, et ore doctrinam quinque propositionum Cornelii Jansenii in ejus libro, cui titulus Augustinus contenta. Huic formulæ pondus accessit per Alexandrum VII successorem Innocentii X. dum et ipse die 16. Oc

1656.

56. declaraverat, *Quinque illas propositiones libro Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi, cui ‹lus Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eo- z Cornelio intento damnatas fuisse.* Neque ‹en ei formulæ a Gallicanis Episcopis præscri- ‹ Janseniani subscribere voluerunt, quamvis ‹gia etiam auctoritas accessisset. Quamobrem ‹xander VII. die 15. Febr. 1665, ipse hanc for- ‹lam præscripsit, cui omnes subscribere debe- ‹it: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocen- X. datæ die 31. Maji 1553. et Constitutioni ‹exandri VII. datæ die 16. Octob. 1656. Sum- ‹rum Pontificum, me subjicio, et quinque pro- ‹sitiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen ‹gustinus, excerptas, et in sensu ab eodem ‹ctore intento, prout illas per dictas Constitu- ‹nes Sedes Apostolica damnavit, sincero animo ‹icio, ac damno, et ita juro. Sic me Deus ad- ‹vet, et hæc sancta Evangelia.*

Hac formula sibi data, qua subscribere de- ‹rent, Constitutioni Innocentii X. et Alexandri ‹II. adducti in summas angustias sunt patroni Jan- ‹nii. Quatuor Episcopi Henricus Arnaldus An- ‹egavensis, Nicolaus Choartus Bellovacensis, Fran- ‹iscus Stephanus Cauletus Apamiensis, et Nico- ‹us Pavillonius Alectensis declararunt, se quan- ‹m attineret ad ipsum dogma, in quo Ecclesiae ‹t agnoscenda infallibilitas subscripturos, non ve- ‹ quoad factum, quo propositiones illæ damna- ‹e ponuntur esse in libro Jansenii: et quoniam ‹e in Jansenii libro non sint, se formulæ non ‹bscripturos, quam subscriptionem absque men- ‹cio facere non possent. Alii subscripserunt, ‹d quoad factum, quo illæ propositiones tribue- ‹ntur Jansenio cum silentio, quod *Religiosum*

vo-

vocabant, ne signo quodam externo renuerent, quamvis aliter in animo sentirent, ultra quam exteriorem obedientiam neque Ecclesia aliquid requireret. At vero Pontifex, nec non Rex, Ludovicus XIV. urgebant subscriptionem *simplicem, et puram*, periculumque schismatis creverat, dum alii Episcopi unde vigiuti cum illis quatuor se se sociavissent. Henricus Gondrinus Archiepiscopus Senonensis videbatur sibi reperisse modum totius componendi negotii. Svasit his quatuor Episcopis, ut subscriberent formulæ, tacendo, qua mente hanc subscriptionem facerent, similemque subscriptionem procurarent a ceteris in suis dioecesibus, declarationem autem in alio scripto suo facerent, se quidem quoad dogma eorde, atque ore assensum dare, quoad factum vero nonnisi externam reverentiam. Quod cum factum esset, ut Episcopi illi quatuor etiam suis literis ad Clementem IX. successorem Alexandri VII. suam testati essent obedientiam, turbæ omnes putabantur esse compositæ, et pax confecta, quam Clementinam appellarunt, postquam idem Clemens in Brevi ad eosdem Episcopos gratulatus his fuisset de præstita Sedi Apostolicæ obedientia, censurisque eos absolvisset, itemque ceteris eadem gratia facta esset, qui et ipsi omnes eodem modo, quo illi quatuor Episcopi, formulæ absque cunctatione subscripserant, quin monetam quoque cuderant ad celebrandam hujus pacis memoriam, perennandam cum inscriptione in parte illius una: *Restituta Ecclesiæ Gallicanæ concordia*, in altera: *Gratia, et pax a Deo.* Quia vero Rege insciente hæc moneta erat cusa, non tantum hanc omnem monetam prohibuit, et sustulit, verum ipsa etiam signa, quibus percussa fuit moneta, frangenda, et comminuenda curavit.

§. 44.

§. 44.

Pax Clementina, quae nec sincere inita fuit, dissolvitur. Casus conscientiae confictus ab Jansenistis. Fortius comprimuntur iidem Jansenistae. Academia Duacensis propugnat infallibilitatem Ecclesiae etiam in factis Dogmaticis.

Clementina vero pax brevis admodum fuit. Propalarunt ipsi statim Jansenii patroni non tantum, qua ratione subscripserint formulae cum solo obsequioso silentio, mente tamen, et animo renitentes ei, quod subscripserant, verum etiam jactabant, neque Clementem etiam aliam rationem subscriptionis requisivisse, qua satisfactum ei sit. Negatum est hoc ab aliis illico. Siquidem Clemens IX. Episcopos, qui refragabantur prius subscribere, ad communionem tantum modo receperit, postquam ei de his scriptum fuisset, *Eos damnasse, et a suis damnari jussisse quinque propositiones sincere absque ulla exceptione, seu restrictione in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatae*, idemque probarunt et ex literis ab eodem Clemente IX. die 19. Januar. 1669. ad Regem Christianissimum datis, et ex Brevi ipsius ad illos quatuor Episcopos: in quibus dicat, se cum laetitia cognovisse in simplici, ac pura subscriptione Formularii (sunt illius verba) quatuor illorum Episcoporum obedientiam. Succidit, et stirpitus evulsit Clemens X. hanc ab Jansenii patronis jactatam de Clemente IX. consensionem in eam, quae facta erat a quatuor illis Episcopis non bona mente, subscriptionem. Qui in Constitutione sua die 15. Januar. 1705. edita objurgat acriter eos, qui Clementis IX. literas in erro-

ris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu, non erubescerent, perinde atque si ille, qui eisdem suis literis se Innocentii X. et Alexandri VII. prædecessorum Constitutionibus firmissime inhærere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, et totalem obedientiam, adeoque formulæ, a præfato Alexandro editæ sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, reipsa admisisset. Sunt ipsa Constitutionis verba.

Itaque quemadmodum nubila pelluntur a vento, ita pax hæc disparuit, quæ nonnisi nebula, atque nubes fuit, jam etiam antequam hæc Constitutio edita fuisset. Nam Ludovicus XIV. simul atque ut observaverat fucum illius subscriptionis, pergebat exigere sinceram subscriptionem, et quemadmodum jam antea etiam fecerat, in refractarios iterum animadvertit, quorum alios proscripsit e regno, alios in custodiam dedit. Bellovaci e duobus seminariis ejecti, et pulsi professores sunt: dumque idem in aliis continuatum esset seminariis, Theologi Portus Regii Parisiis sui ejectionem ignominiosam præverterunt, et alii in alia loca se se receperant. Ad enervandam auctoritatem decretorum, adversum se factorum a Romanis Pontificibus, Janseniani quatuor propositiones sparserant in vulgum, quærebantque hæc in contemptum adducere: quas vero Cleri Gallicani Conventus a. 1700. damnaverat. Aliud igitur consilium rursus quærendum ipsis fuit. Confinxerunt casum conscientiæ, atque hunc Doctoribus Sorbonicis proposuerunt. In hoc Clericum induxerunt, qui sibi persvaserit, se per obsequi-

osum

osum silentium satisfacere decretis Romanorum Pontificum, et libros in defensionem Jansenii compositos legat, tametsi sciret, prohibitos esse a Romano Pontifice, quia tamen istos quidam ex Episcopis approbavissent. Doctores quadraginta e Sorbona in responso, quod petitum ab ipsis fuit, definiverunt, huic Clerico non esse denegandam absolutionem, etiamsi in proposito ejus, quod confessus erat in sacro tribunali, perstitisset. Etiam ab aliquot Episcopis idem judicium quoad hunc casum, Janseniani obtinuerunt, et obtentum vulgaverunt. At vero alii Episcopi, omniumque maxime Ludovicus Noailles Archiepiscopus Parisiensis, hanc casus decisionem damnarunt. Noailles exposuit Doctoribus Sorbonicis, quod quamtumcunque propter Doctoratus lauream sibi tribuerent eruditionis, et doctrinæ, tamen non ipsorum esse sed Episcoporum judicium de rebus ad fidem et Religionem attinentibus ferre. Pontifex quoque Romanus Clemens XI. eamdem proscripsit, et Ludovicus XIV. Galliæ Rex compulit Doctores Sorbonicos retractare suam decisionem, quod ex his omnium primus fecit Natalis Alexander notissimus ab Historia Ecclesiastica, quam composuit: sed et Sorbona die 1. Sept. 1704. de assertione in illo conscientiæ casu contenta, censuram tulit, esse temerariam, scandalosam, injuriosam summis Pontificibus, et Episcopis Galliæ, præbentem occasionem renovandæ ex integro Jansenianæ doctrinæ, et ut mendacio, ac perjurio faventem: decretum insuper fecit de omnibus iis ex albo Doctorum delendis, qui subscriptionem illius casus conscientiæ a se factam non revocassent. Ad prosternendos Jansenistas ejusdem Clementis XI. Bulla adhuc accesserat: *Vineam Domini Sabaoth* die 15. Junii 1705. per quam omnibus effugiis

præ-

præclusis, quibus hactenus elabi quæsiverunt Janseniani, declaravit idem Pontifex, ad veram Apostolicæ Sedi obedientiam præstandam necesse esse, ut damnatus in quinque propositionibus libri Jansenii sensus, quem verba præ seferunt, ab omnibus Christi fidelibus, velut hæreticus, non ore solum, sed et corde rejiciatur, et damnetur. Hanc Constitutionem Clementis XI. Clerus Gallicanus in comitiis generalibus, eodem anno habitis, solenniter recepit. Etiam in Belgio, paucis exceptis omnes formulæ Alexandri VII. subscripserunt. Elias Dupinus Doctor Sorbonicus, et præterea tres quia subscribere renuerunt a Rege missi in exilium sunt. Obstinatissimæ fere ex omnibus, qui formulæ Alexandri VII. subscribere detrectarunt, fuerunt Moniales Portus Regii Ordinis Cisterciensis Parisiis. Inductæ erant ab iis Sacerdotibus, quos moderatores conscientiæ suæ habebant, in persvasionem damnatas ab Innocentio XII. propositiones non contineri in libro Jansenii, adeoque nec absque mendacio, et perjurio posse se subscribere illi formulæ, neque ullis aliorum monitionibus cedere voluerunt. Quamobrem, jubente Rege, habito etiam ipsius Clementis XI. consensu non tantum ipsæ a. 1709. ejectæ ex claustro, et deportatæ aliæ in alia claustra in Gallia sunt, verum etiam ipsum earum claustrum dirutum est, et sublatum. Duæ, et viginti eae erant: quæ tamen postea præter tres resipuerunt ceteræ omnes. Compositi videbantur magni illi tumultus, et refloruisse pax, atque concordia.

Nondum adhuc tunc, putabatur, posse vocari in dubium, quod in rebus fidei, et morum definitum, atque decisum esset per Apostolicam Sedem: quo tamen etiam brevi postea ventum est, quemadmodum visuri sumus. Itaque ii, quibus do-

loluit, illa per censuram esse perstricta in Jansenii libro, quæ jam sunt demonstrata, eo se totos verterant, ut dicerent, ista non esse in libro Jansenii, ut ita labis immunem facerent Jansenium, qui tamen ipse suum librum subjecerat judicio Romanæ Sedis, ut si hæc quidpiam in eo mutari vellet, se ad hoc professus sit obedientem esse filium, et fuisse usque ad illum lectulum, in quo exhalavit spiritum. Nam nisi credidisset, sibi excidere potuisse positiones non rectas, non librum suum substravisset Sedi Romanæ, ad ea in suo libro mutanda, et corrigenda, quæ eadem Sedes judicasset esse mutanda, et corrigenda. Cujus exemplum si ejus patroni, et defensores sequi voluissent, non illas tantas turbas excitassent, seque illius studiosos, atque amicos per ejus quod ille fecerat, imitationem multo magis probavissent. Rimam vero, quam quæsiverant ad elabendum, dicendo, Ecclesiam, et Romanum Pontificem esse erroris immunem in dogmate, non in facto dogmatico, quale sit, utrum illæ propositiones reipsa contineantur in libro Jansenii, nequidem in Gallia et Belgio nacti sunt. Hoc præ ceteris egregie præstitum est ab Academia Duacensi, in libro de Ecclesiæ infallibili auctoritate etiam in factis dogmaticis.

Demonstrarunt ad liquidum, Ecclesiæ non mansuram infallibilitatem, quam de ea prædicat Evangelium, nisi non tantum in dogmate definiendo, verum etiam in facto dogmatico infallibilis esset. Etenim erraret, atque etiam in errorem induceret, si librum, hæretico errore infectum, approbaret, et proponeret velut orthodoxum; vel e contrario librum, doctrinam continentem orthodoxam, damnaret, et prohiberet, cum cujus libri

libri damnatione, et prohibitione ipsa etiam pateretur doctrina vera illius libri, et orthodoxa. Et sane, quid interest inter assertionem viva voce, et scripto editam? Eum igitur, qui ore suam indicasset falsam assertionem, Ecclesia, ut nemo dubitet, judicare posset, et hanc assertionem illius condemnare, non posset autem de tali assertione idem facere, quam is, cujus hæc est, expressit in charta per atramentum, et calamum? Minusne intelligi possunt verba scripto edita, quam ore enunciata? Quod si igitur Ecclesia infallibilitatem non habet in facto dogmatico, cum perinde factum sit dogmaticum si quæstio sit utrum, quod Ecclesia damnavit in Ario, Nestorio, Pelagio, reipsa in eorum verbis contentum fuerit, neque Arius, Nestorius, Pelagius damnari ab Ecclesia potuisset, utpote de quibus Ecclesia certum non habuisset, is ne error, ob quem eos damnavit, sit reapse illorum? Sed neque unquam constare posset, sitne vere illius error, qui cuipiam tribuitur. Quonam igitur modo Apostolus præcipere potuisset, ut homo hæreticus post unam, et secundam correptionem devitetur? *Tit.* 3. *v.* 10. Duacensium ulteriora argumenta sunt ab exemplis petita. Nam in Concilio Chalcedonensi esse Theodoretum adactum ad damnandum Nestorii librum, et qui ipse damnatus fuisset, et anathemate percussus, nisi hoc fecisset. S. Augustinum quoque, cujus se discipulos dicerent Janseniani, postulasse a Pelagio, ut librum suum damnet, quamvis ille diceret non esse suum, vel depravatum ab alio. Idem factum esse ab Innocentio I. de Cælestio et mandatum in literis ad Episcopos Africanos. Etiam in Concilio Constantiensi constitutum est, ut ex suspectis de Wicleffi, et Hussi hæresi quæreretur, an crederent hos et quoad

ad personam, et scripta sua merito damnatos, neque aliter, quam si hoc professi essent, haberentur pro orthodoxis. Sed neque in contrarium de Zosimi Papæ adversus Pelagianos epistola, ab omnibus Episcopis suscepta, et subscripta, et de literis S. Leonis M. quas perscripsit ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, et quibus ab universa Synodo Chalcedonensi acclamatum est, hanc esse Apostolorum, et Patrum fidem, atque Petrum esse per os Leonis locutum, fieri ejusmodi judicium potuisset, nec certum esset, esse hæc omnino talia, qualia judicata sunt, nisi Ecclesia etiam in facto dogmatico judicii infallibilitate prædita esset. Nam certe, utrum error hæreticus in libris Nestorii, Pelagii, Wicleffi, et Hussi, et e contrario an in epistolis Zosimi, et Leonis orthodoxa doctrina contineretur, nullum certum judicium fieri potuisset, siquidem hoc pertinuisset ad rem definiendam positam in facto dogmatico.

Ecclesia dum judicium instituit de facto dogmatico, assertionem de qua quæritur, recta ne sit, vel falsa, confert cum Verbo Dei, utrum huic conformis sit, nec ne. De sensu autem Scripturarum sanctarum, quemadmodum est in Decreto Concilii Tridentini *Sess.* 4. judicare, est Ecclesiæ. Cum eo autem, quod in Scriptura est, Verbo Dei in cujus sensu errare non potest, confert Ecclesia factas assertiones, bonæ ne, vel malæ sint. Igitur neque in judicio de his assertionibus potest eadem Ecclesia errore labi, quod secus nec certum haberet, quis ipsius etiam Scripturæ sit sensus. Cujusmodi certam et infallibilem veritatis normam, qualis est Scriptura, et Verbum Dei, cum Ecclesia non habeat quoad judicium faciendum, de factis aliis, quæ soli testimonio hu-

mano immituntur; idcirco neque etiam in his eam, quam in factis dogmaticis, infallibilitatem, et immunitatem erroris habet.

Illa bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth* esse prostratum Jansenismum, supra dictum est. Contigit tamen quidpiam quoad hanc bullam, quod silentio prætereundum haud est. Hanc cum Ludovicus XIV. Rex Galliæ ad se missam accepisset, Episcopisque tradidisset, hi istam in suis generalibus totius Cleri Gallicani comitiis susceperunt equidem absque ulla tergiversatione: attamen apposuerant, se hanc acceptare per modum judicii, quod de hac ipsi instituerint prius, quam inciperet obligare fideles in Ecclesia. Quam appositionem non tulit Pontifex, utpote qua stante, sequeretur Episcopis Galliæ esse auctoritatem supra illud, quod jam judicatum, atque decisum esset a Sede Apostolica, ipsos esse supra Romanum Pontificem. *Quis*, ajebat Clemens in sua ad eosdem Episcopos Galliæ epistola, *vos constituit judices super nos? numquid inferiorum est de superioris auctoritate decernere, ejusque judicia examinare? quasi Apostolica judicia pro sanciendа regula fidei, a Summis Pontificibus lata, quæ paucos ante annos Divina æque, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti omnis Gallicana Ecclesia, datis ad prædecessores nostros literis palam professa est, modo infirma debeant, ac veluti nutantia reputari, nisi superveniente vestro, paucorum scilicet Episcoporum judicio fulciantur?* Remiseratque ipsos ad illud speciatim etiam Galliæ Episcoporum exemplum, qui in suis ad Leonem M. literis professi sint, se illius rescriptum non secus ac symbolum fidei suscepisse ad confundendos hæreticos: qui proinde de-

definitionem factam a Romano Pontifice, non eo, quod ipsi censerent, ponderaverint sed eo, quod definitum erat a Romano Pontifice; atque ideo se crederent Orthodoxos esse, quia cum illo in fide convenirent. Episcopis, ut Romano Pontifici satisfacerent, cujus auctoritatem læserint, fuit injunctum etiam a Rege Ludovico XIV. Hi in literis ad Romanum Pontificem exposuerunt, sibi non fuisse eam mentem, quasi ut Constitutiones Pontificum vim obligandi habeant, necessaria esset solennitas acceptationis, licet hæc aliquando tamen utilis sit: sed neque Clerum Gallicanum sibi arrogasse, ut sanctiones Pontificias suo examini, atque judicio subjiceret, sed in his se fidei suæ sensum cum gaudio, et exultatione recognovisse, prout his verbis olim etiam scriptum sit ad Leonem I. a Galliæ Episcopis, semperque ita tenuisse, ut ejus Apostolatus exposuisset: se jure lætatos esse, voluisse autem, errorem a sancta Sede proscriptum unanimi doctrinæ accessione confodere, ne novatores obsequioso potius Episcoporum silentio, quam expressa eorum declaratione damnatos se prædicarent. Videntur quidem tantum quæsivisse incrustare illud, quod factum ab ipsis indebite erat, ut declinarent apertam illius, et cum rubore suo confessionem: non eo minus tamen agnitio fuit ejus, propter quod culpati a Pontifice sunt.

§. 45.

Quid jam ante editum librum Jansenii, Augustinum, *Jansenistæ statuerint, et quale consilium iniverint Burgofonte? et quorsum hoc direxerint.*

Res Jansenistarum exposita est ab eo tempore, quo prodiit Jansenii liber, *Augustinus*, et disputationes ortæ sunt de propositionibus quinque istius libri ab Innocentio X. damnatis. Attamen primordia Jansenismi altius repetenda sunt. Jansenius a. 1638. vita functus est. Jam vero a. 1621. Burgofonte (Bourgfontaine) qui locus distat Parisiis leucis sedecim, conventum instituerant ii, qui Jansenismi conditores sunt, et cujus pars erat ipse etiam Jansenius. Quid hi in hoc conventu tractaverint, et quid consilii habuerint, explicuit Fillovius (de Filleau) Regius in Curia Pictaviensi advocatus in sua *Narratione juridica eorum, quæ Pictavii circa novam doctrinam Jansenistarum contigerunt.* Adsit hic, ait ille caterva novorum horum hominum, a recta via aberrantium, ut aperiam illis mysterium, huc usque a præcipuis, etiam illorum, ignoratum. Docet autem, ipsorum consilium, hic initum, non aliud fuisse, quam conspirationem ad eam fidem condendam, qua Deum homines credant, qui tamquam supremum principium gubernet res creatas, quas condidit, et de his pro arbitrio suo decernat omnia, salvet hos, damnet illos: atque hæc ideo, quia ita ei libeat, quia hæc ejus voluntas sit, quia jus habeat sic decernendi, et agendi postquam per originale peccatum tota massa generis humani generaliter corrupta esset. Statutumque ab his fuisse, Gratiam solam in nobis

ope-

operari omnia, ita, ut etiam necessitatem arbitrio hominis imponat, qua cedere debeat eidem gratiæ, neque ei possit resistere: proindeque nec gratia sufficiens sit agnoscenda, sed tantum ea, quæ semper victrix sit. Siquidem autem Deus suo decreto peragat in nobis omnia, nulli usui esse etiam Incarnationis mysterium in salutem humani generis. Itaque hoc ipsis fuisse propositum, ut Evangelium abrogent, atque fidem de redemptione hominum per crucem, et mortem Christi opprimerent, ac tollerent, Christi mortem inter historias apocryphas rejicientes. Illum, qui huic conventiculo præsidebat, dixisse, Nam cui bono aliquis Jesus Christus natus, et mortuus esset pro hominibus, cum eorum salus a sola gratia pendeat, cujus Deus largitor sit, et quæ sola sit efficax, sola bonam hominum sortem si adsit, malam, si desit, pro æternitate operetur? denique Deismum fuisse, quo hi tetenderint.

Fillovius perhibet, se rem hanc habere ab eo, qui et ipse huic conventiculo interfuerit cum aliis sex, sed a quibus, visis illorum moliminibus se segregaverit. Hi sex erant: Joannes de Verger de Hauranne Abbas S. Cyrani, omnium reliquorum princeps, alter Cornelius Jansenius, Episcopus Iprensis, tertius Philippus Cospean Episcopus Nannetensis, quartus Petrus Camusius Episcopus Bellicensis, quintus Arnaldus Andilius Doctor Sorbonicus, sextus Simon Vigorius in Curia suprema Consiliarius. Istos videlicet jam Deismus afflaverat, qui ex Anglia serpserat in Galliam, et ut adhuc postea visuri sumus, magnam illic stragem ediderat, et ad omnis Religionis, ipsius etiam naturalis, subversionem increverat inficiando ipsum etiam Deum. His non est habitum consultum, aper-

aperte rem adgredi, et subito, sed partim libellis ad suum propositum idoneis a se compositis, atque editis, animos præparare ad id suscipiendum, quod destinarunt propinare, partim aliis etiam rationibus venari alios, sibique adjungere. Itaque argumenta librorum partiti inter se sunt, in quibus componendis singuli elaborarent. Profecto non mediocris erat libellorum numerus, quos in vulgum sparserant, subdole autem, et sub larva pietatis, illiusque quasi docendi causa, quid esset germanæ Religionis, et carentis fuco. Adversus Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta, eorumque susceptionem se se inprimis verterunt: non statim ut svaderent, his abstinendum, sed tantis difficultatibus aditum obsepiendo, ut fideles desperarent se cum ea præparatione posse, illa suscipere, quæ necessaria esset: cujusmodi erat, quod dicebant, ad Sacramentum pœnitentiæ requiri perfectam contritionem, et ad sumptionem Eucharistiæ flagrantem, atque omni ex parte perfectam Dei charitatem. Postquam autem fideles difficultatibus deterriti omisissent frequentare hæc Sacramenta, sibi pollicebantur, reliquum etiam se perfecturos facile, ut videlicet hæc Sacramenta adducant in fastidium, et contemptum, demumque ipsam etiam horum fidem Fideles abjicerent.

Alter laqueus, quem iidem struebant, erat, Gratiam Dei ita extollere, ut hæc sola in nobis operetur omnia, atque illam, quæ sufficiens vocatur, sufferre, unaque libertatem humani arbitrii, qua possit gratiæ resistere, palamque asserere, Christum non esse mortuum pro omnibus, atque unde procederent ulterius ad ipsum etiam opus redemptionis nostræ exsufflandum. Namque hinc,

a

a sola efficace Dei gratia, qua perficiatur omne, quod Deus vult, quin ei possit resisti, et sine qua, quantumcumque homo conetur, non possit perficere Dei mandata, quam vero neque sufficientem habeat ad Dei mandata perficienda, conclusionem formarunt, *Ad quid ergo Redemptor aliquis? ad quid Sacramenta? ad quid omnia illa consilia Evangelica? Quidquid agatur a nobis, salvabimur, aut damnabimur, prout Deo placuerit.* Auctor libri: *Veritas Consilii Burgofonte initi* ex Fillovii enarratione *Tom. I. pag.* 13. ista refert. Cum vero præviderent futurum, ut plures, his ipsorum principiis lectis consulant, moderatores suæ conscientiæ, consultorum illorum unus in se recepit, perficere ut Sacerdotibus, qui sunt a confessionibus, non credatur, veluti non sincere consulentibus, atque omnia ad suum lucrum dirigentibus. Etiam adversus illud sibi pararunt murum, ut si sententiæ hæ ipsorum deferrentur ad Sedem Apostolicam, quod non dubitabant eventurum, quo pacto hujus eludere auctoritatem possent. Ad hoc autem repererunt consilium, quo in Ecclesia ponant aristocratiam, et auctoritatem judicandi, decidendique controversas res, quam nonnisi generalia habeant concilia, non Pontifex Romanus extra generale Concilium, ut si a Pontifice damnati essent, semper reclamare possent, et provocare ad generale concilium, cui tamen non magis, quam Pontifici obtemperaturi essent, præmeditati, quemadmodum hujus etiam defugere possint auctoritatem, seque ab ea subducere: qui conciliorum etiam generalium decisionibus vim nonnisi ab judicio, et consensu populi accerserent. Ad hanc aristocratiam, et ad æquandum quemque alium Episcopum cum Romano Pontifice, primus semen sparsit Vigorius, qui unus erat

ex

ex illis sex consultoribus in libro suo *de Hæresi duorum Capitum*, nequissime, quasi hæc ei hæresis visa esset, quo animum, atque conatum omnem intenderat. Barcosius nepos Sancyrani (sic brevius ille vocari solet Abbas S. Cyrani, præses Consilii Burgofontani) hoc deinde argumentum majore apparatu elaboravit, ponens Paulum Apostolum parem, et æqualem Petro in auctoritate, et unde consequens fieret, etiam quemque alium Apostolum ejusdem auctoritatis fuisse cum Petro, atque hinc ulterius, neque inter Romanum, et alios Episcopos aliquid interesse. Idem fecit Vigorius in suis libris quatuor, quos *de Statu*, *et gubernatione Ecclesiæ* confecit: et insuper posuit Claves a Christo esse coetui Fidelium datas, et cujus coetus in administratione potestatis per Claves designatæ, sint non tantum ceteri Episcopi, verum ipse etiam Papa ministri. Idem dat Imperatori auctoritatem convocandi concilia etiam generalia, et exauctorandi Papam. Ne autem suo tantum arbitrio viderentur ista asserere, statuerunt in hoc eodem suo conciliabulo Burgofontano S. Augustinum præ se ferre, veluti ducem suarum sententiarum, cujus doctrina de efficacia Gratiæ abuterentur ad illamquam ipsi posuissent gratiam, sufferentem homini liberum arbitrium, quod non fecit S. Augustinus. Credo ex his, quæ demonstrata sunt, satis perspici posse, quo ipse etiam Jansenius tetenderit in suo libro Augustino suis illis propositionibus, ob quas confixas tantopere se se torserant Janseniani: nec per imprudentiam has ei excidisse, sed fuisse præmeditatas. Quod tamen hunc librum suum moribundus subjecerit judicio Sedis Apostolicæ, demus hoc illum fecisse sincero animo, atque ejus, quod prius egit, ductum pœnitentia.

Quo

Quo consilia, atque conatus suos direxerint nseniani, deprehendetur etiam hinc. Elias Dunus, Doctor Sorbonicus, erat unus non quidem illis primis, sed postea aggregatus eorum nuero. A longo jam tempore constabat de arcta sius necessitudine, et perenni literarum commercio cum Archiepiscopo Cantuariensi, hoc est, m viro, qui in Ecclesia Anglicana dignitatis adu præ aliis eminet. Ut de commeantibus inter nbos continenter literis constitit, opinio primum erat, eas ad sola mutuæ humanitatis officia rtinere. Procedente tempore suspicio arcani cusdam negotii afflaverat animos: erupere sensim tenebris aliqua rei quæ agitaretur, indicia. Inntis igitur oculis persequendi illius vestigia cua fuit. Tandem in intimas clandestini consilii labras penetratum est, patuitque atrocissima, quam octor Catholicus in negotio Religionis machinari otuit, conspiratio. Nihil dirius unquam, aut mmanius defectio a vera fide moliri ausa est. Juente Rege de improviso ventum est ad domum Dupini, et occupata ejus scrinia, atque chartæ mnes. In his legebantur hæc: *Posse principia ostræ fidei conciliari cum principiis religionis nglicanæ: ut autem hæc consociatio efficiatur, osse, quin vitietur doctrinæ integritas, antiquai privatam peccatorum confessionem, supersede dogmate de transubstantiatione in SS. Euchastiæ sacramento, aboleri, et irrita fieri vota ligiosa, Sacerdotibus indulgeri connubia, abgari esuriales ferias, et quadraginta dierum unium, careri Pontifice, tolli omne cum illo comrcium, ac editas ab illo sanctiones contemni.* pud Auctorem libri: *Veritas Consilii Burgoate initi.* Episcopus Segusteronensis in Histo de Constitutione (Unigenitus) Tom. II. pag. 87.

87. testatur se affuisse in palatio Regio, dum scripta Dupini occupata, eoque perlata fuissent, omneque illius commercium cum Archiepiscopo Cantuariensi ex hujus etiam epistolis ad Dupinum patefactum. Quædam ex hoc commercio sunt a. 1719. etiam typis edita. Anglorum religio jam hoc tempore per Deistas talem faciem induerat, qualem postea Protestantium in Germania per novæ literaturæ Exegetas per ipsius Scripturæ sacræ interpretationem inducentes Deismum, et Naturalismum. Hinc intelligi potest, quomodo per religionem, quæ Anglis est, etiam Dupinus, et Janseniani tetenderint ad ipsum etiam Deismum.

Sensa sua de Religione, et de ipso etiam Sacramento Eucharistiæ, exhibuit Dupinus etiam jam jam moriturus. Noluit primum admittere, ut sibi præberetur sacrum Viaticum. Qui moribundo adstiterant Janseniani, monebant, quanti sua interesset, ut crederentur Christianæ adhuc Religioni addicti esse, et ne hinc toti factioni mala fama compararetur, si innotuisset ipsum in suprema etiam hora respuisse Sacramenta. His monitis cum cessisset, et allatum fuisset sacrum Viaticum, atque is (etiam ex Jansenianis) qui hoc attulerat ab eo petiisset, ut, quod de more esset, suam fidem de vera Christi præsentia in Eucharistia profiteretur, *Tace*, inquiebat Dupinus, *tace: jam diu est, ex quo scimus, quid de his omnibus sentiendum sit. Sacerdos autem sacram Hostiam Dupino raptim in os ingessit, nec plura loqui sivit.* Memoriæ rem prodidit idem Auctor Veritatis Consilii Burgofonte initi. *Tom.* 1. *pag.* 314. Hic liber primum in lingva Gallica prodiit, deinde autem versus est etiam in lingvam Latinam. Cum per hunc detecta essent molimina Jansenistarum ad

sub-

subversionem totius Religionis Christianæ; ut hanc a se averterent infamiam, vicissim omnibus probris affecerant istius libri compositorem, cujus tamen nomen latuerat, et ne nunc quidem adhuc, quantum mihi scire datum est, comperiri potuit, atque hanc totam narrationem vocabant *fabulam stultissimam, pessimeque concinnatam, atque infelicem fructum Diabolicæ malitiæ.* Ille vero veritatem hujus consilii Burgofonte ab Jansenistis initi demonstrat certissimis argumentis et fide documentorum æque indubitatorum, statim a principio *Part. I.* §. 1. *et subseqq.* Vix vero errabimus, si auctorem istius libri crediderimus, fuisse e Societate Jesu.

§. 46.

De Antonio Arnaldo, et Paschasio Quesnello, hujusque Moralibus Reflexionibus. De bulla: Unigenitus. *Quæ rursus vicissitudines enatæ sint in Gallia.*

Sancyranus, qui caput factionis Jansenisticæ erat, providus fuit, ut postquam ipse decessisset, quod accidit non multo post mortem Jansenii, sibi succederet, qui rem a se coeptam tueretur strenue, et prosequeretur. Hunc in finem assumpsit in suam disciplinam Antonium Arnoldum Roberti Arnoldi de Andilly, qui unus ex consultoribus Burgofontanis erat, natu minorem fratrem. Nec fefellerat ipsum concepta spes, et exspectatio. Aegre potuit evadere ad Doctoratum in Sorbona, cum aliqua indicia dedisset eorum, quæ sentiebat et quibus imbutus erat a Sancyrano. Factus vero doctor, eo, quod in duabus epi-

epistolis a se scriptis deprehensus esset defendisse propositiones Jansenii, ex albo Doctorum expunctus est: jussusque ab Regina Ludovici XIV. matre Romam ire ut illic judicium subiret de suis sententiis, non paruit, sed Parisiis in occultum locum se recondidit, satisque diu latuit, demum vero in Belgium se subduxit. Inter multa opera, quæ Arnaldus composuerat etiam adversus Hugonottas, omnium præcipuum est, *De frequenti Communione*, quod portatum in Poloniam, etiam illic turbas excitaverat. Sic vero hunc librum adornaverat, ut improbet, et damnet hanc frequentem Communionem, aut potius etiam e medio tollat, et sufferat. Hujus discipulus fuit Paschasius Quesnellus, natus Parisiis a. 1634. Presbyter Congregationis Oratorii a Card. Berullio non multo ante institutæ: in qua tamen non perstitit, cum in comitiis ejusdem Congregationis statutum factum fuisset, ut a Baji, et Jansenii sententiis abstineretur, et maluisset congregationi, quam illis sententiis renunciare. In Belgium cum se contulisset, ab Humberto Gulielmo Archiepiscopo Mechliniensi positus ad carcerem est. Ex quo evasit per ejus familiares muro carceris perfosso. Recepit se postea in Hollandiam, ubi etiam Amstelodami decessit octogenario major a. 1719.

Plures libros elucubravit, e quibus præsertim consecutæ famam sunt illius *Reflexiones Morales in Novum Testamentum*, eum in finem, ut ipse exposuit, compositæ, ut Meditationem redderet faciliorem. In his omne virus Jansenianum lectoribus propinat, sed multo, quam Jansenius, Arnaldus, aut quiscumque Jansenistarum alter, majore artificio, ac subtilitate, summaque svavita-

ta-

te, atque lenociis verborum, cumque oratione lena affectibus erga Deum. Sed hamus sub his pertus erat. Declarat hoc statim prima medita- earum, quas instituit in hoc libro Reflexio- m. Hujus argumentum posuit: *Præcepta Dei iis servari non possunt, qui hæc reipsa non vant*, Credo, advertitur, jam ipsi huic argu- nto inesse virus. Hinc vero deinde dat me- andum, et recogitandum, animæ, quæ Deum endit, ejusque gratiam amisit, nonnisi pecca- n, et quæ hinc, tamquam e fonte manent, ntis obcaecationem, voluntatis obdurationem, ue impotentiam agendi omnis boni relictam e. Subjicit deinde affectum, quo miseriam, et felicitatem suam deplorat ob impotentiam, in am inciderit per peccatum, implendi ea, quæ us præcipit. Concluditur meditatio isto propo- o: Persistam quieta mente in meo peccato, in ea segnitie, et ad omne bonum impotentia, m aliud non possit a me fieri, donec tibi hinc e eripere opportunum visum fuerit. *Numquid luntatis meæ est mors impii, dicit Dominus eus, et non ut convertatur a viis suis, et vi- t?* Ezech. 18. v. 23. isque peccatorem ubique Scriptura vocat, et hortatur ad pœnitentiam, niamque promittit. Quesnellus vero peccato- m inducit ad ejusmodi torporem, ut nè cogi- tionem quidem suscipiat de redeundo per pœ- itentiam ad Deum. Annos viginti dicitur insum- sisse Quesnellus in componendo hoc suo Reflexio- um libro. Hunc deinde dedicaverat Ludovico loaillio Cardinali, et Archiepiscopo Parisiensi: qui ejus dedicationem non tantum lubenti animo suscepit, verum etiam per literas suas Clero suæ dioecesis commendavit, tamquam in quo omnia continerentur, quæ SS. Patres pulchra, et ad te-

ne-

neros affectus movendos erga Deum habent suis Commentariis in Novi Testamenti libros. Ic factum est etiam a quibusdam aliis Episcopis liber celebritatem in Gallia eam consecutus cui par obtigerit vix ulli alteri, typisque ideo cusus sæpius sit intra brevissimum tempus.

Nec tamen fallaciæ, atque præstigiæ omni oculos fallere potuerunt. Observatum a multis e instaurari a Quesnello, quæ jam erant damn in Jansenii libro, qui ab eo vocatus fuit *Augu stinus*, et quæ ceteræ factionis Jansenianæ era merces, eoque magis in oculos incurrere pot rant, dum a Quesnello Sancyranus, Arnald et alii istius farinæ laudarentur, tamquam iide fuerint hoc tempore, qui olim Elias, et Prophe tæ, flagrantissimi amore, atque studio Religi nis, et vice versa ii, qui Jansenistis non faverar traducerentur, et assimilarentur Caiphæ, Pilat et Herodi, atque inter hos ipse etiam Ludovic XIV. Non poterat non Romæ etiam innotesce hic liber. Facta est illius censura: cumque ju catum esset, non posse librum isto esse pernic siorem, ad labefactandam fidem, et scindend Ecclesiam, Clemens XI. die 13. Julii 1708. brum hunc damnavit tamquam continentem *ctrinam, et propositiones seditiosas, temerari perniciosas, erroneas, alias jam damnatas, hæresim Jansenianam manifeste sapientes.* E Breve Apostolicum susceptum est observante plerisque Episcopis. Stephanus Campflorius Ru lensis, et Franciscus Lescunius Lucionensis E scopi etiam per Epistolam Pastoralem in suis di cesibus caverant, ne Reflexiones illæ legerent Hæ pastorales perlatæ etiam sunt in alia l Galliæ, et avide lectæ. Parisiis bibliopola

sche

schedas publicaverat ipsas in publicis locis affixas, et ad ipsum vestibulum etiam ædium Archiepiscopi Noaillii. Rem hanc indignissime tulit Noailles, et reputavit in suam contumeliam, atque ignominiam factam, cujus libri Quesnelliani ipse fuerit probator, et commendator, satisfactionemque sibi ab Rege Ludovico XIV. de illis duobus Episcopis petiit. Factum vero hi suum cum defendissent, dicendo, se nonnisi id egisse, quod facere ex officio debuerint, ut populum suæ curæ commissum instruerent, et munirent adversus errores, sed neque illius schedæ affixionem ipsis consciis, factam esse tamen quod circumspectius agere debuissent, ne honorem læderent Archiepiscopi, Rex promisit Archiepiscopo, se satisfactionem daturum. At vero iste, hac non exspectata, literas emisit publice ad suam Archidiœcesim, et illas pastorales literas duorum Episcoporum proscripsit, et damnavit, earumque lectionem omnibus interdixit, tanquam infectarum erroribus Baji, et Jansenii: cum tamen hi Episcopi suas pastorales adversum hos ipsos errores edidissent. Rex offensus, quod satisfactionem a se non exspectasset, Archiepiscopum vetuit adire aulam: post aliquod tamen tempus per quamdam matronam facultatem adeundi recuperavit.

Plures Episcopi in partes Archiepiscopi Noaillii, cujus honorem haberent per illos duos Episcopos fuisse læsum, concesserant, atque ut hujus famam tuerentur, nec ipsas Quesnelli Reflexiones voluerunt habere pro ejusmodi, quæ mererentur damnari. Hinc vero enatum est incendium multo gravius, et funestius, quam illud per Jansenii librum fuerit Episcopis inter se scissis, aliisque contra, aliis pro Reflexionibus Quesnelli

stan-

stantibus. Non tantum ambæ Episcoporum partes, verum etiam ipse Rex petiit a Romano Pontifice, ut per Constitutionem suam errores Reflexionum Quesnelli distincte exponeret, atque sic illos damnaret, promisitque Rex, se curaturum, ut hæc ejus Constitutio effectum quam celerime sortiatur. In strictissimam censuram iterum sumptus est Romæ Quesnelli liber, consultationibus Cardinalium, et Theologorum ipse Pontifex præsederat: etiam publicæ supplicationes hanc ob causam institutæ sunt, imprimis ad sepulcrum Principis Apostolorum, ut vix unquam majore cura, atque diligentia actum in simili negotio sit. Post tale examen prodiit deinde Constitutio Clementis XI. die 8. Septemb. 1713. quæ incipit *Unigenitus Filius Dei*, in qua propositiones centum, et una, excerptæ ex Reflexionum Moralium libro Quesnelli, et recensitæ hac affectæ sententia sunt: *Omnes, et singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, et hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes, respective hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus, et reprobamus.* Dum hæ propositiones dicuntur sic *respective* damnatæ; intelligitur, stigmata,

quæ

ıæ his inusta sunt, non omnia ad propositiones ıgulas, sed alia ad alias pertinere. Unam, altemve proferam speciminis gratia ad videndum, ; cujusmodi sint. Jamque ex illa prima propoione in argumentis meditationum allata supra, paret esse in his Reflexionibus instauratum Janıismum. quod et alia meditationis argumenta hibent. Argumentum namque secundum est: *ımquam resistitur gratiæ, neque etiam illi reıti potest.* Tertium: *Libertas hominis necessa-› cedit Gratiæ victrici.* Quartum: *Deus non lt salvare omnes homines, nec Jesus Christus o aliis mortuus est, quam pro Electis.* etc. Prositio 91. e damnatis est hæc: *Excommunicatio-s injustæ metus numquam debet nos impedire › implendo debito nostro. Numquam eximus ab cclesia, etiam quando hominum nequitia videur ab ea expulsi.* Hanc autem antecesserat ista: *cclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut m exerceat per primos Pastores de consensu salm præsumpto totius corporis.* Dum illæ asserones priores ad fidem spectant, ejusque dogma-; alteræ tendunt ad subversionem auctoritatis, obedientiæ, quæ debetur Episcopis, quos Spitus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, ipsiusıe Sedis Apostolicæ B. Petri.

Suscepit lubens hanc Constitutionem Ludovis XIV. a Noaillio autem petiit, qua ratione ptima ejus promulgatio fieri posset. Jamque Noalius suam etiam ipse et sponte adprobationem ıeflexionum Quesnelli revocaverat, quin dum hæ ensuræ causa missæ fuissent Romano Pontifici, is eclaraverat Regi, et spoponderat sæpius, se in ubjectione erga decisionem Romani Pontificis mnium primum futurum, atque obedientiæ exem-

 plum,

plum, in ipsis etiam annalibus Galliæ memorabile, daturum. Sed O, quam non sunt firma semper, et constantia, quæ dicuntur, atque promittuntur! Synodus totius Cleri Gallicani facta est die 16. Octob. 1713. convocata a Rege ex Noaillisii consilio. Venit in disceptationem, Bulla *Unigenitus:* essetne suscipienda pure, et simpliciter. Noaillius contendebat id faciendum esse cum præfatione, in qua declaretur, Propositiones a Romano Pontifice damnatas, posse habere alium etiam sensum, neque hunc malum. Sic videlicet quærebat suam libri Quesnelliani approbationem tueri, suumque judicium, quod utinam consideratius fecisset. Vicit contraria sententia, cujus ipse etiam Rex erat: cui vero accedere noluit Noaillius, et alii præterea octo Episcopi Noaillio adhærentes, et jubente Rege, Bulla in tabulas referri debuit. Idem Rex mandatum etiam Sorbonæ dedit, ut Bullam susciperet, atque huic se in docendo conformaret. Doctores Sorbonici non usque quaque consentientes inter se erant. Suffragiis horum septem, et nonaginta suscepta est Bulla pure, et simpliciter; suffragia autem horum triginta et unius adversabantur. Juxta vero numerum illum majorem acceptatio Bullæ ex Facultatis Sorbonicæ consensu relata est in tabulas ejusdem Facultatis. Carolus Witasse, et Ludovicus Habert, Operibus etiam editis clari nominis Theologi Sorbonici; et præter hos duo alii, quod Bullae acceptationi obstrepuissent audacius, relegati Parisiis sunt, reliquorum nomina deleta tantum ex albo Doctorum sunt. Tam Pontifex, quam Rex urserat subjectionem erga Bullam pure, atque simpliciter. Hinc factæ sunt magnæ Noaillio angustiæ, et jam cessisset. Intervenit mors Ludovici XIV. a. 1715. Philippus Dux Aurelianensis, Ludovico XV. ob

æta-

atem nondum idoneo ad regendum regiam ad=inistravit dignitatem. Qui vero, quamvis Lu-dvicus, morti proximus, ei commendasset, ut eligionem sibi curæ haberet adversus factionem uesnellianam: tamen cum se remissius adversus inc gessisset, quod lenitate crederet plus se pro-cturum, erexit se Quesnelliana factio, quæ se-is prostrata mansisset.

Idem Regens Noaillium etiam ad dignitatem æsidis illius, quod Gallis *Magnum Consilium* e Grand Conseil) vocatur, atque Regis erat in-num, evexit: unde animi creverant Quesnel-inis. Omniumque princeps Sorbona obtende-coepit suam Bullæ acceptationem non esse va-lam, dicentes rem per vim actam esse. Hujus templum secutæ etiam aliæ academiæ Bullæ au-oritatem in dubium vocare coeperunt, quod lem fiebat a multis aliis. Sorbonam idcirco Pon-fex omnibus privilegiis privavit, quibus erat do-ita a Sede Apostolica. Gallia cum scissa esset ifariam, atque tentata frustra partium inter se nciliatio, anno 1717. increvit, et jam fere in ertum schisma pervenit malum. Quatuor Epi-opi, Petrus Mirapicensis, Joachimus Montis-essulanus, Petrus Bononiensis, et Joannes Seni-ensis appellationem a Bulla *Unigenitus* ad gene-le Concilium interposuerunt. Quorum appel-tioni se statim etiam adjunxit Sorbona, nec non ademiæ Nannetensis, et Rhemensis, multique Episcopis, Parochis, et ex Ordinibus Religio-rum, aliisque omnis status, atque sexus etiam ominibus, atque sartores quoque et sutores ap-ellabant. Quesnelliani enim pecuniis etiam usi rant ad conducendos appellatores ex numero ap-ellantium quærentes pondus appellationis. Libra-

rum Gallicarum (libra Gallica in valore æquat circiter octo grossos floreni Rhenensis) duos milliones, et amplius insumpserant in hanc conductionem, ad mille vero, et octingentos hac pecunia emerant appellantes. Inter hos conductores fuit etiam De l' Ort, quem sibi a secretis habuit Noaillius; qui vero nisi fugam corripuisset, ad triremes fuisset damnatus, quod aliis accidit conductionem hanc facientibus. Neque enim favebat Dux Aurelianensis, regnique administrator appellantibus: nec aliam ob causam Noaillium ad illam dignitatem evexerat, quam ut hunc ad subjectionem erga Bullam flexibilem, quemadmodum sperabat, obtineret. Qui vero jam nunc factione crescente, et invalescente, aperte se appellantibus associaverat, appellantiumque etiam caput, et princeps evaserat. Contra vero Episcopi alii etiam per epistolas Pastorales, ad suas dioeceses datas, obstiterant appellationi: plures vero etiam Curiæ Regiæ, quæ vulgo Parlamenta dici solent, adstipulabantur appellantibus, adeo, ut epistolae etiam Pastorales, de quibus modo dictum est, per carnifices publice in foro ab his comburerentur cum ingenti ignominia Episcoporum. Id cum factum esset etiam cum epistola Pastorali Francisci de Maily Archiepiscopi Rhemensis, isque hoc audivisset, ea animi æquitate rem tulit, ut cum illud de Apostolis, *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. 5. v. 41. memorasset, dixerit, quod si hoc Rhemis ei factum fuisset, se ipsum ad locum istius combustionis cum Cruce, quam sibi jussisset præferri, iturum, spectaturumque contumeliam suam fuisse: denuoque literas et testes suæ constantiæ, et hortatrices ad constantiam obsequii erga Bullam ad suam dioecesim

emi—

emisit; ac insuper Sacrum anniversarium in suo saccello Archiepiscopali in rei hujus perpetuam memoriam instituit. Equidem illae curiæ præse ferebant, se non credere esse veras illorum Episcoporum epistolas, ad excusandam indignitatem sui facti. Sed nemo non videbat, id ab his dictum fuisse nonnisi simulate.

§. 47.

Sensa de Bulla Unigenitus *Episcoporum in aliis regnis. Noaillius se submittit, et revocat suam appellationem. Idem fit a plerisque aliis in Gallia.*

Non mediocriter autem illud torserat refractarios in Gallia contra Bullam, *Unigenitus*, quod eam vidissent ab Episcopis, ad quos pervenerat, ubique cum reverentia erga Apostolicam Sedem esse susceptam: id quod factum est in tota Germania, Italia, Hispania, Portugallia, et Polonia. In defensionem ejusdem Bullæ surrexerunt etiam plures academiæ, nominatim Coloniensis, Pragensis, Conimbricensis, Cracoviensis, et Vilnensis, ut plures alias prætercam. Henricus Bissy Card. et Episcopus Meldensis, assertor et ipse Bullæ per literas a Franc. Antonio Harrach Archiepiscopo Salisburgensi, et Primate Germaniæ petierat, ut se certiorem faceret, quonam modo se haberet hæc Bulla in Germania, qui ita respondit: *Petiit a me Eminentia Vestra, ut Eamdem de iis, quæ sequutur, certiorem faciam. Primo, annon Sanctissimi Patris nostri Clementis XI. Constitutio, quæ incipit,* Unigenitus, *et quæ adversus librum, cui titulus*: Reflexiones morales, *edita*

edita est, nota sit apud nos. Secunda, annon omnes nostrarum partium Episcopi dictae Constitutioni adhaereant, eamque pro lata, et sancita lege habeant. Tertio, annon nostrarum academiarum Doctores, et Theologi nefas esse putent, aliter sentire, et docere, quam in praefata Constitutione definitum est. Ut igitur Eminentiae Vestrae desideriis eo, quo par est, animi obsequio satisfaciam, eamdem ignorare nolui, praefatam Constitutionem, Unigenitus, *nobis dudum per rumores, et scripta typis vulgata, affatim innotuisse; haud aliter mihi constare, quam quod Episcopi mei comprovinciales, exemplo meo, illam pro justissima habeant, atque tota veneratione amplectantur: academiam hanc meam Salisburgensem, non secus ac Graeciensem unanimi voto memoratam Constitutionem pro infallibili, et dogmatica non cognovisse duntaxat, verum etiam palam declarasse, se ejus veritatem omni studio, et opera semper propugnaturam. Quae cum ita sint, enixe optamus, ut Eminentia Vestra, quem exinde ad componenda Galliae dissidia fructum sperat pro Religionis Orthodoxae bono, atque animarum salute, nec non S. Sedis Apostolicae reverentia, feliciter percipiat.* Apud Continuatorem Fleurii Tom. 70. pag. 97. Galli appellantes moleste nimis ferentes hanc tantam Episcoporum alibi ubique atque Doctorum conspirationem pro Bulla, missitaverant ad hos quaqua versum literas, ipsisque persvadere volebant rationibus etiam, non esse hanc acceptandam, et quasi revocare ad saniorem mentem. Illos vero cum alii, tum etiam Almayda Patriarcha Ulyssiponensis egregie castigavit, exprobrans ipsis tantam arrogantiam, ut se unos plus sapere putent, quam ceterarum nationum Episcopos, et Doctores omnes. Conin-

bri-

censis vero, quæ in eadem Lusitania celebris iversitas est, illorum etiam rationibus respon-, easque refutavit, quod idem factum a Cra-riensi, et Vilnensi academia est.

Archiepiscopus Coloniensis, et Episcopus Leo-nsis delati erant a quibusdam refractariis Bul-e Clero suo ad Carolum VI. Imperatorem, qua-etiam tribunal Inquisitionis erexissent in suis ecesibus; quam severitatem quia non probave-, non defuerunt, qui scripserint (Philip. Jacob. th in Hist. Eccl. sec. 18. Tom. 2. pag. 259.) in-dixisse disputationem, atque streperam men-nem de hac Bulla in omnibus suis ditionibus. curatius autem istud sic se habuit. Cum com-isset falsum esse, quod erat ad eum delatum, lit rescriptum: *Appellationis processibus, et quis appellantium petitis non est locus; sed ittantur jam dicti appellantes ad D. Episco-n Leodiensem, ut debitam ei obedientiam præ-nt, et hoec notificentur D. Electori Coloniensi.* m Imperator in rescripto ad Episcopum Gan-ensem declarationem istam fecit: Quod Con-utio Unigenitus in ejus ditionibus sit recepta, quod in ejus publicatione, a. 1714. facta, omnes nnitates consvetæ, et a Summis Pontificibus scriptæ, fuerint observatæ: proin laudata pu-atio vigeat, plenumque, ac integrum sortiatur ctum, omnesque illi, qui se palam eidem, et n scandalo opponere præsumpserint, juxta le-n rigorem, et patriæ consvetudinem sint casti-di. *Continuat. Fleurii Tom. 71. pag.* 191. ephus II. Imp. die 4. Maji 1781. prohibuit Epi-is suarum omnium ditionum, ne quem ad lam *Unigenitus* suscipiendam vi adigerent ius vero die 11. Maji 1782. permisit Professo-

ribus.

ribus exponere historiam hujus Bullæ sine tamen aliqua assertione sive in unam, sive alteram partem. Jam Ludovicum XIV. quoque Regem Galliæ quærebant Bullæ adversarii absterrere ab ejus promulgatione, et receptione, prætexentes hanc propositionem ex Reflexionum Quesnelli libro nonagesimam primam: *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro:* quasi hæc Principibus Secularibus periculosa esset. Nihil vero aliud Pontifex intenderat, hujus propositionis damnatione, quam licentiam coercere contemnendæ censuræ Ecclesiasticæ, si is, qui ea affectus est, ipse sibi posuisset, hanc non esse juste latam. Sanctissimus Dominus noster Leo XII. in Epistola sua encyclica ad omnes Patriarchas etc. die 3. Maji a. 1824. ait: *Secularium Principum potestas agitur, teste non solum ratione, sed etiam experientia, cum causa agitur auctoritatis Ecclesiæ. Numquam enim fieri potest, ut reddantur, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, nisi reddantur, quæ sunt Dei, Deo.*

Nihil reliquit intentatum Clemens, ut Episcopos appellantes, nec non ceteros induceret ad revocandam suam appellationem: idem laborabant etiam Cardinales, et Episcopi præsertim in Noaillio ad id permovendo. Cum vero hæc omnia frustra facta essent, ac demum ille mensis etiam completus fuisset, quem terminum ad deliberandum Pontifex extremum ipsis præstituit, die 28. Aug. 1718. Bullam, quæ incipit: *Pastoralis Officii* adversus eosdem appellantes edidit. In hac *Noverint,* inquit, *omnes Catholici, Nos eos omnes qui memoratæ Constitutioni nostræ debitam, et omnimodam obedientiam præstare hactenus recusarunt, ut veros S. Romanæ Ecclesiæ filios non*

agnos-

*noscere, neque ut Nobis, et B. Petri Cathe-
e adhærentes, sed potius, uti aperte inobedi-
es, notorie contumaces, et refractarios habe-
: et quoniam primum ipsi a Nobis. et a S.
mana Ecclesia recesserunt, illos similiter a
bis, tanquam a Nostra, et ejusdem S. Roma-
e Ecclesiæ charitate prorsus segregatos haberi,
llamque proin Nobis, et ipsi S. Romanæ Eccle-
e deinceps cum illis Communionem Ecclesiasti-
m exstituram.* Nullius tamen nomen expresse
situm fuit. Qui se opposuerant anteriori Bul-
, ab his non erat sperandum, ut cederent huic.
rgebant igitur manere in sua pertinacia, et ob-
natione. Illam nihilominus vim hæc bulla ha-
uit, ut populus ex Ecclesia fugeret, dum ex ap-
llantibus quispiam Sacerdos ad Missam dicen-
m prodiret, et si in supplicationem horum ali-
ıis prodivisset, ut fit in feriis Rogationum, Ec-
esiam ei clauderent, ad quam cum supplicatio-
e volebat ire. Quantulus enim appellantium mil-
, et octingentorum numerus, qui conducti pe-
nia erant, comparate ad multitudinem populi,
ıi vel solum modo Parisiis erat?

Pontifex etiam Philippo administratori regni
stabat, ut civili etiam potestate assisteret ju-
cio ab Apostolica Sede in Quesnallianos lato.
prohibuit scripta, et eorum venditionem con-
ı Bullam *Unigenitus*, Episcoposque jussit anim-
vertere in Clericos appellantes, ad Curias ve-
mandatum dedit, ne cuipiam Clerico patroci-
rentur ullatenus refractario adversus eamdem
ıllam. Insuper Noaillium, qui desierat mune-
fungi Præsidis in Consilio intimo, vix crede-
m sua tantum etiam voluntate, monuit, ut cir-
Bullam *Unigenitus* ejusmodi declarationes fa-
ceret,

ceret, quæ non tantum sibi, verum etiam eam acceptantibus non essent futuræ invisæ. Qui vero non hoc fecit, verum Pastoralem edidit, qua negavit Bullæ hujus decisiones esse habendas pro ejusmodi, quibus non sit fas refragari. Hæc Pastoralis a. 1719. damnata est Romæ per Congregationem S. Officii Ob assertiones falsas, seditiosas, Episcopis, et Pontifici injuriosas, hæresi, et schismati faventes, subque pluribus istiusmodi aliis etiam elogiis. Per edictum nomine Ludovici XV. impositum fuit silentium utrique parti usque ad futurum oecumenicum concilium. Sorbona autem sicut ante, ita etiam post hoc edictum pergebat theses vulgare, et in publicis disputationibus defensitare contrarias Bullæ. Etiam Curiæ cum aliæ, tum ipsa etiam Parisiensis se se opposuit Regiis edictis adversus appellationem factis, ut hæc idcirco etiam Pontesium (*Pontoyse* oppidum Franciæ) relegatum sit, donec Regium edictum in tabulas retulisset. Anno 1721. Clemens XI. vita functus est. Sub Innocentio XIII. qui Clementi XI. successit, tam Episcopi refractarii, quam Sorbona, renovarunt suam appellationem; contra autem alii in appellantes severe, habitis etiam synodis, animadvertebant. Ordines Religiosi ipso etiam Ludovico XV. jubente, omnes e suis institutis expulerunt, qui parere Bullæ noluerunt. Franciscus Villeroy Lugdunensis Archiepiscopus aliquot suffraganeos suos etiam suspenderat eamdem ob causam a suis functionibus, quod et Rex erga hos fecerat quoad proventus Episcopatuum temporales.

Innocentio XIII. a. 1724. Benedictus XIII. successit in Pontificatu. Hic dum Cardinalis esset, Noaillio erat junctus familiaritate. Hinc spes

ma-

nägna affulgebat reconciliationis ejusdem Noaillii um Sede Apostolica: mittebantque sibi invicem iteras. Neque tamen perfectum aliquid est, quia Ioaillius consentire noluit in Bullæ acceptationem, ure et simpliciter faciendam. Mense decembri . 1726. morbo correptus est: cumque spem lonioris vitæ ne ipse quidem sibi fecisset, erat enim um prope octogenarius, hortantibus amicis cessit, t suam appellationem revocaret. Sed hanc revoationem fecerat in codicillo obsignato, nec ante periendo, quam mortuus esset. Cum vero se ex inrmitate recollegisset, non sibi defuerunt Quesellliani, atque omnibus modis studuerunt Noailum in proposito appellationis retinere. Joannes e Soane Episcopus Saniciensis partium Noaillii tudiosissimus Pastoralem ediderat, quæ rem deluxerat jam fere ad seditionem. Hac de causa Perus Quarin Archiepiscopus Ebrodunensis Synoum provincialem celebravit die 16. Aug. 1727. dquam Joannes de Soane venit non tantum ab rchiepiscopo Ebrodunensi vocatus, cujus erat uffraganeus, verum etiam venire jussus ab Rege. ?ui affuit quidem, sed postquam contradixisset ynodo, velut non legitimæ, et parti addictæ aleri, sua eadem Pastorali ad mensam posita una um scripto, quo suam renovavit appellationem e proripuit. Cujus tam hoc scriptum, quam epitola Pastoralis ab hoc Concilio Episcoporum quaordecim damnata sunt, ipsiusque muneris Epicopalis, quod gerebat, administratio commissa lteri est. Hæc facies rerum in Gallia, cum jam l incendium, quo eadem tota conflagret Gallia, ectarent omnia, Noaillium perculit, ut submiteret animos. Die 15. Maji 1728. fecit revocatioem suæ appellationis cum declaratione suæ adæsionis Bullæ *Unigenitus* pure, et simpliciter, quam

quam etiam ad suam diæcesim misit, et Parisiis in Ecclesia ex Cathedra publicandam curavit, nec non per schedas in Urbis publicis, et celeberrimis omnibus locis eamdem suam revocationem notificavit: nec omisit Romano etiam Pontifici scribere, atque suam obedientiam et subjectionem erga Bullam *Unigenitus* profiteri. Secutum est ejusmodi gaudium, quod verbis satis describi non potest. Rex Ludovicus XV. hoc per suas literas ei testatus est, totaque aula Regia exultavit. Venit ad eum totum etiam Collegium Canonicorum gratulatum, gratulationes quoque ei fiebant undique ab omnibus Episcopis, et omnium aliorum Ordinum viris: etiam Sorbona, tum prius refragans, ei erat gratulata. Numquam antea perceperat tantas gaudiorum contestationes, quam nunc; atque unde metuebat, ne dispendium suæ famæ faceret, et honoris, inde ei accessit summa laus, atque gloria.

Noaillius vixit usque ad sequentem annum. Successor ei datus est Carolus Ventimiglia, vir insigni moderatione, et prudentia. Is statim perfecit, ut Canonicorum collegium Parisiense Bullæ acceptationem pure, atque simpliciter subscriberet. Sorbona quoad subscriptionem erat difficilior, discordantibus Doctoribus. Rex vero urgebat. Tandem triumphavit etiam in hac negotium, et potissima suffragiorum parte (quinque, et nonaginta erant, qui suffragabantur) recognita est Bulla, et suscepta instar dicisionis, cui ab Ecclesia factæ fas non sit refragari, mensiumque duorum spatium præstitutum est, intra quod nisi qui ex Doctoribus, qui nondum consensum suum dare volebant, consensissent, suis muneribus privarentur, atque insuper statutum, ut qui

lau-

ream Doctoratus in Sorbona, consequi vellet, hoc prius jus jurandum exigeretur de obentia Bullæ præstanda. At vero Parlamentum ·isiense nondum etiam cedere volebat. Itaə Ludovicus ipse XV. ad Parlamentum ivit, əbravit conventum, mandavit, ut Bullæ ac›tatio actutum referretur in tabulas, insuper :revit, ne ullus, qui Bullam non acceptasset, munus quodpiam et officium admoveretur.

§. 48.

commentitia prodigia, et suppositiones librorum se Quesnelliani conantur sustentare, atque etiam se erigunt. Attamen cadunt rursus in Gallia. In Hollandia durant usque hodie sub nomine Parvæ Ecclesiæ.

Neque tamen turbæ adhuc, quæ excitatæ ınt per librum Reflexionum Quesnelli, conieverunt. Excogitarunt artes Quesnelliani, quis non tantum seipsos sustentarent, verum etiam tionem suam quantumvis prostratam, denuo gerent, viresque ei novas compararent. Spar·unt in vulgum cujusdam Annæ Augier, et Jonæ Stappart prodigiosam curationem ad sepulım Gerhardi Rousse Canonici Jansenistæ, al·ius a paralysi, et cancro, alterius ex oculom affectione. Imprimis autem celebrabantur odigiosæ curationes factæ ad sepulcrum Franci de Paris Diaconi pariter Jansenistæ in apllatione contra bullam *Unigenitus* mortui: ıniumque prima cujusdam puellæ claudæ, et ecæ, postquam novem dierum supplicationem ad

ad idem sepulcrum instituisset. Hoc velut prodigium vulgabatur ingenti testium numero. Archiepiscopus Parisiensis tam puellam, quam testes ad examen sumpsit. Ex horum confessione reperit puellam fuisse pecunia conductam, ut mentiretur se caecam fuisse, et claudam. Ingens deinde exstitit numerus eorum, qui ad idem sepulcrum Parisii venerint, quasi variis morbis affecti, ut sanarentur, cumque ante hoc procubuissent, se se ita gesserant, ut tremorem, et contortionem corporis primum fingentes, seque per terram aliquamdiu volutantes, deinde sursum ferrentur, quasi vi quadam excussi, et cum decidissent, consurgerent velut repente sanati. Est *Marc.* 9. *v.* 19. de quodam habente spiritum mutum qui ad Christum adductus, in terram elisus se volutaverit, spumans, antequam liberatus ab illo spiritu fuisset. Hinc videntur hi simulantes, se prodigiose sanatos a suis morbis ad sepulcrum Parisii, suas convulsiones, et jactationes corporis sumpsisse ad fidem faciendam se prodigiose esse curatos. Namque apud istos, cum fuissent arrepti, atque excussi deprehensæ machinulæ sunt, quarum ope, corpori adstrictarum acti in altum sint. Cum ad hanc scenam maximus etiam aliorum factus esset confluxus, Rex cœmeterium S. Medardi, in quo Parisii erat sepulcrum, claudendum, et militum custodiis ita cingendum curavit, ne aditus cuipiam ad illud esset morbum simulanti, eosque qui se curatos ferebant, ex ipso etiam regno exterminavit. Idem deinde continuarunt facere ad tumulum Hieronymi, qui frater erat Parisii, æque Quesnellianus. In hujus memoriam, et venerationem velut thaumaturgi etiam in domo cujusdam matronæ de Vieuxpont sodalitium fuit institutum hominum novem, et triginta: qui vero omne

ju-

ente Rege comprehensi, et ad domum dati nt, quæ destinata corrigendis improbis est. Me- ι fere pars incolarum Parisiorum jam se addi- rat horum fratrum cultui, Francisci, et Hie- nymi. Etiam quosdam ex Episcopis illa miracu- horum fratrum nacta sunt defensores, et com- ndatores. Fuit et illa astutia Quesnellianorum, opera vulgarent sub nominibus Præsulum jam a functorum, eorumdemque quam maxime ce- orium, iisque affingerent, quæ volebant. Hoc erunt in libro: *Contra Regalia Apostolicæ Se-* s sub nomine Gulielmi de Bois cardinalis, et rchiepiscopi Cameracensis. Hoc fecerunt in li- o, cui hunc titulum dederant: *Defensio Refle- onum in N. T* quod Bossueto supposuerant. Id, od testabantur etiam Episcopi, Rupellensis, et icionensis in suis Pastoralibus, de quibus §. 46. n meminimus. His artibus, quæ jam ut cum- e oppressa putabatur Quesnelliana factio, cre- bat denuo, seque attollebat: quandoquidem ic etiam Parlamenta faverent, atque mulcta- at eos Parochos, qui moribundorum Sacramen- renuissent iis administrare, qui se profiteren- r Jansenistas, neque vellent se ab errore re- care, quin et Episcopis, qui hanc Parochis æscripserant agendi rationem quoad Sacramen- um administrationem erga Quesnellianos, pro- ntus interceperant.

Res adhuc gravius laborare cœperat, dum am Rex quasi pro immoderato rigore habuis- : denegationem Sacramentorum moribundis esnellianis, quamvis resipiscere noluissent, at- e istis illa administrari voluisset, Episcopi au- n morem gerere noluissent. In hoc dissidio fa- s denuo recursus est ad Sedem Apostolicam,

et

et ad Benedictum XIV. qui tum in ea sederat: Rex ipse sua manu etiam in hoc negotio, ejusque determinandi causa per Sedem Apostolicam, literas ad Benedictum exaraverat. Rescripsit Pontifex, et Breve misit, cujus prima verba sunt: *Ex omnibus Christiani Orbis:* Neminem Fidelium posse absque salutis æternæ dispendio a debita erga Bullam *Unigenitus* subjectione se se subducere, aut eidem ullo modo refragari: et modum agendi Sacerdotibus præscripsit cum iis, quos cogitarent esse Jansenistas: ut videlicet hos alloquerentur ægrotantes cum omni lenitate, et mansvetudine non tanquam disputantes, sed tantum ostendentes, quæ et qualia essent indicia, quæ suspectum redderent ipsius vitæ tenorem, ac deinde rogarent, et obsecrarent ut resipisceret in eo saltem temporis articulo, a quo ipsius æternæ salutis sors penderet: sique postea ægrotus perstitisset in petendis Sacramentis, ne Sacerdos dubitaret hæc ei administrare Et tamen Parlamenta huic etiam Brevi acquiescere noluerunt. Rex vero cum iterum ad Parisiense Parlamentum ivisset, et Consiliariis pertinaciam objecisset, in tabulas idem Breve referri jussit. Sensim postea, semperque magis elanguerunt contentiones, quæ diu viguerant in Gallia, et extabuerunt circa finem seculi decimi octavi. Sed nondum tamen excisum etiam fuit illud, quo Jansenismus et Quesnellianismus tendebat; et nonnisi aliud nomen prætendebatur libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, et assecuti sint Jansenistæ, quo conatus suos, et molimina intenderant; ut subverteretur Religio. Id, quod de hoc eorum proposito jam supra demonstratum est.

In

In Hollandia autem etiam nunc existunt Jansenistæ, facientes sectam propriam, quam vocant parvam Ecclesiam, habentes Ultrajecti Archiepiscopum suum, et Episcopos duos, alterum Daventriæ, alterum Harlemi. Quesnellus ex Gallia, primum in Belgium Catholicum, hinc vero elapsus etiam e carcere, se receperat in Hollandiam ad tutiorem sibi locum. Petrus Coddé Vicarius Apostolicus in Belgio, et Episcopus Sebastenus delatus erat ad Romanum Pontificem de consensione cum Jansenistis, Romamque citatus, a. 1704. Vicarii Officio privatus est. Quam ob rem et iste migravit in Hollandiam, ubi ii, qui jam etiam in Hollandia exstiterant Janseniani, sibi posuerant Episcopum. Mortuus autem est jam a. 1710. Collegium Canonicorum Ultrajectanum, elegerat Vicarium generalem, Cornelium de Steenhope Canonicum e suo gremio, et paulo post etiam sibi posuerat Archiepiscopum. Tantummodo enim Episcopatus erat ad hoc tempus Ultrajecti: sed Canonici, partes secuti Jansenii, Archiepiscopum volebant habere. Nemo vero Episcoporum hunc volebat consecrare, tametsi hoc instanter petitum esset ab Canonicis Ultrajectanis. Dominicum Varlet Presbyterum in domo Missionis S. Lazari Parisiis Episcopus Condomensis, non servato juris ordine, Episcopum ordinaverat, quem idcirco Clemens XI. ab Episcopali munere suspenderat. Qui vero Amstelodamum pergens Episcopalia munia illic exercebat. Ab hoc Canonici Ultrajectani facile obtinuerunt, ut Archiepiscopum, quem sibi elegerant, ordinaret. Post hunc vita functum idem Varlet, etiam alterum, ac tertium, atque etiam quartum ordinaverat: et ne deesset deinceps Episcopus, qui ordinaret Archiepiscopum, etiam duos illos alios Harlemi, et Da-

ventiæ Episcopos sibi posuerunt. Hi omnes electi, et ordinati confirmationis causa recursum fecerant ad Apostolicam Sedem: verum semper repulsam passi erant, tanquam schismatici, et Jansenismo addicti, atque etiam percussi anathemate. Iidem Jansenistæ in Hollandia die 13. Sept. 1763. Synodum celebrarunt: sed quam æque Clemens XIII. confixit una cum omnibus iis, qui eam celebraverant.

Erant solliciti, ut haberent consecratos Episcopos, et Sacerdotes, per quos confici possent Sacramenta. Ad quid vero etiam hi illis, apud quos feminæ etiam celebrant Missas, et rectrices conscientiarum sunt, hisque Sacerdotes assistant, atque illarum celebrantium ministros agant? Nominatim etiam quamdam Moliam (Madame Mol) et Danconiam (la Danconi) affert Auctor libri: *Veritas Consilii Burgofonte initi* Tom. 2. pag. 360. quæ celebres Jansenistarum fuerint Presbyteræ, et vestibus sacris indutæ rem divinam fecerint, ipsis etiam Jansenistis prædicantibus, cum quanta gravitate, atque majestate eamdem rem soleant facere. Sive autem viri, sive feminæ Missam celebrent, eam partem illius, quæ Canon vocari solet, alta voce recitant eum in finem, ut si forte is, qui celebrat, in peccato mortali esset, tamen perficeretur consecratio per alium aliquem pium e ceteris Missam audientibus. Namque tenent etiam per Sacerdotem, quantumvis ab Episcopo ordinatum, si in peccato mortali sit, non fieri consecrationem, attamen fieri per alium quemcunque e populo etiam solummodo audiente verba Consecrationis. Altare iidem habent, in quo nonnisi linteum, quo tegatur, et duo candelabra sint, etiam absque ipsius Christi, cruci affixi,

ixi, effigie. Supra §pho 45. demonstratum est, quo Jansenistæ, sub quo nomine comprehenduntur etiam ipse Quesnellus, ejusque manipulares, lirexerint conatus suos, et consilia, videlicet ad Vaturalismum, et Deismum, quem scopum ut ıttingerent, viderunt sibi necessarium esse, ut uctoritatem subverterent prius Præsidum Eccleiæ, atque ante omnia ipsius Romani Pontificis. ›revi veniemus ad exponendum Febronianismum. Ibi licebit advertere ex his, quæ dicta sunt de ansenismo, quibus fundamentis suas merces suerstruxerit etiam Febronius, cujus totus labor, t conatus nonnisi tetenderat ad subversionem 'rimatus Romani Pontificis. *Tu es Petrus, et suer hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hanc 'etram adgressæ sunt jam olim etiam hæreses, ene videntes, hac subversa Petra, ruituram etiam ;cclesiam, utpote, quæ super illam Petram ædicata sit. Portæ autem inferi non prævalebunt dversus Ecclesiam. Igitur neque contra Petram, upra quam ædificata est: quæ ipsa stare non posst, si Petra subverteretur, supra quam ædificata st. Sed Jansenistæ hoc instituerunt magis tecte, t subtiliore ratione. Et quoniam horum molitio endebat maximopere ad Cathedræ S. Petri subersionem; hinc intelligi potest, cur ii, qui mae sunt affecti Cathedræ Petri, atque ejus auctoitatem ferre nolunt, quorum etiam extra Hollandiam sunt perquam multi, dicantur afflati spiitu Janseniano. Nam et Janseniani semper voebant videri Ortodoxi, et haberi conjuncti cum 'athedra Petri: sed erant lupi, induti ovillam ellem. Iidem patrocinantes Jansenismo, ubi ubi ossunt, pingunt hunc tantum modo velut chiæram, et quasi nunquam ea, quæ sub hoc noine circumfertur, veri nominis fuerit secta,

alienata ab Ecclesia. Quæ autem dicta de Jansenismo sunt, docent contrarium. *Historia Jansenismi sumitur ex Bullario M. Rom. et ex Brevibus, atque Epistolis Clementis XI. Scriptores vero illius sunt potiores Guarnaccus in Vita, et Rebus gestis Pontificum. Lafiteau de la Constitution Unigen. Du Clos geheime Nachrichten von Ludvig XIV. und XV. Leydeker Historia Jansenismi. Continuat. Fleurii Hist. Eccl. Tom.* 67. — 79.

§. 49.

Regalia, atque horum causa vicissitudines in Gallia. Famosa Declaratio Cleri Gallicani.

Dum per pacem, quæ Clementina dicta est, turbæ, quas Janseniani excitaverant, viderentur compositæ esse, atque incendium, quod putabatur exstinctum, denuo, quemadmodum vidimus, erupisset, arderetque vehementius, exstitit alius etiam, et non mediocris turbo. Sumpserant sibi Reges Galliæ, reditus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum occupare, et ad hæc personas, tantum cum ipsis visum fuisset, alias nominare: quæ res in quibusdam locis jam in consvetudinem abierat, quia idem ipsis etiam in Concilio Lugdunensi II. erat permissum, attamen cavendo, ne hoc pergerent ulterius extendere ad ea loca etiam, quæ ad illud tempus erant immunia istius moris. Hæc a Regibus Galliæ exercita dicta est potestas *Regalium*, tanquam quæ descenderet ex jure ipso Regio. At vero hæc potestas non se tenuit intra eos fines, qui prius ei erant, sed serpserat ulterius. Ex Episcopis alii hac in re assentabantur

egi, alii non audentes contradicere, tamen in ecreto murmurabant, atque rem velut non sua onsensione initam ad posteritatis memoriam re- rebant in dioecesium suarum tabulas. Neque tiam deerant, qui se opponerent, et imprimis icolaus Pavillonius Episcopus Alectensis, et Franc. tephanus Cauletus Episcopus Apamiensis: neque b Rege nominatos ad Beneficia, atque missos a arlamentis recipere volebant, quin etiam repel- bant, excommunicationes opponendo. Quomo- ocunque autem se se hæ nominationes quoad jus aberent, illud tamen meretur considerationem, uod exteri ad dioeceses mitterentur, et ad capi- nda Beneficia, etiam iis adhuc superstitibus, qui la tenebant, atque excuterentur absque ullo io demerito, imo etiam bene meriti, et senes: ui deinde ultimos vitæ suæ annos in miseria de- erent transigere: atque hoc fiebat non tantum i Beneficiis, quæ vocari solent simplicia, et non abentia sibi docendi munus, vel curam anima- im adnexam, verum etiam in illis, quæ Curata ocari solent, et Parlamentariorum favore, et ommendatione conferrentur, sæpe laborantibus scitia, et nequidem bene moratis. Apamiæ eve- erat et illud. Collegium Canonicorum, quod hic primævo suo instituto, ad illud tempus sedulo nservatum erat, constabat viris Religiosam di- iplinam professis. His vero loco motis Clerici eculares substituebantur, qui nec sub hac disci- ina esse vellent, neque Episcopi, cui non essent ostricti pro beneficio, auctoritatem curarent.

Episcopus Alectensis, jam senio confectus, u superstes non fuit. Tota moles deinde supra piscopum Apamiensem incubuit. Is primum per rlamentum suis proventibus privatus est. At-

ta-

tamen firmus mansit in proposito. Recurrerat autem ad Regem, demonstrans incommoda, quæ ex illa ratione sequerentur. Magis circumvallatæ erant ejus aures, quam ut propitium aditum posset reperire, vimque haberent, quæ scripto etiam offerebat, et proponebat. Vertit itaque se ad Innocentium XI. Rom. Pont. Nihilo tamen res etiam sic evasit melior, nisi quod ad bene sperandum per Pontificem erectus sit. Mortuo Episcopo Apamiensi, sedeque Episcopali vacante, Collegium Canonicorum primo Danbredum, deinde Rechium Vicarios elegerat: qui, quod ad suum Collegium immissos a Parlamento, ab Episcopo autem suo, priusquam mortuus fuisset, excommunicatos vitassent, neque hos ad Officium Divinum secum peragendum admisissent, relegati sunt. Joannes Cerles fuit deinde a Collegio Canonicorum, unus ex ejus gremio, suffectus, et constitutus Vicarius. At vero Josephus Mompesat Archiepiscopus Tolosanus, cujus suffraganeus erat Episcopus Apamiensis, fautor Regalium quemdam Fortasinum posuit Vicarium. Mortuo Episcopo, hujusque sede vacante, ex jure Ecclesiastico electio Vicarii spectat ad Canonicorum Collegium, ad Archiepiscopum autem, in cujus provincia situs Episcopatus est, nonnisi tunc devolvitur, si intra octiduum neglexisset Collegium Canonicorum facere electionem. Quod vero in hoc casu non fuit. Cerles adversus Fontasinum Vicariale decretum fecit, et publicavit per dioecesim. Ad hoc Mompesatus ita exarsit, ut effecerit, neque difficulter, ut a Curia Tolosana Cerles comprehenderetur, carceri manciparetur, atque facto judicio etiam capitis damnaretur. Is, ex custodia elapsus est custodum conniventia, indignum, quod in eum factum erat, videntium; quin ipse etiam carnifex fu-

fugerat et abdiderat se, ne sententiam exequi latam cogeretur. Nihilominus die, quæ supplicio erat præstituta, illius simulacrum, stramine effartum, et currui impositum, tamquam si coram adesset, ad supplicii locum evexerunt, atque e furca suspenderunt cum ejusmodi indignitate, ut cum Clericis capitalis criminis reis insignia status Clericalis detrahi solerent, ne ipse status dedecus subiret, illi hoc simulacrum etiam superpelliceo, quod genus est vestimenti linei, quo Clerici in sacris functionibus utuntur, induerint, atque sic appendendum ad furcam curaverint. Vi compellebantur deinde ad istius Vicarii, et ceterorum Regalistarum, sic enim solebant vocari immissi ad dignitates Ecclesiasticas per Regalia, communionem accedere, carcerisque alii pœna, vel etiam exilii plectebantur, ipsæ etiam Moniales ab hac communione abhorrentes.

Secuta est hinc offensa non solum totius Cleri, verum etiam ingens ipsius plebis. Itaque Rex permisit; ut conventus Cleri fieret ad disquirendum, et determinandum jus Regalium. In hoc, Parisiis habito, a. 1681. decisio facta est in favorem Regis: cujus voluntati Episcopi non sunt ausi refragari, eique adjudicarunt jure Regalii proventus vacantium beneficiorum, etiam illorum, quæ illius juris ad id tempus immunia erant. At vero Innocentius XI. Papa resciderat hoc Episcoporum judicium, in irritumque miserat, ipsis Episcopis etiam timiditatem objiciens, qua illud fecerint nec immunitatem Ecclesiasticam, qua oportuisset, constantia, tuiti sint. Hoc Innocentii factum urebat Regem, et ut vim infringeret ejus, quod erat a Pontifice pronunciatum adversus Episcoporum judicium de Regalibus, denuo an-

anno subsequente 1682. die 19. Mart. instituit Cleri Gallicani conventum Parisiis, sed non generalem, verum solummodo Præsulum a se evocatorum, idque eum in finem, ut si Pontifex pergeret ulterius ire in sua contradictione Regalibus, quæ exercebat, jam ex statutis hujus Conventus haberet quidpiam præparatum, quod posset opponere. Petiit vero Rex, ut Episcopi in hoc conventu determinarent potestatem Romani Pontificis. Centum triginta Episcopos habebat Gallia. Evocati autem erant quatuor, et triginta: qui, nonnisi quarta pars Episcoporum Galliæ., ausi sunt se immittere ad definiendum, et decidendum, quid potestatis esset Romano Pontifici, qui caput est universæ Ecclesiæ. Fecerunt autem declarationem, quæ deinde ferebatur quasi totius Cleri Gallicani declaratio esset, his quatuor capitibus constantem: *Beato Petro, ejusque successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium, a Deo traditam esse potestatem. Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicariis spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quæ Sess. 4. et 5. continentur. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones, Spiritu Dei conditos, valere etiam regulas, mores, et instituta a regno, et Ecclesia Gallicana recepta. In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis partes esse, ejusque decreta ad omnes, et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

Præ-

Præter Archiepiscopum Cameracensem D. de Brias huic Declarationi assensi sunt ceteri omnes istius Conventus Episcopi. Testabatur, se quoad infallibilitatem Romani Pontificis in condendis Fidei decretis in sententia alia educatum esse. Nam hoc caput Declarationis maxime admirationem fecerat omnium, et eos perculerat. Jac. Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, qui et ipse unus erat ex Episcopis hujus conventus, sermonem iu hoc conventu habuit de Unitate Ecclesiæ, qui deinde typis etiam editus celebrabatur ab omnibus per universam Galliam, atque eadem celebritate exceptus etiam extra Galliam ubique est. In hoc autem disertissime etiam ipse prædicavit contrarium ei, quod hæc Declaratio Capite quarto habet. Romanam, ait, Ecclesiam per S. Petrum, ejusque successores instructam nullam noscere hæresim, hanc semper esse virginem, et fidem Romanam semper esse fidem Ecclesiæ, Petrumque manere in suis successoribus fundamentum fidelium, in ejus Cathedra fidem non defecisse, neque in finem usque defecturam esse: huic Petri Cathedræ inseparabiliter adhærendum esse, in cujus sinu tuti simus, cujus judicio in fide Divina necesse sit nos uniri, ad cujus judicium, si consensio partium requireretur, janua aperienda foret manifestæ rebellioni. Mirum proculdubio videbitur, talem virum sic locutum esse, qui tamen illi Declarationi subscripserit, neque esse consonum, quod dixit, et egit. Sermo vero illius indicat, quid senserit, factum prodit ipsius infirmitatem, qua cessit, seque Regis accommodavit voluntati, eadem animi parvitate, qua ceteri omnes istius conventus Episcopi uno excepto Archiepiscopo Cameracensi. Voluit autem, ut pronum est judicare, suum hunc Sermonem

nem contra id, quod ab ipso, ceterisque huj conventus Episcopis actum est, antidotum es Rex. Declarationem hanc suo edicto confirmavit promulgandamque curavit, atque observanda omnibus dedit, utque in Universitatibus, et aca-demiis, Professores secundum hanc Declara-tionem doctrinam suam instituerent, præcepit.

Præses Curiæ supremæ Regiæ Parisiensis a Sorbonam decretum Regis tulit, ut inferretur i tabulas Universitatis. Re autem infecta abivit quia Doctores renuerunt in id consentire, quo erat ab ipsis petitum. Post aliquot dies Notari Universitatis ad Curiam vocatur, atque juxta formulam sibi præscriptam jussus inferre illud decretum, fecit, quod ei erat imperatum, non ausu refragari. Aliæ quoque Academiæ reclamarun adversus idem decretum, et ne urgerentur quod salva conscientia sua facere non possent Regem suppliciter orarunt. Hoc nominatim feci academia Duacena in Flandria contestans, doctrinam illis Propositionibus contentam fuisse ad illu tempus in sua academia inauditam, atque opiniones *contra absolutum Summi Pontificis Primatum, ac infallibilitatem* fuisse semper pro erroribus habitas: itaque majorem partem Doctorum esse paratam potius renunciare muneri docendi, quam docere has sententias, neque fuisse ullum, qui ad Doctoratum promoveri se passus sit, illa conditione, quæ eodem decreto præscripta erat, ut sponderet, se servaturum, et defensurum ea, quæ haberet illa Declaratio. Universitas Lovaniensis, inter celebriores Universitates semper numerata, statim elucubravit libellos adversus eamdem sub Cleri Gallicani nomine editam Declarationem, et quemdam ipsis etiam Episcopis Galliæ

in-

inscripsit, et misit, ut sub oculos eorum poneret, quale esset, quod sua illa Declaratione commisissent. Tanto magis extra Galliam omnes ubique hanc Declarationem insectabantur. Georgius Szeleptsényi Primas Hungariæ, uno consensu omnium Præsulum ejusdem Hungariæ die 24. Oct. a. 1686. per literas Encyclicas ad omnes Fideles Hungariæ, assertiones has Cleri Gallicani proscripsit, *Ut absurdas, et plane detestabiles a Satanæ ministris disseminatas* quemadmodum exstat in Collect. Concilior. Hung. Car. Péterffi Tom. II. pag. 447. Cum vero non desint scioli in eadem Hungaria, qui Szeleptsényium idcirco dicant incidisse apud exteros in sermones, qui ei non cesserint honori, non prætereundum mihi videtur, quale de hac ejus censura judicium fuerit ipsius Sorbonæ, testimonio Matthæi Petitdidier Abb. Senonens. in Tractatu Theolog. de Auctorit. et Infallibilit. Summor. Pontif. pag. 266. *Nec id,* inquit, *memoria excidit, cum Archiepiscopus Strigoniensis in Hungaria asseruisset, quod ad solum Papam pertineret articulos fidei definire, ejus propositio ad Facultatem Theologicam Parisiensem ad censuram delata, quamvis Censuræ factio Regia auctoritate fulta eset, summas tamen passa sit contradictiones, pluresque hujus Facultatis Doctores maluerint exilium pati, quam hujus propositionis damnationi subscribere.*

Innocentius vero idem XI. qui resciderat Episcoporum concessionem Regi in Regalia, ut nominabantur, nec istam Declarationem Cleri Gallicani tulit, jamque die 11. Aprilis ejusdem anni 1682. damnavit: neque ulli, qui ad Episcopatum a Rege erat nominatus, confirmationem largitus est. Eamdem rationem instituit Alexander VII. succes-

cessor Innocentii in Pontificatu, iterumque per Bullam: *Inter multiplices Pastoralis Officii nostri curas*, repetiit illius Declarationis damnationem: sed suspenderat ejus promulgationem, donec morbo letali correptus timor Divini judicii illum ursisset, ne decederet non functus suo officio. Itaque hanc Bullam ad Ludovicum XIV. Regem misit, cum alia epistola ad ipsum Regem amantissimis verbis scripta, suumque angorem exponens, quo impulsus ad promulgationem illam, diu a se pressam, descenderit. Hæc epistola apud Christianissimum Regem eam vim habuit, ut literis die 14. Sept. 1693. ad Innocentium XII. qui Alexandro VIII. successerat in Pontificatu, significaverit eidem Innocentio, se jam dedisse mandatum, ut edictum illud ad Declarationem Cleri regni sui pertinens, ad quod edendum ratio illius temporis ipsum perduxerit, effectu careat, quo suæ venerationis erga eumdem Pontificem testimonium toti mundo exstet. Utramque epistolam Alexandri VIII. ad Ludovicum, et hujus ad Innocentium XII. produxi integram in Dissertatione mea XVI. in Selecta argumenta Hist. Eccl. Tom. 2. pag. 446. Episcopi quoque illius Conventus Parisiensis, in quo Declaratio illa facta est, valde humiliter scripserunt his verbis: *Ad pedes Beatitudinis vestræ provoluti profitemur, et declaramus, nos vehementer quidem, et supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis prædictis, quæ Sanctitati vestræ, ejusque prædecessoribus summopere displicuerunt: ac proinde quidquid in eisdem Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem, et Pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus.* Apud Sfondratum in Regali Sacerdotio lib. 4. §. 5.

§. 50.

§. 50.

De Justino Febronio, ejusque libro: De Statu Ecclesiæ, et legitima potestate Rom. Pontificis.

Videbatur id omne restinctum, quod propter Regalia, et Declarationem Cleri Gallicani exstitit, incendium, postquam et Ludovicus Rex revocasset suum edictum, et Episcopi, confectores illius Declarationis, factum suum retractassent. At vero aliter se res habuit. In ipsa enim Sorbona, ii qui invicti steterant adversus eamdem Declarationem, deinde vel maxime defensitabant ea, quæ in illa asserebantur, et inprimis, quæ attingunt Romani Pontificis auctoritatem, et infallibilitatem in decidendis controversiis Fidei. Erat hæc eadem favilla Jansenistarum, quæ sub cineribus gliscebat, ac postea ab ipsa etiam Declaratione, quamvis suam vim omnem amisisset, sibi subsidium petierat. Et ut pondus ei compararent, quod jam nullum habere poterat, cum Bossueti nomine in fronte a. 1730. jamque post illius mortem protruserunt librum in defensionem Declarationis Cleri Gallicani, quem etiam titulum liber sibi habet datum. Hic titulus illusit, et decepit multos: quem librum sub nomine Bossueti allegare solent omnes ii, qui Juris Ecclesiastici neoterici sunt Professores. Ego vero Dissertatione XVI. mea, in Selecta argumenta Hist. Eccl. §. 3. evidentibus argumentis ostendi, hunc Bossueto nonnisi arte veteratoria esse datum. Jamque etiam supra in Notitia Scriptorum Ecclesiasticorum Sec. XVII. idem hoc memoratum est. Ex Gallia autem hæ sententiæ, Romani Pontificis auctoritati inimicæ, et contrariæ, per Declarationem Cleri Gallicani as-

assertæ, a Sorbona nomen, atque famam assecutæ, serpseruut etiam ultra.

Nemo autem omnium fuit Joanne Nicolao de Hontheim Suffraganeo in Pontificalibus Clementis Wenceslai Archiepiscopi Trevirensis, in quo illæ sententiæ majorem patronum nactæ fuissent. Inde vero ansam sumpserat. Post obitum Caroli VI. Imperatoris, dum Francofurti electio novi Imperatoris a. 1741. instituta fuisset, de Curia Romana, a qua graventur Archiepiscopi, et Episcopi Germaniæ, sermo aliquis factus erat. Solus Archiepiscopus Trevirensis et Elector Imperii Franciscus Georgius curam de hoc negotio, ostenderat. In quodam deinde conventu illustrium virorum Baro Henricus de Spangenberg, nuncius Electoris Trevirensis, eidem Electori sociatus in sententia, dixerat, permagni interesse, in Clero Germaniæ reperire talem virum, qui discernere sciat Romani Pontificis jura, veritate fundata ab iis, quæ sibi tantum Curia Romana adsciverit. Interfuit huic conventui ipse etiam Hontheim, et tacitus cum consilium istud approbasset, primum circumspicere cœpit, quem talem virum, et ad rem hanc idoneum posset reperire, deinde vero eam ipse exequi constituit. Itaque elaboravit librum, quem a. 1763. Francofurti edidit sub ficto nomine, atque cum hoc titulo: *Justini Febronii Jurisconsulti de Statu Ecclesiæ, et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reuniendos Dissidentes in Religione Christianos compositus.* Vix aliquis alter liber unquam alis tam celeribus in omnes partes ferebatur, et cupidius legebatur, tamque sæpe intra brevissimum tempus typis excudebatur. Difficillimum vero fuit ad verum ejus auctorem pervenire. Nam ne-

əque impressionis locus *Bullonium*, libro appo-
tus, alius, quam fictus erat. Cur tamen cupi-
ɔs lectores hic ejus liber nactus sit, ipse deinde
iam in suis literis, quarum adhuc deinde men-
› uberior fiet, declaravit: *Quod novitatem,*
quit, *spirarent* (scripta ipsius) *et excutiendæ*
ntificiæ auctoritati ansam præbere possent,
o perverso hujus seculi genio, avide ubique
cepta, et citius, quam credibile est, quaqua
rsum pervulgata essent.

Summa doctrinæ Febronii hæc est, Potesta-
n regendi, et præscribendi a Christo non uni
mini, qui infallibilis sit, esse datam, verum
:i Ecclesiæ, cujus potestatis tantum administri
ıt Episcopi, atque ipse etiam Romanus Ponti-
c vice fungentes Ecclesiæ, nec alia ratione
æcellere hunc ceteris Episcopis, quam quod
ter administros, et vicariam Ecclesiæ potesta-
m exercentes locum teneat primum. Deinde
imatum Ecclesiæ, quod omnino consequens est
priore assertione, non esse alligatum Ecclesiæ
ɔmanæ, sed quem Romanus Episcopus, quem-
modum tantum habeat ab Ecclesia, ita amitte-
possit, quamprimum placeret Ecclesiæ, hunc
ansferre ad Episcopum alium. Primatus ejusdem,
opum esse, ut unitas servetur Ecclesiæ. Itaque
ɔc alia jura, ad Primatus essentiam pertinentia
se, quam ea, sine quibus unitas Ecclesiæ con-
ıre non possit. Definit postea Primatis hæc es-
jura, præsidere in oecumenicis conciliis, at-
ıe hæc, dum opus esset, convocare, statuta Ec-
ɔsiæ tueri, atque pro his vigilare, propenere
offerre iisdem Conciliis, quæ nova statuta velit
ndi, exigere ab Episcopis relationem de rebus,
ıæ contingunt in Ecclesia, denique legibus sol-
vere-

vere in iis casibus, in quibus ipsum oecumenicum concilium censet, hoc facturum fuisse. Id autem, quod Romanus Pontifex, tamquam Primas Ecclesiæ decerneret in rebus Fidei, tantum evadere tunc certum, firmum, postquam consensus accessisset aliorum omnium Episcoporum, ipsiusque Ecclesiæ. Idem Febronius ponit æqualem potestatem in omnibus Episcopis, idque in universam etiam Ecclesiam, tamquam ex instituto Christi, atque eo etiam magis in suis dioecesibus, quæ sint constitutæ solummodo jure humano, agendi omnia, et absque ulla obligatione in quibusdam casibus, etiamsi hos sibi Romanus Pontifex reservasset, recurrendi ad eumdem Pontificem. Cetera autem, ut confirmare electos Episcopos, appellationes recipere, esse nonnisi adventitia Romani Pontificis jura, Isidori Decretalibus inædificata, et quoniam harum falsitas jam sit demonstrata, neque Romanum Pontificem posse sibi jura illa vindicare, nec Episcopos debere esse desides in his resumendis.

Sicut vero hic liber Febronii cupidos reperit lectores, ita neque defuerant, qui adversus eum illico insurrexerint, atque refutare instituerint. Febronius autem his, ne videretur succubuisse alios, atque alios libros opponebat, semperque rursus sub ficto alio nomine, Theodori a Palude, Huli Jordani, Joannis a calore eum in finem, ut res speciem haberet, quasi alii viri docti in sententiarum ejus defensionem operam etiam suam junxissent: et cujusmodi liber est, qui *Febronius Abbreviatus* vocatus est ab eodem Febronio, sic vero compositus, quasi ejus compositor fuisset quispiam alter. Sed et Clemens XIII. Rom. Pont. jam anno altero, postquam in lucem pro-

odiit, Febronii librum damnavit, et confixit, da-
ique literis ad Archiepiscopos, et Episcopos Ger-
aniæ, monuit, *Ut quamprimum teterrimum li-
um a Fidelium oculis, ac manibus submoverent:*
uod et factum ab his per Pastorales emissas ad suas
œceses, sedulo, ac diligenter est. Non cessit vero
ebronius sive rationibus, et argumentis adver-
um se prolatis ab iis, qui contra ipsum scripse-
int, sive etiam Romani Pontificis, et Episcopo-
um, qui Pastorales adversum ipsum ediderant,
uctoritati. Ne tamen videretur non habere re-
erentiam Sedi Apostolicæ, Epistolam vulgavit,
elut cujusdam anonymi, et fortuito in agro Mo-
untino repertam, in qua Papæ ministros accusat,
uod ad Breve illud Apostolicum edendum ipsum
duxissent, cœci ad videndam veritatem, acti
alevolentia, et invidiæ livore, atque astutia
si ad subducendum librum ex oculis, in quo-
sorum, tanquam in speculo, cernerentur, ipsi-
sque Curiæ Romanæ maculæ.

Jam adverterat ipse etiam Clemens Wences-
us Archiepiscopus Trevirensis sub Febronii no-
ine latere Hontheimium, nulla tamen ei suppe-
ebant certa argumenta ad eum convincendum,
i vellet negare: et is etiam metus ipsum sollici-
um habebat, ne si appellaretur, jam multos po-
entes fautores nactus, prorumperet in majorem,
eposita etiam verecundia, audaciam, et obstina-
ionem. Leniter vero hunc attrectans, reperit ni-
nis modestum, et cedentem facile suis monitis;
tque obsecrationibus. Retractavit itaque suas as-
ertiones: ejusque hanc retractationem Archiepi-
copus idem Trevirensis die 15. Novemb. 1778.
nisit ad Pium VI. Papam. Idem Hontheim ea
nodestia fuit, ut agnoscens errorem suum ad di-

œcesim Trevirensem encyclicas literas miserit, in quibus suum confitens errorem et veniam petens, quod offendiculum ipsis præbuisset, omnes monuerit, ut ab ipsa etiam suorum scriptorum lectione abstinerent, atque sibi vetitam esse scirent. Etiam Pontifici Romano spopondit, se opus elucubraturum novum, in quo illud prius per seipsum etiam confutaturus sit, si vita ei suppetierit, quippe jam grandaevo: quemadmodum nec rem perfecit morte præventus. Hæc retractatio Hontheimii invisissima erat iis, qui proni exceperant ipsius ad Romani Pontificis jura, et Ecclesiæ regimen convellendum comparatas sententias. Itaque rumorem sparserunt, suam retractationem non fuisse sincere factam, et ex animo. Nihil vero protulerunt, quo hoc probassent saltem vel tenuissime. Hi ad enervandam illius retractationem libellum ediderunt, hanc inscriptionem gerentem: *Justini Febronii Icti Commentarius in suam retractationem*, et quasi ab ipso Febronio Pio VI. Cal. Novemb. 1778. missam, in quo sententiis, quas retractaverat, quæsiverit vigorem priorem restituere. Eorumdem vero artificum etiam iste Commentarius, quibus auctoribus disseminatus erat ille rumor, tam male consutus est, ut is ipse, qui hunc confecit, statim in præfatione sua prodat alium se esse, quam Hontheimium.

Jam in primo suo libro de Statu Ecclesiæ, et legitima potestate Romani Pontificis, cum nihil adhuc de retractatione sua cogitasset, confessus erat Cap. 8. §. 1. quod si in eo erraret, quod sibi fundamentum posuerat totius sui moliminis, potestatem, qua regitur Ecclesia, a Christo datam esse Ecclesiæ, quam tantum Pontifex Romanus administret vice Ecclesiæ, se etiam in ceteris omni-

omnibus scripsisse totam errorum congeriem. Sunt ipsius Febronii verba. Evidentissimum vero est, quod ipsi etiam Protestantes dant, Petro dictum esse: *Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum.* Matth. 16. v. 18. et rursus: *Dixit ei: Pasce oves meas* Joan. 21. v. 11. Sed neque de hoc dubium relinquunt hæc verba Concilii Florentini in decreto Unionis: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Nam ipsius Christi Vicarium esse Romanum Pontificem definivit Concilium Florentinum, et ipsi in B. Petro ab eodem Christo pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam plenam potestatem traditam esse. Isne igitur tantum suam ab Ecclesia habet potestatem, atque hujusne tantum vices administrat? deinde huncne in potestate potest circumscribere Ecclesia, quam plenam a Christo accepit? et plenane erit, nisi hæc ejusmodi fuerit, ut ei nihil superaddi possit, adeoque suprema, omnes obstringens, et obligans, et ultra quam in ejusdem summi Pontificis decretis iri non possit? Jam vero hinc velut fundamento totius suæ doctrinæ, potestatem, qua regitur Ecclesia, esse Ecclesiæ a Christo datam, non directe Petro, et in Petro Pontifici Romano, deduxit cetera sua omnia. In hoc erravit Febronius. Igitur, ipso etiam fatente in omnibus etiam reliquis, quæ docuit,

cuit, et asseruit, scripsit totam errorum con
riem.

Hunc deinde librum suum composuerat
bronius ad reuniendos dissidentes in Religi
Christianos, quemadmodum professus est in
fronte, Protestantes autem præcipue design
sejunctos ab Ecclesia Catholica. Qui cum nol
recognoscere in Romano Pontifice Primatum
risdictionis supra universam Ecclesiam, idci
in gratiam eorumdem Protestantium, talem
suerat Romani Pontificis Primatum, qui pla
ret ipsis etiam Protestantibus, ei detrahendo
testatem supra universam Ecclesiam, nec ali
ei relinquendo, quam quisque alter habeat E
scopus, et in qua ipsa pendeat ab Ecclesia,
pote quam et ab Ecclesia habeat, et in cujus
ministratione, solummodo vices ejusdem Eccle
agat. Talem sibi regendæ Ecclesiæ apud se f
mam instituerunt etiam Protestantes, totam
testatem ponentes in populi communitate, e
qua hanc ipsi etiam habeant eorum Superint
dentes. Primatum jurisdictionis Christus insti
in Ecclesia ad servandam ejus unitatem. P
Cathedræ inseparabiliter adhærendum esse, l
jusque judicio in fide Divina necesse esse nos u
ri, ad quod judicium si consensio partium
quireretur, januam fore aperiendam manife
rebellioni, vidimus jam superiore §pho docui
Bossuetum in celebri illo Sermone de Unit
Ecclesiæ. Inter ipsos etiam Apostolos propte
Unum fuisse electum, ut capite constituto sch
matis tollatur occasio, est assertio etiam S. H
ronymi lib. 1. cont. Jovinian. *Solus Petru*
ait etiam S. Augustinus Serm. 28. de Sanctis
ter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus,

sic

supra hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Petra autem *dicitur Petrus*, quæ sunt verba S. Ambrosii Serm. 4. *eo, quod tamquam immobilem totius operis Christiani compagem, molemque sustineat.* Petram, supra quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, subvertendo Febronius volebat Protestantes reducere ad Ecclesiam Catholicam: isto autem subverso fundamento nec Ecclesia staret, nec Febronius Ecclesiam habuisset Catholicam, ad quam Protestantes posset inducere, si voluissent per eum reduci. Tantum vero abest, ut aliquid hac ratione Febronius etiam erga Protestantes profecerit, ut hi ab eo invitati ad reditum, postquam ipsis obtulisset Primatum Romani Pontificis, talem a se factum, qualem sciret eos velle, ut ei aperte declaraverint, se tamen ideo ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ non esse redituros. Nam esse præterea multa alia, quæ ipsos sejunctos teneant ab Ecclesia Catholica. Hic fructus erat, quem Febronius retulit a Protestantibus. Reunire, illius utor verbo, Protestantes voluit, qui illud ibat subversum, in quo Christus unitatem suæ Ecclesiæ, et Religionis constituit. Non Catholici sua temerando fidei dogmata, quale est etiam, Romanum Pontificem tenere Primatum supra universam Ecclesiam, debent transire ad Protestantes, ut hi cum illis veniant ad unitatem; sed Protestantibus revertendum est ad Ecclesiam Catholicam, a qua recesserunt, et a cujus unitate se sciderunt.

Nihilominus doctrina Febronii, quamvis hanc ipse etiam recognoverit Febronius falsam, damnaveritque, non perdidit suos patronos, et fautores, et quamvis ab Apostolica Sede etiam esset damnata. Quærunt autem modos, quibus speci-

em

em ei dent bonam, neque volunt videri, quidquam agere adversus debitam Sedi Apostolicæ obedientiam. Eadem doctrina occupavit Professorum cathedras in Universitatibus, et academiis, perquam multis. Post multos, qui adversus Febronium scripserunt, ego quoque concinnavi Dissertationes octodecim, quibus titulum dedi in selecta argumenta Historiæ Ecclesiasticæ. Has vero direxi ad ea expendenda, cujusmodi sint, quæ nunc in Jure Ecclesiastico venditantur juxta modulum Febronii, inprimisque in Dissertatione 13. et 15. de Concilio Constantiensi, et Florentino. Adversum has Dissertationes meas, quæ voluminibus continentur duobus, et a. 1820. typis editæ sunt, statim subsequente anno 1821. prodiit libellus sub hoc titulo: *Responsum Adami Brezanóczy I. U. Doctoris in Reg. Scientiar. Universitate Pestiensi Juris Ecclesiast. Professoris P. O. datum Joanni Nep. Alber, de nonnullis Juris Ecclesiastici sententiis.* Hominem pupugerat, quod in meis Dissertationibus ex ipsius Institutionibus Juris Ecclesiastici Pestini a. 1818. editis produxissem sententias non tam illius, quam Febronianas, ut secundum eum, quem præstitueram mihi finem in meis Dissertationibus, illas in trutina suspenderem Bonus vir neque habuit causam, cur id, quod feceram, moleste deberet ferre. Cicero *Tantum abest*, inquit Tuscul. Quæst. lib. 2. cap. 2. *ut scribi contra nos nolimus, ut id maxime etiam optemus. In ipsa Græcia Philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissensionibusque viguisset, - - - Nosque ipsos redargui, refellique patiamur: quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam, destinatisque sententiis quasi addicti, et consecrati*

sunt.

Et refellere sine pertinacia, et refelli sine *ndia parati sumus.*

Dissertationibus meis est anteposita imago, tum repræsentans, dantem claves Petro. hæc istum Jurisconsultum offenderat, quod Petrus in hac esset claves accipiens, non una i etiam Apostoli, eamque velut vitiosam re- enderat, quia dum Christus claves dedisset , etiam illi præsentes fuerint. Me etiam ta- intelligitur, quæ hinc ipsius sententia se iderit: atque hanc Institutionum suarum Part. g. 89. diserte ille ita expresserat: *Episcopi imævæ institutionis habent jus exercendi po- tem in toto orbe. Episcoporum potestas in re Pastorali est æqualis. Succedunt enim stolis, quorum quoad munus Apostolicum par eademque potestas. - - - Hæc tamen Epi- rum æqualitas intelligenda est salvo Prima- omani Pontificis. Etenim etiam Apostolorum tas fuit æqualis salvo Primatu Petri.* Dis- tionis autem meæ XV. §. 5. cum hæc illius a produxissem, quibus adstruxit æqualem oporum potestatem, addendo: *Salvo Pri- Romani Pontificis*, ego quæsiveram ex eo- , iste Primatus Romani Pontificis, quo salvo lis sit Episcoporum in munere Pastorali po- s, habeatne aliquid supra æqualitatem cum is Episcopis, vel non? Postea autem sic ar- entatus eram: Si Romanus Pontifex vi sui atus aliquid habet supra æqualitatem cum is Episcopis in munere Pastorali; ergo hi in ere Pastorali non sunt Romano Pontifici ales: si vero nihil habet supra æqualitatem, ndo, Primatum se salvum relinquere Roma- ontifici, nonnisi fucum facit, cum in hoc Pri-

matu,

matu, quem se dicit, Romano Pontifici dare, nihil tamen supra æqualitatem sit. Hinc vero ulterius procedens, cum dogma Fidei sit, utpote res a Concilio etiam Florentino definita, Romanum Pontificem habere Primatum jurisdictionis, et plenæ potestatis supra universalem Ecclesiam, feceram conclusionem, assertionem istius æqualitatis Episcoporum aliorum cum Romano Pontifice in munere Pastorali consentaneam haud esse Orthodoxæ fidei. Dum igitur hic Jurisconsultus se dixit, stupuisse ad illam imaginem, quæ repræsentat Christum, soli Petro claves dantem, omnino stupendum est, ipsum stupuisse, et attonitum hæsisse. Obstupuit enim ad id, quod Scriptura, quod Patres, quod Concilia eadem de re habent. Etiam illud facile intelligetur, eum, qui stupuit ad adspectum illius imaginis, magis debuisse stupere ad hanc, quam ei feceram contra æqualitatem Episcoporum cum Romano Pontifice argumentationem. Ne tamen non orthodoxe hanc æqualitatem videretur adstruxisse, repetit identidem illud *Salvo Primatu:* ad argumentum vero declinavit respondere. Sic fecit in omnibus suis responsis, illud idem, quod jam habuit in Institutionibus sui Juris Ecclesiastici solum modo repetens, ad argumenta numquam directe respondens, et sæpissime hæc nequidem attingens. Huic assertioni, potestatem, qua regitur Ecclesia esse datam proxime Ecclesiæ, et nonnisi per hanc Petro; superaedificant Febroniani, omnia sua. Confessus vero ipse Febronius est, Si in hoc falleretur (§pho superiore) se etiam in ceteris omnibus scripsisse totam errorum congeriem. Aliane igitur erunt ipsum sequentium judicia? De Febronianismo tractat mea etiam Dissertatio in Selecta argumenta Hist. Eccl. tota, quæ decima octa-

va

a est, multaque plenius in hac exponuntur, quam nt posita in hac historia. Etiam de Isidoriana ecretalium Collectione tractat mea tota Dissertio XII. quam sibi Febronius, ejusque sequaces osuerunt pro fundamento: quæ patefaciet, qua: etiam hoc sit fundamentum.

§. 51.

De Nunciaturis Apostolicis in Germania, et molitionibus adversus eas. De Conventiculo Emsiano.

Jam seculo Ecclesiæ quinto S. Leo Papa, cognomine Magnus habuit Constantinopoli in aula Marciani Imp. Julianum Episcopum Coensem legatum suum, de quo Epist. 84. *Edit. Tirnav.* ad eumdem Marcianum scripsit: *Vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum, pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi. Cujus suggestiones pro concordia Catholicæ unitatis, tanquam meas, audire dignemini.* Hi antiquitus Apocrisiarii, vel Responsales vocabantur. Hos postea Romanus Pontifex in aulis etiam Regum, aliorumque Principum habere cœpit. Nunc hi solent vocari Nuncii Apostolici. Tres tales habere cœpit Germania statim post Concilium Tridentinum: quos jam tunc etiam alibi fuisse evidenter apparet ex ejusdem Concilii Trident. *Sess.* 22. *de Reform. Cap.* 2. *et* 7. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 20. Ubi dicitur, instructionem de dotibus electi ad Ecclesiam Cathedralem, Romam mittendam Nuncium Apostolicum sumere debere ab ejus Ordinario, atque hoc deficiente a vicinioribus Ordinariis; eosdem nun-

nuncios in appellationibus ad se factis teneri ad servandam earum formam per Canones præscriptam, tantumque cavetur, ne Episcoporum ordinariam jurisdictionem impediant in iis etiam causis, quas Canonicæ sanctiones reliquerunt Episcopis, et ad Apostolicam Sedem deferri non jusserunt.

Prima Sedes Nuncii Apostolici fuit instituta Græcii in Stiria a. 1564. per Carolum Archiducem Ferdinandi I. filium, ne errores damnati in concilio Tridentino serperent, et ea, quæ morum reformatio præscripta fuit ab eodem Concilio, induceretur. Hujus Nuncii sedes deinde a. 1621. Græcio translata est Viennam in Austria. Altera in Helvetia, idque auctore S. Carolo Borromæo, ut refert Continuator Fleurii *Tom.* 49. *pag.* 562. qui Gregorium XIII. Romanum Pontificem oraverit, ut ad hasce regiones Nnncium decerneret Apostolicum. Tertia Sedes Nuncii Apostolici constituta Coloniæ est. Cujus origo ea fuit. Gebhardus de Truchses Archiepiscopus, desertor Religionis factus, et sacrilego connubio sibi copulata Agnete Mansfeld, virgine Deo sacrata, suos etiam subditos inducere conabatur ad Lutheranismum. Hunc Gregorius XIII. Papa exauctoravit, et instituit, ut iis in locis Nuncius Apostolicus resideret. Ad hos Nuncios causæ deferebantur, quæ secus Romam deferri debuissent vi Canonum, et quas vice Romani Pontificis, in quantum se extenderet potestas, quam sibi delegatam habebant. Solus Archiepiscopus Salisburgensis tenebat, ut a sententia illius non ad Nuncium, sed ad ipsam Apostolicam Sedem appellatio fieret.

De his Nunciaturis, ut eas vocant, non medio-

diocris excitata est controversia in Germania a. 1760. Spiræ inter Collegium Canonicorum, et ejus Decanum Augustum e familia Comitum Styrum enatum erat dissidium, atque hunc munere suo privaverat Capitulum Episcopo Spirensi Cardinali de Hutten Capitulo assentiente, nequidem judicio facto aliquo. Decanus appellavit ad Archiepiscopum Moguntinum, sub cujus Archiepiscopatu Spirensis erat Episcopatus. In Germania Decani Cathedralis officium est, moribus Cleri invigilare in civitate, in qua Cathedralis Ecclesia est cum potestate etiam a proventibus suspendendi, et censura afficiendi delinquentes. Præter hunc sunt alii Decani dicti Rurales, quibus idem officium est, quod in Hungaria iis, qui dicuntur Vicearchidiaconi, uni districtui Parochorum præpositi. Eandem appellationem fecerat ipsum quoque Capitulum. Moguntinus Archiepiscopus, Fridericus Carolus de Erthal is erat nomine, habito judicio Decanum reponi jussit in eum statum, in quo ante erat. Episcopus Spirensis, et Capitulum, non contenti sententia, causam Romam detulerunt. Quod invitissime ferens Moguntinus illam, suffultus Caroli Theodori Electoris Palatini ope, ad seculare forum devolvit. Roma causa remissa est, ut quoniam in primo foro prætermissum esset de hac judicium Decano ad munus suum reposito, hoc judicium primum fieret in hocce foro Episcopi Spirensis, hinc vero fieret appellatio, si ita visum esset litigantibus, ad Archiepiscopum Moguntinum, ac demum, si hi neque istius acquievissent sententiæ, eadem deferretur decisionis causa ad Sedem Apostolicam.

At vero hac tam æqua ratione, qua omnibus suum jus conservari volebat Pontifex, Moguntinus

nus contentus haud erat. Id destinaverat animo, ut nulla neque Romam ad Papam, neque ad ejus Nuncios fieret ulla ex Germania causæ delatio. Primum in partes suas trahere studuit etiam Metropolitas alios; deinde ipso auctore anno 1764 Conventui Francofurti, in quo Josephus II. erat electus Rex Romanorum, Car. Theodorus Elector Palatinus obtulit *Monitorium Palatinum*, sic enim ejus scriptum fuit vocatum, atque hoc petiit, ut negotia omnia Ecclesiastica per judices, a natione Germanica delectos dijudicarentur, neque in his iretur vel ad Curiam Romanam, vel ad Apostolicos nuncios. Res non ita cessit, quemadmodum speraverat Moguntinus qui eam conceperat. Refragabantur etiam ipsi Principes Protestantes. Esse enim hoc contrarium Paci Westphalicæ, qua constitutum sit, ut jura sua cuivis Religioni, comprehensæ in illa pace, intacta serventur. Hoc suæ religionis causa fecerant. Videbant enim, si jura, quæ vigebant in Ecclesia Catholica, atque ipsius etiam Romani Pontificis attentassent, neque, quod ipsi haberent sibi datum ab eadem Pace Westphalica, futurum stabile, et firmum. Ipse etiam Elector Palatinus non tantum recessit a factione Archiepiscopi Moguntini, verum etiam, Maximiliano Josepho mortuo, hæres factus Bavariæ, a Romano Pontifice Nuncium sibi expetiit, qui resideret Monachii, quem etiam obtinuit. Et quod plus est, statutum insuper est, causas solummodo profanas non pertinere ad tribunal Nunciorum Apostolicorum, *Causas* vero *Ecclesiasticas legitime a secularibus distinguendas, atque in dubiis casibus cum sancta Sede amicabili modo tractandum esse, ut cuilibet judicio, tam Ecclesiastico, quam civili suum integrum jus, et jurisdictio servetur.* Historisch-kano-

nische Abhandlung von den Legaten, und ncien der Päpste.

Res per mutuam consensionem composita est er Decanum, et Capitulum Spirense, ipso etiam chiepiscopo Moguntino nihil habente in contrárium: quin mortuo Episcopo Spirensi, et Cardili de Hutten idem Decanus Augustus, Comes Styrum, suffectus in ejus locum est.

Neque tamen is conatus tollendi Nunciaturas siit. Coburgi a. 1769. in Franconia conventum lebrarunt factionis adversum has Nunciaturas ictores Archiepiscopi, missis eodem suis legatis. iginta capitibus complexi sunt ea, quasi quibus avaretur Germania per Curiam Romanam, et iserunt ad Josephum II. petentes, ut se adversus hanc tueretur, et Nunciaturæ omnes ex Germania arcerentur. Qui vero primo respondit, ad ea, de quibus quererentur non posse immittere, sed svasit, ut quisque illorum querelas tas ad Papam deferret, sed postea die 12. Octob. 785. rescriptum fecit, quo Nunciis Apostolicis mnem jurisdictionem, idque in Spiritualibus, brogavit. Pius VI. Archiepiscopos Moguntinum t Salisburgensem speciatim memorat, et rearguit, quod Josephum Imp. ad illud, quod egit, oncitaverint. *In Respons. ad Metropolitanos Mount. etc. super Nunciaturis. Romæ.* 1789. Anno ubsequente Emsiæ loco thermis claro, in Comitatu Nassoviæ quatuor Archiepiscopi *Moguntinus* rid. Car. de Erthal; *Trevirensis,* Clemens Wenceslaus Dux Saxoniæ; *Coloniensis* Maximilianus ranciscus Archidux Austriæ Josephi II. Imp. frar, natus a. 1756. a. 1769. Archiepiscopi Coloniensis factus Coadjutor, demumque ejus in Archi-

chiepiscopatu Coloniensi a. 1784. successor, et *Salisburgensis* Hieronymus de Colloredo per suos procuratores, quasi aliud agentes, et ad balneum tantum casu convenientes, elaborarunt tria, et viginti puncta, quibus formam descripserunt tractandi negotia Ecclesiastica deinceps in Germania. In quae cum consensissent iidem Archiepiscopi, statim inceperunt hanc quam prius a Romano Pontifice petere solebant potestatem faciendae gratiae in matrimonii impedimentis, quam Romanis Pontificibus debitam, agnovit etiam Concilium Tridentinum, per seipsos exercere. Nuncius Apostolicus Coloniensis, monuit Parochos, ne ejusmodi matrimoniis invalidis assisterent. At vero illi omni excussa erga Apostolicam Sedem reverentia, Parochis injunxerunt, ut etiam ipsas literas hac de re a Nuncio acceptas eidem remitterent, et ne posthac quidquam ad se missum a Sede Apostolica, nisi obtenta prius facultate a suo Archiepiscopo suo ciperent. Qui vero tres jam priores Nunciaturas in Germania sublatas esse volebant, eo magis ringebantur, quod nova adhuc etiam accessisset Nunciatura Monachii. Julius Caesar Zoglio nondum Monachium advenerat, quem Pius VI. eo Nuncium destinaverat, cum iidem Archiepiscopi, datis ad eundem Pium literis, quaestionem ei ponerent, num facultate, et potestate aliqua instructus et quali, venturus esset. Nam, si cum facultate, et potestate veniret, id futurum contrarium juri tam publico, quam privato libertatis Germanicae.

Ad has literas, spiritu oppositionis scriptas, Pius mansvetissimum responsum die 14. Novemb. 1789. dedit, fere uno anno post, quam ab Archiepiscopis literas accepisset. Potuissemus equidem,

em, ait, nulla interposita mora rescribere, si elicto rerum, et rationum examine placuisset obis responsionem dare, quam literæ tuæ postuibant. Ad Archiepiscopum Moguntinum, qui n hac scena primam personam egerat, erat Responsum missum. *Cum enim tu,* ait, *aliis tribus Metropolitanis peteres cujusdam quasi Concordiæ oco, ut nostrum assensum præberemus Nunciaurarum Apostolicarum abolitioni, prompta sane, et expedita occurrebat responsio, neminem unquam petiisse ab altero transigendi gratia totum id, de quo disceptatur.* Ita videlicet circumspecti in scribendo erant, ut hoc ipsum jus in Romano Pontifice agnoscerent, ad quod inficiandum factæ erant illæ ipsorum literæ. Docet deinde Pontifex, sibi facillimum fuisse ostendere, quam absona, et repugnans, et absurda esset ipsorum petitio. Sed ea, quæ ad conflandam in se, et Apostolicam Sedem invidiam, atque odium essent vulgata, esse nimis multa. Nullum enim esse fere tabellarium, e Germania Romam commeantem, qui non *Commentaria, Lucubrationes, Encyclicas,* et alia id genus scripta adferret ad Urbem ita multa, ut omnia propemodum Germanicis rebus, et libris redundarent. Hinc intelligere quemque per se, tantum librorum, querelarum, novitatum, omnia, ut refellerentur, Volumen exposcere. Id, quod etiam præstitit Pontifex, literisque suis adjunxit Volumen sane spissum, trium, et quadraginta philerarum, typisque excusum, in quo jus, et potestatem ostendit, quæ Apostolicæ Sedis sit a primis Ecclesiæ seculis ad hæc usque tempora habendi Nuncios stabili jurisdictione pollentes. Suam deinde declarat fiduciam, fore, ut si hæc rationum momenta perpenderint, non modo nihil obstaculi sint allaturi

Apo-

Apostolicis Nunciaturis, sed has eo, quo decet obsequio culturi, et ab aliorum adgressionibus tuituri sint. Obsecrat quoque eosdem, ne Ecclesiam tantis afflictam ærumnis, novo dolore cumulent, cui nihil accidere exitialius possit, quam ut membra adversus Caput prælientur. Tollerent e medio novitates, atque factis probarent illam, quam erga Matrem se fovere observantiam affirmassent, atque jus agnoscerent, quod Divina institutione cum Primatu ipso conjunctum, ac colligatum sit, quodque ipse a se abdicare non possit.

Nec literæ Summi Pontificis, tam amanter scriptæ, nec rationum momenta eam vim apud Archiepiscopos habuerant, ut a coepto desisterent, nisi apud Clementem Wenceslaum Trevirensem, qui etiam in Febronio revocando ab errore, tam se industrium, et Apostolicæ Sedis tam reverentem exhibuerat. Seductus autem nunc in factionem ceterorum Metropolitarum concessit, ut credendum est, invitum magis, quam lubentem. Nam ab illa societate non tantum recessit, verum etiam in eum statum, in quo antea fuerant, omnia in sua archidioecesi restituit. At vero ceteri suo proposito mordicus, et præfracte inhæserunt, ut etiam Josephum Imperatorem induxerint ad scribendum Carolo Theodoro Electori, ne Nuncium in Bavariam a Pontifice missum auctoritatem ullam sineret exercere in ditione Juliacensi, et Bergensi. Electoris responsum fuit, ad hoc, ut in jure, quod exerceret in suo territorio, circumscribatur, requiri legem a Cæsarea Majestate una cum toto Imperio, hujusque consensu constitutam. Cumque iidem Archiepiscopi non desisterent coepto insistere apud Josephum Imp.

is

is causam misit ad Ratisbonensia Imperii comitia, quæ illic, vigente eodem Germanico Imperio, stabilia habebantur, ista ut suam super hac causa de abrogandis Nunciaturis mentem aperirent. Leopoldus II. Imperator, dum 1790. Francofurti inaugurararetur, et juxta formulam sibi propositam jus jurandum concepisset, obligavit se ad illud, quod in Ratisbonensibus Comitiis judicatum esset de Nunciaturis, quam primum in effectum deducendum. Mors illum, cito secuta non permisit exequi, ad quod se etiam sponsione obstrinxerat. Brevi res eæ secutæ sunt per bella eidem Germaniæ a Gallis illata, quæ Germaniæ totam mentem aliorsum converterant: nec quidquam etiam boni habuisset, adgredi abolitionem Nunciaturarum. Jam enim plerique Episcopi Germaniæ, etiam ii, qui consentire videbantur illis quatuor Archiepiscopis, se in obedientia Sedis Apostolicæ fixerant, convicti rationibus, quibus jus hoc Apostolicæ Sedi asseruerat Pius VI. in illis literis, et Volumine his adnexo ad illos Archiepiscopos. Malebant enim suum confugium retinere, si ita casus ferret, ad Sedem Apostolicam, quam ita subjici suis Archiepiscopis, ut ab his provocandi ultra facultatem non haberent. Quippe legerant in illo Volumine: *Vos, et Vicarii vestri a nostris Nunciis fuistis saepius admoniti*, (ad illos Archiepiscopos est directa Oratio) *ut absineretis ab Apostolicorum jurium invasione, ex qua tantum detrimenti, et calamitatis in Ecclesiam, et in Rempublicam ipsam importabatur. Sed tantum abest, conatus Summi Pontificis fuisse obsecundatos, ut Archiepiscopus Coloniensis respondere Nuncio Apostolico non dubitaverit, Ratas jam, fixasque esse plures rerum mutationes, quæ ad omne dispensationum genus*

pertinerent. Ignorabamus sane per id tempus et ipsa natio Germanica ignorabat, quales na[...] essent hujusmodi rerum mutationes, quas init[...] inter vos foedere constitueratis, cum obstupescen[...] tibus nobis, et ipsa natione Germanica obstupe[...] scente, auditum est, coactum fuisse VIII. Ca[...] Sept. a. 1786. *per vestros ministros clam, et oc[...] culte in oppido Emsensi quoddam quasi conven[...] ticulum, vestro nomine, et amplitudine prorsu[...] indignum: cujus quidem deliberationes statim a[...] prodierunt in lucem, satis, superque patuit, qu[...] vestra consilia, quo cur , quo molimina vestr[...] spectarent: ad deprimendam nempe, atque elevan[...] dam Sanctæ Sedis auctoritatem, nòn quoad Nun[...] ciaturas modo, sed quoad appellationes quoque[...] et cetera omnia jura Primatùs. Qua in re mo[...] lienda auctorem secuti estis eum, cujus doctrinæ a doctrina Ecclesiæ prorsus alienæ fuerunt Sacra Sede damnatæ, et ab ipsis Germaniæ Epi[...] scopis, atque Archiepiscopis reprobatæ.* Justi[...] num Febronium hunc auctorem designavit: *Au[...] ctoritate enim Sacræ Sedis depressa, aut immi[...] nuta, et Nunciis expulsis, facile vobis persvade[...] batis, fore, ut Metropolitanorum auctoritas au[...] ctoritati pontificiæ exæquaretur in omni genere dispensationum, et in aliis facultatibus quibus[...] cunque, ex quo facilis vobis aditus pateret ad quemdam quasi dominatum assequendum in Suf[...] fraganeos, et in diœceses, alienis, etiam ditioni[...] bus aliquando subjectas, et lata aperiretur via ad novas Seculi doctrinas per Germaniam impor[...] tandas, et disseminandas.* Iidem Archiepiscopi, quamvis in dispensationibus impedimentorum ma[...] trimonii noluissent pendere a Romano Pontifice; tamen Episcopis suffraganeis suis hanc non per[...] miserunt, sed a se peti voluerunt, et subjectio[...] nem,

rum, quam sibi ab inferioribus præstari voluerunt, hanc Romano Pontifici capiti universalis ecclesiæ exhibere noluerunt, opum potentia sua se rapti. Seipsos in potestate Romano Pontifici æquarunt, quam tamen æqualitatem aliis Episcopis concessam esse noluerunt. Hi autem Archiepiscopi, qui cum injuria Sedis Apostolicæ extollere voluerant, etiam id, quod habebant, amiserunt, extorres per Gallos suis Sedibus facti, ditionibus, quarum opimis proventibus inflati erant, privati. Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus, cum simili ambitione quæsivisset se efferre, et potestatem Romani Pontificis, ingentem, vi Primatus, in Oriente ad se trahere, scripsit S. Leo M. ad Marcianum Imperatorem, cujus opera id volebat consequi: *Multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. - - - Nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento mire posuit, stabilis erit ulla constructio: sed propria perdit, qui indebita concupiscit.* Epist. 78. *Edit. Tirnav.* Aquilinus Cæsar scripsit ex professso de Nunciaturis in libro: Geschichte der Nunciatur, et Philip. Jac. de Huth. Versuch einer Kirchengeschichte des 18. Jahrhund. Tom. 2. pag. 468. et nonnulli alii.

§. 52.

De Synodo Pistoriensi.

Nec in aliis locis omnibus quietis licuit esse Nunciaturis. In Portugallia, quamdiu Josephus Rex Portugalliæ superstes in vita fuit, nulla Nuncio relicta est auctoritas. Pariter in Hispania,

et Neapoli illa constringi coepit. Magnus Dux Hetruriæ Leopoldus denunciavit Nuncio Apostolico se se illum deinceps habiturum nonnisi pro ministro politico Status Ecclesiastici. Classicum non solis Episcopis cecinit Febronius, ad exsurgendum adversus Romanum Pontificem, sed aperte ad hoc animaverat, et excitaverat ipsos etiam Reges et Principes. Hinc in pluribus provinciis hi sibi sumpserunt reformare ea, quæ sunt Religionis prout crederent sibi, et suæ potestati politicæ magis conducere, dum in hoc Jure, quod concinnaverat Febronius, docetur, Religionem pro adminiculo ad felicitatem temporalem regnorum habendam esse, ne dicam pro ancilla tanquam ad finem, ad quem omnia sua consilia in gubernando dirigere debeant, et qui proinde vi istius finis sui ad ea etiam, quæ Religionis sunt, in quantum attingunt hunc finem felicitatis temporalis regnorum, jus proprium, et potestatem habeant. In Dissertatione XVII. mea in Selecta argumenta Hist. Eccl. §. 2. expendi hanc etiam assertionem istorum Jurisconsultorum. Docui vero hoc spectare non ad dignitatem Principum tuendam, verum deprimendam, utpote, qui longe excellentiorem in gubornandis populis habeant sibi datum finem dicente S. Paulo: *Dei enim minister est tibi in bonum - - - vindex in iram ei, qui malum agit.* Rom. 13. v. 4. Attamen abuti potuerunt auribus quorumdam Principum: unde secuta sunt, quæ ipsi etiam deinde iidem Principes usu deprehenderunt, non bene sibi consulta, et revocaverunt.

Leopoldus Magnus Dux Hetruriæ, deinde factus Imperator, literas ad Episcopos Hetruriæ dederat, ut horum quisque synodum diœcesanam cele-

elebraret, nec non argumenta rerum miserat e quibus deberent deliberare, septem, et quinquaginta capitibus comprehensa, ut hac consultatione facta in synodis dioecesanis, synodus Episcoporum deinde fieret totius Hetruriæ. Solus Scipio de Ricci Episcopus Pistoriensis synodum dioecesanam die 18. Septemb. 1786. instituit, reliqui super illis capitibus sua sensa absque synodo Magno Duci, quidam nequidem aliqua consultatione instituta cum aliis, declaraverunt. Convenerant Pistojam sive Pistoriam vetere vocabulo, ad synodum Canonici 14, Parochi 171, Capellani 14, alii Presbyteri seculares 22, Regulares diversorum Ordinum 13. Septem ejus sessiones fuerunt. Talem sibi arrogavit auctoritatem hæc unius dioecesis synodus, atque hujus etiam perparvæ, ut ea etiam, quæ in Ecclesia generaliter observarentur, vigerentque, vellet reformare, aut etiam prorsus abolere, et præscribere universæ Ecclesiæ. Ejusmodi erant, solis Dominicis diebus, et nullo alio festo abstinendum esse a labore servili; ut omnes Religiosi ordines redigantur ad unum ordinem, eamdemque regulam, unum nonnisi altare habeat quævis Ecclesia; Missa ut celebretur lingva vulgari, et tota clara voce, Casuum conscientiæ nulla ut fiat reservatio, Episcopi ne obedientiam spondeant, et jurent Romano Pontifici antequam consecrentur, et plura his similia. Octo fuerunt, qui non subscripserint Actis Synodi. Etiam decisiones fidei fecerat eadem hæc synodus, easque præposteras, quarum quinque Pius VI. etiam ut hæreticas damnavit per Bullam: *Auctorem Fidei* die 28. Aug. 1795. Etiam de Quesnelli Operibus judicium tulerat, plena esse veræ, et sanæ doctrinæ, nec non plura alia ap-

pro-

probavit, quæ reprobata, et damnata jam erant per Apostolicam Sedem.

Decisiones, et statuta sua Synodus misit Leopoldo, Magno Duci, rogavitque, ut synodum totius Hetruriæ Episcoporum quam primum cogeret ad hæc eadem quæ statuisset, confirmanda. Hoc quemadmodum ostensum est, ipse jam statuerat facere Magnus Dux. Priusquam tamen Synodus hæc fieret, Episcopos omnes Florentiam ad diem 17. Mart. 1787. evocavit cujusdam præparationis causa ad futuram totius Hetruriæ Episcoporum Synodum. Affuerunt tres Archiepiscopi, et quatuordecim Episcopi, secum habentes Theologos, et Juris Ecclesiastici peritos. Sessiones habitæ sunt decem, et novem, et consultatum super iis, quæ et a Magno Duce erant missa jam ante ad Episcopos, velut argumenta rerum tractandarum in synodo, et quæ a synodo Pistoriensi facta erant statuta. Quoad hæc autem non convenerunt inter se Episcopi. Magnus Dux videns idem futurum, si haberetur Synodus, quam habuit præmeditatam, ultra nihil egit pro hac synodo. Non mediocrem vero admirationem excitaverat, quocunque ejus fama pervenerat, talia ausam esse. Pius VI. censuræ eam subjecit, tuncque illam Bullam: *Auctorem Fidei*, cujus jam facta mentio est, edidit, postquam Scipio Ricci, Episcopus Pistoriensis frustra ab ipso Pontifice admonitus esset, ut suam illam Synodum retractaret. Inter Propositiones illas quinque velut hæreticas, damnatas, sunt etiam hæ: *Potestas a Deo data est Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum*, et *Romanus Pontifex est caput tantum ministeriale*, intelligitur Ministeriale Ecclesiæ.

Un-

Unde licet rursum videre, cujusmodi merces sint, quæ jam antea in Febronio, aliisque pluribus damnatæ, rursusque in Riccio, venditantur tamen a nostræ ætatis Jurisconsultis. Ipsius Bullæ testimonio assertiones istius synodi Pistoriensis complures sunt Jansenii Baji, et Quesnelli, aliæ Lutheri, Calvini, Wicleffi, et aliorum hæresiarcharum erroribus affectæ. Riccius, quem depositionis ex Episcopatu sententia etiam perculerat Pius VI. tandem ad se rediit opera inprimis Antonii Martini Archiepiscopi Florentini, cujus erat Suffraganeus, et data epistola die 1. Aug. 1799. ad Pium VI. errorem suum agnovit, et deprecatus est, suscepitque Bullam, qua damnata illa synodus est, cum reverentia, et subjectione, cumque damnatione per seipsum etiam errorum qui per Bullam erant damnati. *Philip. Jac. Huth Tom. 2. pag.* 555.

§. 53.

Vicissitudines Religionis in quibusdam Europæ provinciis,

Debes incunctanter advertere, scribebat S. Leo M. ad Leonem Imp. epist. 125. *Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam*, et S. Augustinus lib. 3. cont. Cresconium cap. 51. *In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum quæ pertinent etiam ad Divinam Religionem.* Nullum proinde dubium potest esse, Princi-

ci-

cipes quo majorem impendunt operam amplificandæ Religioni, provehendæ pietati Christianæ, et tollendis naevis, atque abusibus, si qui irrepsissent, eo laudabiliores esse. Sunt autem certi fines in omni re, quos excedere vitiosum est; ita ut ipse Christus servos, volentes evellere zizania in agro, in quo seminatum erat triticum, prohibuerit: Ne forte colligentes zizania, eradicarent simul cum eis et triticum. *Matth.* 13. *v.* 29. Iste ardor quasi magis excolendæ Religionis, et ad ampliorem puritatem provehendæ exstitit præsertim in Veneta Republica, quæ tum adhuc illic forma regiminis erat, in Magno Ducatu Hetruriæ, et in ditionibus Augustissimæ Domus Austriacæ.

Non multo post medium seculi decimi octavi Senatus Venetus ejusmodi egit in rebus Ecclesiæ, quæ insveta, atque insolita magnam admirabilitatem fecerant. Inter hæc maxime notabile est decretum die 7. Sept. 1754. ab eodem Senatu editum, neque cum Patriarcha Veneto, aliisque Episcopis re prius communicata, et aliqua consultatione cum his instituta, tantumque sua sola decretoria auctoritate perque seipsos, quod luberet. In hoc interdicebatur, ne ulla Bulla, atque literæ ullæ reciperentur, missæ a Romano Pontifice absque facultate Senatus, et nequidem Breve Apostolicum, vi cujus possit ordine aliquo sacro initiari aliquis Clericus, inhibebatur, quo minus Patriarcha absque ejusdem Senatus concessione Indulgentias largiretur, vel legis gratiam faceret in impedimentis matrimonii; prohibebatur, ne subditorum ullus Venetæ Reipublicæ in quocumque negotio adiret Sedem Apostolicam, nisi obtenta prius ab eodem Senatu facultate. Bene-

edictus XIV. in literis suis hac de causa missis d Senatum, Excelsa, inquit, Respublica, nihil nagis semper antea abominata est, quam omnem nnovationem, et nunc ipsa incipit nova ordinae, idque in rebus non ad se spectantibus. Beedicto XIV. successit in Pontificatu Clemens XIII. atione Venetus. Ad hujus literas Senatus Veneus decretum illud abrogavit: neque tamen satis præstitit promissam fidem. Nam sub eodem Clenente adhuc plura egit, suæ promissioni non onsona, atque alia super alia edicta fecerat deegationibus Ecclesiis non faciendis, ne personæ tiam Ecclesiasticæ quidquam possent per donaionem accipere iis autem quæ jam possidebant, mposita sunt nova onera, atque tributa; sublae sunt omnes piæ, et ad pietatem fovendam intitutæ Sodalitates, Regularibus, inprimis Cleriis e Societate Jesu sublata facultas concionandi, ublata his exemptio, qua gaudebant Apostolicæ Sedis privilegio, abscissa communicatio cum Orlinis Generali exteræ regionis. Abbatiæ, et Beeficia Ecclesiastica, si horum jus Patronatus fuiset penes laicum, occupata sunt, et Clero ablata, quin et vota ad tempus totius vitæ facta, decrerit esse irrita, ut plura adhuc alia prætereaam, quæ sibi Senatus Venetus arrogaverat. Nec renisit ab hac sua insolentia, donec ipsa etiam deiisset esse Respublica. Obtinebat etiam hic, quod am supra §. 51. allatum ex S. Leone M. est: *Proria perdit, qui indebita concupiscit.*

In Hetruria multa inducta sunt, ob quæ mnino laus Magno Duci Leopoldo tribuenda est, quo auctore facta erant. Nam suis sumptibus Floentiæ exstruxit seminarium Cleri junioris, et ut n aliis dioecesibus idem fieret Episcopos excitavit,

Id

Id quod in votis etiam erat Concilio Tridentino *Sess.* 23. *De Reformat. Cap.* 18. et pluribus anterioribus conciliis. Instituit, ut ad beneficia Ecclesiastica non nisi via concursus perveniretur, quo dignioribus ea, et aptioribus conferrentur. Eidem curæ fuit, ut Catechesis ab omnibus Parochis diebus Dominicis sedulo, et diligenter haberentur: pluraque ejusmodi facta ab eo sunt, ex quibus apparet eo intendisse mentem, ut et boni ministri ad gerenda munia Ecclesiastica formarentur, et populus rite in Religione instituereretur. Non defuerunt tamen, quibus non omnia, quæ egit, probata sint. Nam, ut prætercam claustrorum abolitiones, Regularium exemptiones, ipsis etiam Episcopis interdictum est, aliam ullam pœnam, quam spiritualem, cujusmodi exempli gratia est mulcta pecuniaria in pium deinde usum convertenda, in suo foro cuidam irrogare: quoad ipsam vero pœnam etiam cautum erat, ne in qualibuscunque literis suis hanc etiam spiritualem pœnam, id est, censuram aliquam Ecclesiasticam vel comminarentur; eoque minus permissum ipsis erat, hanc exerere. Causæ ante in foro Ecclesiastico tractari solitæ, etiam de ipso matrimonio, attributæ sunt foro civili, et quod ad convellendam etiam Ecclesiæ ministrorum auctoritatem, et eos vilipendendos vergebat, quoad pœnas, quæ in foro seculari delictis erant constitutæ, sublatum fuit discrimen inter personas laicas, et Ecclesiasticas. Offendebatur etiam populus sublatione statuarum, et imaginum repræsentantium Passionem Christi, quas solebat circumire, aliarumque quarumdum imaginum, etsi nihil in his esset, quod non satis congrueret rectæ pietati, et cujusmodi erat abolitio etiam festi Cordis Jesu. Hæc facta erant, necquidquam proficiente Pio VI. suo in-

:erventu. Res in hoc statu manserunt usque m Josepho II. Leopoldus successisset in Impe-), Hetruria autem transiisset ad Ferdinandum ium natu secundum; qui exosus omnem dissen-›nem a Romano Pontifice, abstineri jussit ab, quibus viderat, hujus animum offensum, quin 'Riccium Episcopum Pistoriensem, cujus con-iis præcipue ea, quæ dicta sunt, Leopoldus :erat, adegit ad Episcopatum dimittendum, qui inde, ut jam supra demonstratum est, etiam sipuit, seque eidem Pio VI. a quo excommu-:atione fuit affectus, subjecit.

Hæ mutationes ad aliquot tempus durantes Hetruria, acciderunt etiam in ditionibus aliis ıgustissimæ Domus Austriacæ sub regimine Jo-phi II. Fuit Princeps excelsi animi, et ad omnia mma natus, et qui nulli labori parceret in iis rficiendis, quæ sensisset salutaria, atque utilia. m sub Maria Theresia matre, Imperatrice, et :gina Apostolica, quæ pietate excellens nihil ıgis, quam Religionem sibi cordi habebat.

Ille igitur cum a. 1780. M. Theresiæ in omni-ıs hæreditariis ditionibus successisset, jamque a Viennæ, in aliisque academiis radicem égis-nt, quæ erant jacta semina, quid mirum, si dem his institerit, ex quibus se gloriam etiam bitraretur apud omnes adepturum? Tendebat itur in his, tamquam eo, ut Religio depurgata, lgeret magis, et felicitatem populi per eum sequerentur, quam his præstare potest Prin-ps, atque etiam vult amator sui populi. Quæ c voluntate, et animo egit tanquam ex eo, quod xit ex principiis, et tanquam seminibus, quæ erant ingesta, germinarunt omnia. Quæ ea-

dem

dem principia cum jam etiam essent publice in scholis jactata, intelligitur hæc etiam alia non fuisse, quam quæ ex eodem fonte hausta pullularunt non tantum Florentiæ, et Venetiis, verum etiam alibi, quamvis non eadem ubique mensura. Igitur nonnisi ea memorabo, quæ præter illa adhuc exstiterunt. In suis ditionibus, etiam ubi ad hoc tempus sola Religio Catholica vigebat, neque admissa erat alia, dedit Protestantibus a. 1781. liberum suæ Religionis exercitium, atque jura concessit civitatis. Croatia tenax Catholicæ Religionis, et cedere nolens hinc mansit immunis.

In nulla autem re magis, quam in *Placeto Regio*, ut vocari solet, Principes fere conspirarunt omnes. Hoc consistit in eo, ne ab Ecclesiastica potestate factum ullum decretum, atque ab ipso etiam Romano Pontifice editum promulgetur citra consensum secularis Principis, datoque Placeto. Istud Principes faciunt præcavendi causa, ne quid forte ejusmodi etiam sit in illis decretis, quod ipsorum tangat jura, aut minus adcommodatum sit bono statui suorum regnorum. Si quid ejusmodi contingeret, numquam non licitum erat adversum decreta, etiam a Romanis Pontificibus edita, intercedere etiam aliis, nedum Principibus. Alexander III. Archiepiscopo Ravennæ, cum quidpiam ad eum missum esset, quod eum conturbaverat, scripsit: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, qua re adimplere non possis, rationabilem causam prætendas.* Quamobrem id, quod deinde Placetum cœperit vocari, ipse Febronius

lib.

'. *de Statu Eccl. cap.* 9. §. 8. recognoscit fuisse Hispania appellatam *Retentionem*, alibi *Sup-icationem*. Auctor Tractatus de Libertatibus clesiæ Gallicanæ *lib.* 2. *cap.* 3. præbet viden-ım, quid Gallis significaverit Placetum. *Possunt*, :, *dissimulantibus etiam Summis Pontificibus pendi novæ leges, antequam recipiantur, ut quæ prodierint, quibus non sit necesse, vel iam expediens parere, suspendatur executio, : suspensionis causæ significentur, dummodo id ım bona fide, reverentia debita, et intentione ncera fiat.* Rieggerus Doctor Juris Ecclesiastici ı Universitate Vindobonensi, quamvis istud iam juxta ductum Febronii doceret, *Institu-on. Jurisprud. Eccl. Part.* 1. §. 352. tamen cum ixisset, Consensum Imperantis in legis Ecclesia-icæ promulgationem, esse Placetum Regium, tatim deinde se se explicaturus, *Neminem*, in-uit, *turbet consensus vocabulum, quasi inde onsequens sit, vim Ecclesiasticarum legum ab rbitrio Politicorum Principum pendere. Excep-ionem enim voces, Remonstrationem, aut alio uo designes congruo nomine, per me quidem li-et.* Deinde et Romani Pontifices, et Concilia psa generalia, jamque etiam prima, ultro mise-unt ad Imperatores sua statuta, iisque hæc com-nendarunt, imo etiam rogarunt, ut ipsi eorum romulgationem facerent. S. Leonis M. dum sen-entiam suam, qua confirmaverat res de fide, et lamnatione hæreticorum actas in Concilio Chal-edonensi, misisset ad Marcianum Imp. *Quæ, si, it, ut ad notitiam omnium Sacerdotum, Eccle-iarumque perveniat Vestræ Clementiæ præcep-io ordinare dignabitur; affuturam, credo, et pero gratiam Dei, quæ tam sanctam, tanti rincipis curam plenissimum desiderii sui fru-*

ctum

ctum faciat obtinere, ut omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, Apostolicæ ubique doctrinæ pax regnet, et veritas. Hoc factum esse a Synodo Ephesina I. ad Theodosium Juniorem, a Constantinopolitana. inter œcumenicas synodos secunda ad Theodosium M. et ipsum quoque Constantinum Magnum fecisse idem erga ea, quæ statuta erant, et decisa in Nicæna I. Synodo, docui testimoniis eorumdem Conciliorum in Dissert. mea XVII. pag. 497. Sed et Pius IV. Ferdinandum I. Imperatorem, et omnes Reges, ut auxilio suo, et favore Prælatis adessent ad Concilii Tridentini decreta exequenda, et observanda, in Bulla, qua Concilium istud confirmavit obtestatus est. Quod si postea aliqui Juris Doctores adhuc quoad Placetum ultra ipsum Febronium processerunt asserendo, decreta potestatis Ecclesiasticæ neque vim habere nisi Placetum ipsis accessisset; id scripserunt turpiter adulando, quod ipsi Principes, nisi fortasse sui prorsus obliti, non sibi sumpserunt unquam. *Cum si quid de causa Religionis ageretur, Episcopale oportuerit esse judicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium*, sunt verba Honorii Imp. in epistola ad Arcadium Imperatorem. Similia plura Imperatorum testimonia protuli Dissertationis meæ XVII. in Select. argumenta Hist. Eccl. pag. 470. Hinc autem est, quod hallucinentur isti Juris doctores, quod solum modo temporalem felicitatem regnorum putent Principibus esse debere scopum in regnando, idque etiam cum injuria eorumdem Principum: siquidem hi sint Dei ministri, atque regni illius *Rom.* 15. *v.* 4. *Sap.* 6. *v.* 5. quod Deus non in temporali, et mundana felicitate hominum sibi constituit sed ut ab hominibus colatur, atque ab his juste vivendo ei servia-

tur. Quamobrem S. Paulus cit. loc. de Prin-
ie *Dei enim minister et tibi in bonum - - vin-
c in iram ei, qui male agit.* Proinde neque
t, quod malo fundamento superstructum est.
perator, ait S. Ambrosius Serm. contr. Auxenti-
ı, *intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.*
: hoc argumento tractat mea tota Dissertatio
VII. paulo ante memorata.

Cum in his, quæ decernebat Josephus II.
ıra essent, quæ neque sibi imperata possent
equi Episcopi, et Parochi, et neque valere
ssent, si executioni mandarentur, uti erat di-
ensatio in impedimentis matrimocii in secundo,
tertio gradu consangvinitatis, et affinitatis id-
ıe etiam per solum Parochum, et Capellanum;
i erat dare licentiam imprimendi, et legendi quos-
nque libros, unde non posset non sequi Fidei,
morum depravatio in populo, nihilque Episco-
rum precibus, atque obtestationibus, ipsius-
ıe Summi Pontificis ltteris delatum fuisset; ipse
us VI. Viennam die 22. Martii 1782, venit. Su-
eptus est ab Imperatore decentissime, et ma-
ıo honore. De his rebus, ob quas venerat, ave-
ıt Pontifex coram agere, et loqui cum Impera-
re: sed hic se committere colloquio noluit, ni-
semel tantum, atque etiam tunc Pontifice cum
ırdinalibus Migazzi, et Herzan in uua parte, in
tera Imperatore cum Principe Kauniz, primo
inistro suo, considente, et Pontifex orsus es-
t loqui; sermonem illius Imperator abrupit,
cens, se Theologum non esse, non multum
iam illud esse, quod intelligat ex Jure Canoni-
:- scripto itaque Sua Sanctitas vellet sibi ea pro-
ɔnere, de quibus secum cuperet conferre. Quem
s successum habuerit, hinc intelligi potest. Pau-
lo

lo antequam Pontifex Vienna discessisset, qui dies erat 22. Aprilis ejusdem anni, quo venerat, dixit, Imperator Pontifici, se jam a systemate, quod sibi fixit, non posse recedere. In Consistorio Cardinalium, ut illud vocant, postquam Romam rediit, die 23. Sept. ejusdem anni habito, spem fecit iisdem Cardinalibus eorum, propter quæ iter susceperat Viennam. Nullum dubium esse potest, quin istud fecerit, ut quod per literas perficere non poterat, ut videlicet ab iis, quæ novabat in Religione in suis ditionibus, Imperatorem abduceret, speciatimque ab jure Patronatus, quod in Lombardia antea non exercens, exercere etiam tunc inceperat. Dum adhuc in reditu esset Pontifex, in suis literis ad nepotem suum Braschi scripserat, se ab Imperatore obtinuisse, ut formulam juris jurandi, quam Episcopis ante suam consecrationem præscripserat, abrogaret. Jus jurandum etiam nunc dant Episcopi ante suam consecrationem. Alia igitur deinde his formula juris jurandi data est: illud quoque scripserat, se Episcopis dedisse facultatem, donec impeditus esset recursus Romam in negotiis Ecclesiasticis, dispensandi in tertio, et quarto consangvinitatis, et affinitatis gradu quoad matrimonia.

Inter Episcopos tam exteros, quam etiam regni Hungariæ, qui intercesserint statutis Josephi II. fuit etiam Cardinalis, et Primas Hungariæ Josephus a Batthyán, cujus scriptum, quod ei obtulit, etiam typis editum est, admodum docte elaboratum, atque nervosum. Obtestatur Majestatem per gloriosissimam memoriam Regum Hungariæ Apostolicorum ejus antecessorum, ipsiusque S. Stephani, ut quemadmodnm hi, sic ipse etiam sol-

llicitudinem res spirituales regendi, ac dispo-
ndi, Episcopis secundum canonum auctorita-
m relinqueret, allegans etiam S. Stephani de-
etum l. 2. c. 2. quo hoc ipsum statutum sit. Quam
ıristus Petro, et Apostolis contulit spiritualem
ıtestatem, eamdem perdurare voluisse usque ad
ıes Seculorum; in confesso autem esse, Regi-
ıs, et Principibus nullam ejusmodi potestatem
ıtam esse. A se quidem abesse longissime hanc
gitationem, ut vel suspicetur, Majestatem sibi
inisterium, Episcopis proprium, arrogare vo-
isse; attamen sibi necessitatem impositam esse,
exponeret, mandata illius intra cancellos po-
icæ potestatis non se tenuisse, et in eorum con-
io, quo inductus ista dederit, plus valuisse adu-
tionem, quam sinceram veritatem. Se vero ta-
re nec velle, neque posse, ne aliquando inge-
ere cum Isaia cogatur: *Vae mihi, quia tacui.*
ıque primum, quod attineret ad mandatum de
eligiosis Ordinibus, se cum omni submissione
eclarare, a se hoc promulgari non posse. Hoc
andato præcipiebatur, horum Ordinum a suis
eneralibus, utpote Romæ degentibus, rescissio.
sos enim etiam Religiosos voto obedientiæ, quo
obstricti tenerentur, renunciare non posse.
quidem hanc fieri posse, sed nonnisi per legiti-
am, et competentem potestatem illius, qui etiam
votis dispensare possit. Ejusdem Majestatis
andato præcipi inspectionem Episcoporum in
egulares. Omnes alioquin Regulares, quoad præ-
cationem verbi Divini, ad ministrationem Sa-
amentorum fideli populo, Officia Divina publi-
obeunda, correctionem morum, si quid in
ıblico, aut cum offensione publici delinquant,
Concilii Tridentini esse Episcoporum potestati
ıbjectos; quoad internam vero disciplinam suam,

esse ab Episcoporum jurisdictione exemptos vi ejusdem Tridentini Concilii. Non putare, a se prætermissum aliquid, quoad hanc inspectionem, a Concilio Tridentino sibi commissam. Quod vero non ultra hoc in eosdem Regulares exercuerint jus, id suæ obedientiæ, qua in decreta sacræ Synodi ferantur, petere se demisse, ut imputetur: sique deinceps etiam non aliam, quam quæ a Concilio Tridentino sibi imposita est, in Regulares inspectionem, et jurisdictionem exercuerint, id quoque se orare demisse; ut hoc suæ erga Synodales canones reverentiæ, atque modestiæ, quæ non plus præsumat, quam liceat, adscribatur. Perinde quoad alia a Majestate decreta rationes proposuit Cardinalis, et Primas Hungariæ, quæ impediant, quo minus in hæc pronus esse possit. Josephus II. die 20. Febr. 1790. diem obiit supremam. Quamvis ea, quæ tam in Religione, quam in forma politici regiminis constituebat, putaverit, meliora futura; in populis tamen motus excitarunt. Periculosa quippe in his est omnis subita mutatio. Cum igitur regimen suscepisset post Josephum Leopoldus frater, multis in provinciis turbidum, nec perrexisset insistere iis, quæ frater inceperat, et jam anno 1792. de vita decessisset, ea etiam, quæ erant turbata, redierunt ad pristinum statum.

§. 64.

§. 54.

'estes Religionis novæ exortæ in Anglia, Gallia, et Italia tendentes ad subversionem omnis Religionis, Pantheistarum, Materialistarum, Deistarum, Naturalistarum, et Atheorum.

Dum hæc agerentur in regionibus, quæ ditæ sunt, jam in Gallia alia nimis atrox furebat ɜmpestas, quæ tam Religionem, quam ipsum etiam egnum subverterat. Id factum est per eos, qui jusmodi res assererent, unde sequeretur neque ɩeum esse, vel etiam qui aperte essent Deistæ, ['aturalistæ, imo etiam Athei. Istius generis hoɩines reperiebantur jam etiam antea. Petrus Pomonatius Mantuanus negavit Dei providentiám, nimæ immortalitatem, totamque Religionem irisioni habuit. Mortuus est a. 1525. Ex ejus schoɩ prodierunt Andreas Cæsalpinus, et Cæsar Creɩonini, ambo Itali. Ille præluxit Benedicto Spiozæ, qui primum Judæus, deinde Christianus, emum nullius Religionis, Deum nonnisi verbo firmavit existere, re autem sustulit, docens,)eum esse non, aliud quam materiam diffusam per mnia entia, quæ sunt in mundo, et omnia, quæ n his contingerent, esse ejusmodi vicissitudines, ujus modi nos in nostro corpore sentimus, dum stud se jam hac, jam alia ratione habet. Rem hanc tiam mathematica ratione voluit demonstrare in uo Tractatu Theologico-politico. Ridendum se veo præbuit, perinde, ut Epicurum riserunt ipsi Genles philosophi, cujus hæc eadem fuit sententia: uam Lucanus libr. 9. Pharsaliæ ita expressit: *Este Dei sedes nisi terra, et pontus, et aer, et caeɩm, et virtus? Superos quid quærimus ultra? upiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.*

ris. Pantheistæ hi dicti sunt. Cæsaralpinus a. 1604. Spinoza a. 1670. mortuus est. Cæsar Cremonini fuit Materialista, ut istius generis homines vocantur, ponentes in homine, quidquid habet, esse materiam, ipsam etiam animam: itaque materiam esse facultate cogitandi, et ratiocianandi præditam. Anno 1630. Paduæ decessit. Ex hoc eodem genere fuerunt Julianus Offrey de la Mettrie Poeta Gallus: sed e Gallia pulsus primum in Hollandiam, deinde Berolinum venit, evocatus ex Hollandia, et Friderico II. Regi Borussiæ charus. Posuit hominem similem esse plantæ, vel bruto, cujus summum bonum sit voluptas, nihil etiam in moribus ponens, vel in Religione; nam virtutem, et peccatum esse tantum sonum vocabulorum absque re: et Deum, qui crederetur existere, esse nonnisi inane terriculamentum. Illius liber: *Historia naturalis animœ* Parisiis carnificis manu crematus est: multos autem alios ejusdem farinæ edidit libros. Jordanus Brunus quoque Nolanus, apostata ex ordine Prædicatorum, ac primum Calvinista factus, deinde Lutheranus, impudentissime postremum abnegavit omnem Religionem. Romæ a. 1600. ad rogum damnatus fuit.

In Deismo quoque, et Naturalismo, ipsoque Atheismo, quæ omnia nostra ætate vigebant in Gallia, jam præiverant alii. Deistas, et Naturalistas quidam diversos inter se ponunt. Nomine tamen solummodo distinguuntur, non re. Nam tam hi, quam illi revelationem divinam inficiantur, Deum tamen recognoscentes, sed nonnisi in quantum lumine rationis existere apprehenditur. Cumque revelationem Divinam abnegent, consequens est, ut neque Dei cultum alium habeant, quam eum, quem ratio naturalis ipsis

sva-

svadeat. Jamque deinde in hoc aliud alii decernunt, utpote in quo decernendo suo tantum ferantur ingenio, et voluntatis arbitrio. Fuerunt ex his etiam aliqui, qui sinerent etiam revelatum aliquid in religione; sed ita, ut assererent, indifferens esse, sive credere aliquid revelatum, sive non, et sequi qualemcunque religionem. Circa medium seculi decimi septimi, dum Carolo I. Rege Angliæ publice manu carnificis interfecto, Cromwellus sub Protectoris nomine regimen Angliæ, seu potius tyrannidem invasisset, omnisque licentia permissa, eademque continuata, atque etiam aucta esset sub Carolo II. post mortem Cronwelli ad regnum paternum revocato, cujus mulierosa, et dissoluta nimis vita aliis exemplum dederat similis licentiæ, ex morum summa corruptione deventum est etiam ad Deismum, et Naturalismum. Cogitatio de Deo, qui pœnas sit sumpturus, atque post hanc etiam vitam, easque semper duraturas, non sinit hominem pacate frui suis illicitis voluptatibus. Hinc, dum ejusmodi quæruntur, quæ vocem sopiant, et opprimant occlamitantis conscientiæ, devenitur, ad illa in dubium vocanda, quæ terrent, ac deinde etiam neganda. Neque hoc nunc tantummodo contingit, sed jam fuit semper antea. Namque jam apud Psalten est: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Psal. 13. v. 1. De impiis, mersis in suis cupiditatibus est Sophoniæ 1. v. 12. dicere hos in cordibus suis: *Non faciet bene Dominus, et non faciet male.* Sic et eæ hæreses, quæ dabant libidinis licentiam, aut sponderent fore, ut hoc, quod prave fieret, non a Deo imputetur, semper etiam ab hominibus licentiosis excipiebantur pronis auribus, et ambabus ulnis.

In-

Inter Anglos, Naturalismi, et Deismi signiferos, facile princeps fuit Bollingbrokius, minister primum in aula Regis, deinde autem cum excidisset ex gratia Regis, se posuerat ad libros componendos. Dederat is quidem, Deum esse conditorem hujus mundi, ejusque rectorem, sed nonnisi juxta naturæ physicas leges: de legibus ejusmodi a Deo hominibus datis, quæ spectent ad eorum mores, atque de providentia, quam exerceat erga humanum genus, cui curæ sit, hominis cujusque mores, et facta qualia sint, nihil voluit scire. Nullum alium finem homini dedit, ad quem creatus a Deo sit, quam eum, quem sibi etiam ceteræ animantes, et bruta datum habeant: nullam quoque existere naturalem legem voluit, nec quidquam aliud hominem habere asseruit, quod illum moveat, aut movere debeat ad quidpiam agendum, quam sui ipsius amorem. Homines, et cetera animantia inter se differre solummodo intellectus mensura. Virtutes, et vitia habere locum tantummodo in humana societate. Hominis animam esse mortalem, et nullam esse religionem, seu cultum, et venerationem, quæ Deo præstanda sit. Huic proximi in solertia provehendi Deismum in Anglia, nam quoad tempus vel æquales, vel etiam anteriores fuerunt, Joannes Tollandus, Antonius Collinsius, et Matthæus Tindal: quorum scripta ceteris deinde Deistis pro promptuario fuerunt. Tolandus, natione Hibernus, totum se vertit ad mysteria Christianæ Religionis impugnanda. Collinsius in libro *De fundamentis Religionis Christianæ* Vaticinia Prophetarum de Messia adgressus, voluit ostendere, hæc nulla esse vera de Messia vaticinia. Tindal derisit Biblia sacra, tanquam figmenta, et fabulas, et in libro; *Religio Christiana mundo coæva*, co-

conatus est evincere, Religionem naturalem homini sufficere, ideoque omnem revelationem esse supervacaneam. In horum vestigiis incesserunt deinde Thomas Woolstan, qui docuit, Scripturam sacram esse nonnisi allegorice intelligendam, et sumendam, totamque norrationem de Christo fabulam moralem esse. Thomas Morgan eamdem Scripturam sacram asseruit esse totam arte veteratoria compositam, merisque insulsitatibus refertam, Christum fuisse solummodo populi doctorem, cujus doctrina constiterit tota de officiis observandis juris naturalis opposite iis, quæ Judæis fuerint, et in quibus hi religionem posuerint. Ejusdem generis erant Wilmot Comes de Rochester, Ashley Cooper Comes de Schaftsbury, Lord. Herbert de Cherbury, Blount, pluresque alii. Joanna Ilive in eadem Anglia pecuniam collocavit in præmia illorum, qui adversus Christianam Religionem optime scripsissent. Tolandus in libro, quem *Pantheisticon* inscripsit, et in lucem a. 1720. emisit, memorat societatem, dictam Socraticam, non tantum per Angliam, et Scotiam, verum etiam Galliam, Hollandiam, Germaniam, et Venetias jam tum exstitisse. Præseferebat hæc consociatio Religionis, atque morum culturam: non aliud vero habebat propositum, quam ista subvertere, et homines excussa etiam politica Principum potestate reducere ad primævum naturalis libertatis statum.

Dubitatur tamen, num Tolandus hoc de hac societate tali, jamque fusa per alias tot regiones ex vero dixerit, et an non potius tantum jactanter; siquidem indubitatum sit, Voltærum, (Voltaire) et quosdam alios societatum harum fuisse in Gallia auctores. Quidquid vero sit, illud certum est,

est, Deismum, qui jam gliscebat, per Deismi auctores Anglos in Gallia accensum esse, et erupisse. Ipse etiam Voltaerus ex iisdem Anglis auctoribus, quos jam memoravi, sapientiam suam omnem hausit. Quin Gallos præcucurrerunt in Deismo etiam Itali. Vincentiæ, (Vicenza) quæ olim civitas ad Venetos spectabat, nunc refertur ad Lombardiam, circa a. 1546. fuit societas instituta eruditorum, qui sub prætextu tractandi inter se de Religione, et scientiis, non sibi aliud propositum habebant, quam tollere omnem revelationem Divinam, utpote, qui profiterentur, se nihil aliud pro vero habere, et agnoscere, quam quod intellectu humano comprehensum, ultra captum rationis non esset. Detecta celeriter cum hæc societas fuisset, et deprehensum, quid in ea agitaretur, plures ex hac capti, et conjecti in carceres, quidam etiam pœnas capite dederunt. Ceteri autem occasionem nacti elabendi, dispersique alii alio, tamen non destiterunt spargere venenum suæ doctrinæ, pro philosophis se se venditantes, omnesque alios, qui vitarent ipsorum casses, traducendo velut superstitiosos, et stupidos. Atheis non caruit jam seculo decimo sexto, et septimo tam Italia, quam Gallia. Anno 1619. Tolosæ in Gallia Lucilius Vanini eo, quod atheus esset, atheismumque docuisset, lingva ante præcisa ad rogum impositus, et exustus est. Sententia in eum lata, cum jussus esset a Deo, Rege, et justitia veniam poscere, respondit, Deum non esse, Regem a se numquam offensum esse, justitiam se diabolo tradere. Is tamen cum eductus ad locum supplicii venisset, exterritus, et tremens in hæc verba erupit: O Deus! Interpellatus autem cur Deum invocasset, quem esse non crederet, respondit, sibi inadvertenti verba

hæc

hæc excidisse, quibus aliquando in juventute adsvevisset, ex obstinatione sua quærens celebritatem. Idem in judicio confessus erat, Neapoli, quæ ipsius etiam patria erat, duodecim socios exiisse in universum mundum ad atheismum disseminandum. Stephanus Doletus quoque tanquam atheus a. 1546. in eadem Gallia condemnatus ad rogum fuit.

§. 55.

De Voltæro, Rousseau, et societatibus ab his conflatis, nec non de Oeconomica instituta ad propagandum Deismum in Gallia.

Nuspiam vero pestes hæ Religionis magis et concoperunt, et fœcundius creverunt, quam in Gallia. Nec mirum. Erat enim jam ejus solum præparatum ad hanc foecunditatem. Jansenismus namque in multis latitabat. Istum vero tetendisse ad inducendum Naturalismum est demonstratum supra §. 45. jamque in illo conciliabulo, quod Jansenistæ Burgofonte agitaverant. Multitudo quoque Hugonotarum, quamvis vires ipsis succisæ ad rebellandum essent per Ludovicum XIV. tamen erat in Gallia innumerabilis. E Calvinianis vero, qui Hugonotæ in Gallia vocabantur, prodierunt ipsi etiam Sociniani, quibus perinde sola ratio est ad decernendum, quid tenendum sit in Religione, et qui idcirco mysteria omnia ab ea submovent, quia hæc ratio nequeat comprehendere. His itaque jam jactis fundamentis, superstructio ulterior etiam facilius, atque celerius ibat. Voltærus erat, per quem hoc factum maxime est, et qui propterea ceterorum omnium, qui in Deis-

Deismo propagando in Gallia laborarunt, princeps, et quasi Patriarcha habetur. Voltærus, vero nomine Franciscus Arouet, filius fuit notarii in Chatelet, quod alias arcem Gallis significantes, fuit nomen ædium, in quibus servabantur captivi Parisiis, natus die 20. Febr. 1694. et non tam profundo ingenio præditus, et solido, quam petulanti, mordaci, et ad scurrilitates idoneo, forma autem faciei simillima simiæ, micantibus oculis, mala jam in puero indoles relucebat, quæ nihil boni portenderet. Incepit a scribendis satyris, quibus procax in omnes, non abstinuit a laceranda fama hominum etiam illustrium. Quamobrem a Duce Aurelianensi Philippo, regni moderatore pro Ludovico XV. nondum propter ætatem idoneo ad regendum, ad Bastil missus est. Locus iste munitus erat, ad quem sontes relegabantur, atque in custodia tenebantur. Non multo post quorumdam patrocinio dimissus non tamen omisit continuare suam scribendi licentiam, quæ ei etiam postea sæpius non cesserat bene. Admonitus propterea a quodam illustri viro, in hunc ipsum verterat calamum, et mordacem nimis scripsit satyram. Qui vero hunc apprehensum ita cædi jussit, ut nisi e manibus eorum, quibus id negotii fuit datum, per alios ad ejus clamorem accurrentes, liberatus fuisset; de ejus etiam vita fortasse actum fuisset. Ab altero æque viro nobili, cujus mensa libera fruebatur, a quo pecunia liberaliter ei dabatur, cum nihilo minus et hunc proscidisset suis versiculis, specie prioris liberalitatis invitatus ad ejus domum, verberatus fuit scutica horribilem in modum, impositis sibi plus quam centum plagis. Petulanti rursus carmine cum lusisset in matronam quamdam nobilem, hæc illum, allectum in domum suam, ad cellarium clausit,

sit, octo dies in eo tenuit, nihil præter panem, et aquam ei interea dedit, singulisque diebus virgis cædendum curavit.

Voltærus in suis satyris ne personis quidem Ecclesiasticis pepercerat, sacerdotiumque, et Religionem jam etiam in his scriptis suis traduxerat. Non aliud habebat exspectandum, quam ut iterum ad Bastil iret. Fuga se subduxit, primumque in Hollandiam, deinde in Angliam se recepit. Hic in notitiam venit librorum, qui Anglis illis Deistis, de quibus suprà dictum est, auctoribus prodierant: quos ita arripuit, ut jam in Anglia statim sibi statuerit, totum se ponere ad Religionem Christianam funditus tollendam. Postquam annis circiter quinque abfuissit, Parisios rediit a. 1728. statimque adgressus est negotium, in quo mentem omnem fixerat in Anglia ad Infamiam (l' Infame') tollendam; sic enim vocitabat Christianam Religionem, homo ipse infamis: nactusque est etiam socios *Joannem Alembert*, hominem callidissimum, quem nisi Voltærus adjutorem habuisset, parum res ei processissent, et *Dionysium Diderot*, qui primum medicinæ studuerat, deinde vero mathesi; victum sibi quæsiierat scurrilibus scriptis contra Religionem. Tertius se ei associavit *Damilaville*: cujus operam tanti ipse Voltærus fecerat; ut eum Alenberto, et Dideroto dederit laborum socium. Cum hi tres cum Voltæro numerum quaternarium effecissent, huic quintus accesserat Fridericus II. Rex Borussiæ: qui nondum Rex jam de hoc negotio commercium literarum agitaverat cum Voltæro; postea vero eundem etiam ad se evocaverat, trienniumque apud se habuerat. Accidit tum, quod non videtur prætereundum silentio. Poëmata a

se

se composita Fridericus Voltæro dederat rev
nis causa. Hæc ille coram quopiam dixerat
Regis sordida indusia, quæ sibi dederit elu
quod ejus dictum dici non potest, quam Rex
cunde tulerit. Abiens autem a Rege manu
ptum ejus quodpiam sustulerat. Rex post
misit quempiam e suis, qui cum Francofur
Mœnum Voltærum assecutus esset, non ta
scriptum illud recepit, verum etiam certum
merum baculorum ei inflixit, accepto chir
pho Voltæri, quod de his baculis sibi datis,
se acceptis, ad Regem referret. Non tame
minus etiam postea Rex continuavit cum
tæro literarum commercium. Sextus, qui s
sociavit Voltæro fuit vel de Villevieille, vel H
tius, aut rectius uterque, quos ambos Vol
in suis epistolis laudat velut strenuos comm
nes suos. Quinque autem, vel sex tantum h
isse Voltæro, inde putatum est, quod scri
sit abeo in epistola ad Alembertum: Anne
que, aut sex hominibus luculentis non succ
ut Christianismum evertant, quem duodecim
serabiles homines potuerunt fundare? Argu
tabatur, ad id subvertendum, quod a duod
ædificatum esset, nullius pretii hominibus, i
lexit vero Apostolos sufficere etiam quinque
sex tales, quales ipsi essent. Hi se philosop
fortes spiritus vocabant; contra autem omne
teros, fanaticos, superstitiosos, infames, ne
stolis quidem exceptis, atque ipso etiam Ch
Hi primi tantum erant, qui conjurationem
rant. Nam brevi innumerabiles sub eorum s
confluxerunt, qui suam operam navaverint ad
ismum, et Atheismum scriptis etiam propa
dum. Successerat ipsis, ut aulicos nec tantu
Gallia, verum etiam in pluribus aulis aliis in

r

ia attraherent. Ludovicus XV. habebat ami-n nomine Pampaduram, quæ illum flectebat, ocumque volebat. Hanc Voltærus sibi habuit lictam. Hujusque, et aliorum aulicorum opera tinuerat, ut non tantum ipse, verum etiam embert, et Diderot intrarent in Sorbonam, ejus-e Doctores fierent. Quod cupide quæsiverunt, o magis splendentes Doctorum nomine, et eru-ionis existimatione sibi comparata, valerent ad lucendos alios in suos laqueos. Quin Alember-, in tantum in Sorbona in valuit auctoritate; nonnisi iis, quibus ipse vellet, dignitates, et mia Sorbonæ conferrentur. Qui proinde ne-e erant alii, quam ejus similes. Unde factum, ut neque ad Doctoris gradum in Sorbona tinendum alia via relinqueretur, quam per su-ptionem ejus, quod his Sorbonæ præsidibus iceret. Hinc in qualium Doctorum collegium lem Sorbona transformari debuerit, facile in-ligetur.

Præter eam, quam Voltærus conflaverat so-tatem, erant adhuc duæ eodem tempore in Gal-. Alterius caput, et signifer erat Joan. Jacob usseau, alterius Franciscus, Quesnay, quæ et conomistarum dicta societas est. Nec tamen am hæ erant penitus disjunctæ a Voltæro, ejus-e societate. Nam idem his quoque, qui Vol-ro, erat scopus subversio Religionis, et Thro-rum. Rousseaus natus est Genevæ a. 1772. pa-ı confectore horologiorum, quam artem et ipse licerat. Lectione cum aliorum libellorum, tum primis Romanensium Fabellarum (solet his in se lubricum tam quoad mores, quam etiam Re-gionem) inductus est ad aliter cogitandum, odi-mque conceperat in omnes, qui dignitate, et

fa-

facultatibus excellerent supra alios; cumque multa legisset, et ingenio satis facili, atque prompto esset, reliquit suum opificium, et inter literatos voluit censeri. Sed quia in arte cogitandi, et dicendi, et uno verbo, in Logica rudis erat, factum est, ut quæ deinde elucubravit satis multa, non sint scripta connexe, et in quibus ipse sibi persæpe contrarius sit. Evasit autem in licentiosa vita, in fraudibus, et decipiendis aliis, æque ut Voltærus, summus. Attamen studebat videri vir bonus, et moratus optime. Scribebat contra comœdias, et ipse eas componebat; laudabat, et commendabat fidem in amicitia, quam ipse erga eos etiam, a quibus beneficiis affectus erat, non servabat, sed beneficentiam fraudatione compensabat, laudabat pudicos mores, hædo lascivior ipse, qui cum famosa meretrice nomine Warent multos annos impudice vixerat, quamvis meretricem jam in domo haberet, ex qua proles quinque susceperat. In suo Emilio, et Nova Eloisa, quæ duo Romanensia Opera sunt, scribit, educatorem bene facere, si adolescentem, suæ curæ commissum, ducat diligenter ad lupanaria, et nobilem juvenem condecere magis, si eum, a quo offensus est, simulata amicitia occidat, quam si cum eo rixetur, verbisque certet. Denique, ut alia prætereram, libertatem, et æqualitatem, quæ deinde tantopere capita invaserat Gallorum, et ad ea ipsos concitaverat quæ adhuc postea referentur, prædicat etiam in suis scriptis, quæ citra dubium contulerint etiam ad illam immanitatem, cujus exemplum nuspiam est reperire alibi, quæ deinde secuta est in Gallia. Cum tamen usque eo nondum perventum fuisset, dum Rousseaus suam scenam ageret, Parlamentum Parisiense ipsius libros ad ignem condemnavit. Ipse ne compre-

ehenderetur, fugit in Helvetiam. Rousseaus it primum Calvinianus, deinde factus fuit Caolicus: rursus vero redierat ad Calvinismum. :c tamen illum ipsi etiam ministri Helveticæ nfessionis ferre voluerunt in Helvetia. Itaque recepit in Angliam. Patronorum opera obtiit reditum in Galliam sub conditione ne quid ra scriberet. Parisiis deinde aliquamdiu vixit, am sustentans notarum musicarum descriptio-. Anno 1778. suæ ætatis 66. decessit, idque veneno, quo ipse vitam finire voluerit, quam at pertaesus, ut vulgo creditum fuit. In eo Roseaus a Voltæro, et ejus manipularibus differet, quod tamen unum Deum, et Christum Reionis auctorem aliquotenus admiserit, dum oltærus, ejusque socii ad Deum ipsum, et Chriım negandum tetenderint.

Oeconomistarum societas non aliud etiam oi propositum habebat, quam reliquæ Deismi :tæ. Horum, ut jam dictum est, signifer fuit ancisçus Quesnay, primum ruricola, deinde irurgus. Eum in finem, quem habebat, edidit ıos libros, nempa Elementa Philosophiæ ruralis, Physiocratiam. Nihil nisi studium communis ıni, socialem hominum amorem, felicitatem poıli, et auream humani generis ætatem in his ollicetur, et prædicat. Multos attraxerat, ejusıe secta magna incrementa ceperat. Justitia huic at in ore, libertas plena suis rebus fruendi, et nnium æqualitas in ferendis publicis oneribus, nquam vita, quam natura hominum exposcat. o hæc dirigebantur, ut homines reverterentur d statum illum, quem haberent a natura absque mni cultura civili, ipsiusque Religionis. Hujus hilosophici systematis indignitatem illud etiam de-

declarat, quod pro dedecore generis humani praetextu ingentis emolumenti publici, docuerit capere fructum ex mortuorum hominum cadaveribus, unde et oeconomistarum illis erat nomen, ut nimirum his pelles detraherentur, unde cum alia, tum etiam calcei, atque ocreæ fierent, hisque ipsorum parentum pellibus se se vestirent filii, et filiæ. Itaque fabrica etiam a. 1785. erat excitata in Gallia ad elaborandas humanas pelles; deinde, ut adeps, et pingvetudo humani curporis collecta, et soluta, tam in privatis domibus, quam etiam ad plateas noctu illustrandas adhiberetur, carnes vero supplicio affectorum ad cibandos, et alendos ipsos homines. Obtinuitque omnino in Gallia aliquamdiu, ut carnibus eorum, quos guillotina interemerunt, innumerabiles alerentur captivi, et ipsi suis carnibus deinde alios alituri. Dum infinitis cædibus grassatum fuisset in Gallia illo infelici tempore, quo Deismus, et ipse Atheismus se se explicuerat, excogitata erat machina habens bipennem, quæ tracta sursum, et ruens magna vi, utpote pondere gravis, amputabat hominum colla supposita, quam *Guillotine* appellarunt a quodam Gallo nomine Guillota ejus inventore.

§. 56.

Philosophi Deistæ quibus artibus Deismum propagaverint. Illorum consociatio cum Liberis Murariis. Qui hi fuerint. Illuminati, atque horum quoque consensio cum Deistis.

Hæ quamvis inter se distinctæ Deistarum sectæ, tamen nonnisi etiam unum confoederatum cor-

orpus constituerunt, utpote quæ omnes eumdem copum haberent subvertendi Religionem, et thronos. Unum hocce corpus divisum rursus erat in lura *Clubb*, conventicula sparsa per civitates, quibus præcipuum, et supremum illud fuit, uod erat Parisiis. Hinc Clubbistarum ipsis dam nomen est. Iidem dicti etiam sunt Jacobini, uod Parisiis in claustro Dominicanorum, quod platea S. Jacobi (St. Jaques) situm erat, connticula sua instituerint, idque deinde jam pam etiam, postquam cunjuratio ipsorum erupist. Cum deliberassent, quanam ratione debent instituere negotium propagandi illud, quod nceptum habebant, ea ipsis commodissima visa t, qua sub nomine Encyclopædiæ Opus commerent, continens, et complectens in compeno omnes scientias, cui vero libro ubique insperrent sui Deismi, et libertatis, æqualitatisque ter homines principia. Nec enim dubitabant furum; ut hic liber avide ab omnibus legatur, ex o sperarent, se exiguo tempore omnium scienrum compotes futuros. Circa a. 1750. susceptum t hoc negotium. Voltærus, Alembert, et Dirot illud dirigebant. In eo autem laborarunt bbates, Raynal, Ivon, et Morrelet, nec non anciscus Quesnay, Du Marsay, Marmontal, Bouger, Holbach, Toussaint, Formay, et Jaucot. Antequam prodiisset, jam buccinabatur, atte hoc Opus tale prædicabatur per universum undum, in quo jura omnibus hominibus communia, atque libertas suo intellectu utendi assererntur, et cujus scopus sit artes, et scientias prohere, felicitatemque omnibus comparare libendo ab jugo, quod huic hactenus obstitisset: o verbo, pollicebantur, ut tandem, post calitem, et tenebras lucem omnes incipiant dispi-

cere. Equidem Operis istius statim, ut in lucem prodiit, interdicta erat venditio, intercesserat enim Clerus: sed sublatum est interdictum opera aulicorum, qui favebant Deistis, atque eo confidentius Encyclopædia poterat currere, qua volebat.

Erat et aliud collegium ex duodecim sodalibus constitutum, primisque Deistarum ad alios etiam libros elaborandos, contra Religionem, et moribus bonis exitiosos, nec non libellos parvulos, quæ folia volantia dici solent, sed æque virulentos; qui eo ipso citius disseminarentur. Ad ipsa flabella feminarum, pixides, aliasque similes merces elegantiores, et minutas ipsorum opera apponebantur ejusmodi acroamata, et emblemata, quæ ad eumdem illum finem conferrent, eoque magis, quod cum ingeniosa viderentur, delectarent. Provisum quoque ab illis fuit, ut per ipsos cupedinarios chartulæ, habentes illa ipsorum ingeniosa, et faceta, insererentur cupediis. Homo Christianus secundum hos philosophos nec bonus civis poterat esse, nec fortis miles. Christiana Religio erat nonnisi conficta, Apostoli erant deceptores. Evangelium tantum erat Romanensis fabula, anima hominis mortalis, nec virtus, nec vitium, et eo minus conscientia dabatur. Adulterium, incestus, occisio sui ipsius erant licita. Hæc per hos philosophos disseminabantur, et ingenerabantur. Adversus ipsum Deum, num existeret, inspergebantur dubia: Sacerdotium autem exponebatur contemptui, et ludibrio, sacerdotesque depingebantur non tantum ut simulatores, et deceptores, verum etiam ut ministri, et adjutores tyrannorum. Non excludebantur ab hoc fœdere, et consociatione ad propagandum Deismum

Opi-

Opifices, et cujuscunque status homines, ipsi etiam servi: imprimisque nobiles, et illustres feminas venabantur, ut in sua eas haberent confoederatione: totaque Regis Ludovici XV. aula plena erat ministris, Deismo captis. Extra Galliam quoque ita se propagaverat, ut Voltærus in epistola sua ad Comitem Argental a. 1766. scripserit, in Germania vix aliquem esse Principem, qui non factus sit Philosophus, hoc est, ut ipsi vocabulum usurparunt, Deista. Jactanter hoc Voltærus scripsit, nec cum eo consentiens est, quod postea adhuc visuri sumus, quid actum in Germania sit, dum hoc ipso tempore, quo scriptae hæ literæ a Voltæro sunt, Naturalismus serpsisset in Germaniam. Propagatus itaque in immensum erat per Europam, tantique habita est ista horum philosophorum sapientia; ut non tantum in Gallia, verum etiam in aliis regnis permulti non putarent bene provisum educationi suorum filiorum, nisi quempiam ad hos instituendos nacti essent, sibi ex Gallia, atque ab his philosophis missum. Ab anno 1777. usque ad a. 1780. solum modo in Germaniam quadringenti ejusmodi magistri, et pædagogi erant missi, prout in Ephemeridibus Luxemburgensibus mense Novembri a. 1783. erat scriptum. Rousseaui Æmilius etiam a Voltæro commendabatur, et ea, quæ ab hoc proposita erat educatio, velut naturæ consentanea, habebatur pro sapientissima. Is vero voluit sic educari puerum, ut donec adolevisset, sineretur agere, et facere, quidquid vellet, nec quidquam ei de Religione instillaretur. Res autem eo valebat, ut cum per hunc neglectum directionis ad bonum radices in puero firmas egissent pravæ affectiones, hæ jam deinde neque evelli possent, et is obsurdesceret adversus omnia, quæ in con-

trarium ei dicerentur, et svaderentur de Religione. *Plurimum in reliquam vitam*, est a Seneca etiam philosopho ethnico dictum lib. 2. de Ira cap. 18. *proderit, pueros statim salubriter institui. Facile est enim teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.*

Iidem philosophi se deinde consociarunt etiam cum Liberis Murariis, spe ducti, quæ neque eos fefellit, sic celeriores alas acquisiturum suum Deismum. De hac societate, et secta Liberorum Murariorum a multis scripta sunt multa, atque varia, quin ad liquidum perveniri potuerit, quando inceperit, et quis ejus auctor fuerit, quem scopum habuerit, et quo consilia sua, atque conatus suos direxerit. Hoc autem intelligendum est, usque ad tempus, quo cum Deistis in unam coaluerunt societatem. Nam postea ejusdem Deismi principiis fuisse fermentatos, facile est assequi, ac postea etiam ex iis, quæ adhuc dicentur, patescet. Illud certum est, hanc ex Anglia venisse per eos Anglos, qui a. 1688. cum Jacobo II. venerant in Galliam: quo is confugerat, ab Anglis facta adversus eum seditione, quod Religionem Catholicam ad libertatem in Anglia reponere voluisset: et qui ex Anglia secum attulerint eamdem sectam, ejusque aliquot contubernia (Loge) in Gallia condiderint. Scriptores Galli tradunt, originem ducere e quadam Opificum inter se inita societate in Anglia auctore quodam Christophoro Wreen, qui sub Cromwello consilia in arcano tractaverint de regno, Carolo II. ejus legitimo hæredi vindicando, suam vero societatem etiam postea continuaverint. Quidam etiam per Ephemerdes sparserant, Patres Societatis Jesu fuisse,

qui

qui hanc sectam vel instituerint, vel saltem formam ei meliorem dederint: idque adversus Protestantes, consilia captantes, qua ratione his magis possent resistere. Mendacium istud erat. Numquam enim his convenerat cum illis idem sentire, quos ipsorum principia ultro ducunt ad libertinismum. Alii Templariorum, vel etiam Gnosticorum in liberis Murariis volunt esse reliquias, quæ gliscentes diu sub cineribus nunc rursus ignem conceperint. Illi vero ipsi multo sibi anteriorem ætatem tribuunt: sed fabulantur. Ad tempus enim templi Salomonis ædificati, vel etiam turris Babelicæ sua primordia referunt.

Irrepsit hæc Murariorum liberorum societas brevi in alias Europæ provincias. Sed cum secreta illorum, et nocturna conventicula observata, et suspecta fuissent, factum est, ut cura adhiberetur ad eosdem Murarios in suis conventiculis collectos, intercipiendos, et ad ea disturbanda. Id factum est Amsterodami. Ubi cum a satellitibus, qui a magistratu erant missi de improviso ventum ad locum, in quo erant congregati, esset, illis fuga dilapsis, occupatum est ipsorum ærarium cum instrumentis Murariorum, et pluribus eorum scriptis, quæ continebant instructionem de recipiendis candidatis ad suam societatem, de gradibus, et classibus, in quas dividerentur, de instrumentis, et insignibus suæ societatis, quibus induebantur nonnisi in suis conventiculis, alioquin agniti ab omnibus fuissent, nec non formula jurisjurandi, quo se obstringebant ad silentium servandum. Tres gradus apud eos erant tironum, sodalium, et magistrorum, inter quos emineret adhuc Magister, dictus Magnus. Magistri autem sibi certa munia habebant commissa, quorum nominibus etiam appel-

la-

labantur. Nihil vero repertum erat, quod speciem alicujus criminis haberet. Non eo minus interdicta ipsis hæc in posterum sunt conventicula. Nec vacat suspicione, sic sua habuisse constituta; ut ad casum, qui contigit, sibi providerint, tantumque ejusmodi relinquerent, quibus occupatis, tamen ad id, quod arcanum inter se haberent, non perveniretur. Brevi postea novum Amsterodami etiam per Ephemerides Gallicas, ferebatur Murariorum Loge (domicilium) Investigatione facta repertus est Ludovicus Draganus mercator Hagensis, qui hoc Ephemeridibus inserendum curaverit. Idem de iisdem Murariis magistratui Amsterodamensi manife tavit, præter strictissimum silentium, cujus violationi ejusmodi poenæ constitutæ sint, quibus vix graviores esse possint, uti eos certis signis, quibus se invicem agnoscant, atque sua etiam sensa communicent, ad fores conclavis, in quo congregantur, ex ipsorum numero excubare quospiam stricto ferro ad intercludendum aliis aditum ad idem conclave. De Religione eosdem Murarios in recipiendis ad suam societatem nullum facere respetum ad religionem, dummodo hi viri honesti essent. Etiam idem mercator libellum produxit, leges, et instituta continentem eorumdem Murariorum, qui se ferebat Londini typis excusum anno Murariorum 5732. Ex hoc igitur libello cognosci potuisset, quæ instituta Murariis his essent, et quid negotii agitarent, si credi potuisset eidem libello, et quo solummodo fallere alios voluerint, Quis enim credat ipsos de se id ultro publicasse, ad quod silentio, tam rigido, prout dictum est, se se obstringebant?

Dum in Hollandia, in qua tanta libertas erat sentiendi, ut quemadmodum jam sæpius vidimus

ex

ex iis, quæ jam narrata sunt, se eo receperint ii, qui alibi non tolerati, quæsiverant immunitatem; tamen Murariis impedimenta ponerentur; facile est intellectu, alibi quoque hoc iis evenisse, et etiam multo magis. Anno 1736. Parisiis, Loge, quod habebant, totum fuit disjectum, et dissipatum, tametsi quemadmodum formicæ, dissipato, et disjectō nido suo, iterum redeunt, et congregantur; ita etiam hi non desierint sua habere Loge Parisiis, alibique in Gallia. Jamque in Germania, Hispania, aliisque regnis, atque in ipsa etiam Italia iidem habebant sua municipia. Dum tamen difficultates paterentur etiam majores alibi, quam in Hollandia, Procopius medicus, unus ex Liberis Murariis (fictum tantum posuit nomen) apologiam edidit pro iisdem Murariis. Dicebat, libertatem sibi esse, sed non effrenem, verum æquitatis, et honestatis legibus subditam; assumere voluptatem, sed innoxiam, cui cælum non indignetur; sibi conscientiæ remorsum esse nullum, omniaque potius talia, quæ eam exhilarent; non alio a se cuncta dirigi, quam ut Astræam, justitiæ deam, revocent, relegatam ex mundo: murarios se esse, sed eos, qui templa existruant virtutibus, carceres maleficiis, et criminibus. In Italia cum apparere cœpissent Murarii, Clemens XII. Pontifex illico eis obstitit, et per Bullam suam cavit, ne se quis in eorum societatem immitteret, et tam in ingredientes in hanc societatem, quam hanc ipsam Ecclesiastico fulmine percussit. Benedictus XIV. renovavit hanc condemnationem, cujus causas istas declaravit esse. In hac societate foveri religiones omnes, unde vero contagionis periculum iis sit, qui in hanc ingrediuntur Catholici; silentium, quod servarent, loqui illud, quod in suis conventiculis agitarent,

non

non esse innocuum, et bonum: Nam, quemadmodum Minucius Felix dixerit, Honesta semper publico gaudere, scelera secreta esse: sed nec jusjurandum, quo se obstringant, esse reipublicæ tolerabile tum sacræ, tum profanæ, ad quam utramque spectet scire, quid in eorum conventibus agatur; quam vero cognitionem subterfugiant, et nolint esse; denique secretos ejusmodi conventus semper fuisse legibus inhibitos tam Ecclesiasticis, quam civilibus.

Equidem Procopii declaratio habet omnia pulchra, et sancta de Liberis Murariis; sed est testimonium, quod ipse de se dicit, et cui proinde credi non debeat: et si talia sunt, quid opus erat, ista tam occulte agitare? et siquidem Procopius jure jurando obstrictus erat ad illa occultanda, atque nulli Murariorum licuerit sua pandere, et revelare, qui credi potest, hoc sincere illum fecisse? denique etiamsi sincera hæc illius confessio fuisset, annon omnes deinde etiam seditiosi, et rebelles, qui Regis, et tot aliorum innocentium sangvine se inquinarunt, suæ libertatis, et æqualitatis quasi justam causam suis immanissimis sceleribus prætexuerunt? Quidquid autem sit de eo tempore, antequam Murarii cum philosophis Deistis in unam societatem coivissent, illud certum est, quod philosophis Deistis fuit, altaria, et thronos evertere, esse assumptum etiam a Murariis. His enim erat graduum illorum unus, quos in sua societate habebant, ad quem, dum quispiam adscenderet, jusjurandum dabat, posito pede supra coronam ante altare jacentem, et dextra gladium in alteram coronam supra altare collocatam distringendo. Antequam Petrus III. Russorum Imperator a. 1762. e throno suo dejectus esset, jam

hoc

hoc prius in Murariorum uno Loge erat deliberatum, et constitutum, et a quodam Gallo, nomine Valois eidem Petro indicatum. Anno 1776. a Parisiensi magna Loge quidam Sinetty missus erat Lilerium, quod oppidum Artesiæ est, qui Murariis militaris Loge in legione De là Sarre nuncium ferret, Ordinis Murariorum esse mysterium magnum, ut mundus ex tyrannorum (Reges hoc nomine designarunt) compedibus solvatur, et dispulsa superstitione lux oriatur, atque in locum servitutis libertas succedat, et æqualitas. Barruel hoc refert *Memoires Tom.* 2. *pag.* 427. idque pluribus testibus ex eadem illa legione.

Philosophi Deistæ consociati Liberis Murariis, tam sibi, quam Murariis adjunxerunt etiam Illuminatorum societatem. Hanc instituit Adamus Weishaupt Professor Juris Ecclesiastici Ingolstadii in Germania a. 1776. Fuit huic initio propositum, tantum societatem cum quibusdam, qui initio tantum tres erant, inire, ut fortior evaderet adversus quosdam e Societate Jesu, a quibus dissidebat. Brevi autem nactus est socios plures. Contigit, ut unus sociorum illius Augustæ Vindelicorum inciderit in quemdam Abbatem Marotti, qui eum pellexit ad Murariorum liberorum societatem, ex qua et ipse Marotti erat: qui cum rem statim communicasset cum Weishauptio; hic cum tota sua societate transiit ad Liberos Murarios, et quoniam hi jam copulati erant cum philosophis Deistis, proinde cum his quoque in unam eamdemque coaluerunt societatem. Hujus societatis homines jam se, priusquam Murariis, et philosophis Deistis sociarentur, Illuminatos (Aufgeklärte) dixerunt. Unde una cum ipsis hocce etiam nomen transiit ad Liberos Murarios, et philoso-

phos,

phos, omnesque illos in Germania, quos adhuc visuri sumus, processisse ex Deismo, et Naturalismo, quem philosophi Deistæ seminarunt in Gallia. Attamen Clubbistarum, et Jacobinorum nomen magis obtinuit in Gallia, Illuminatorum in Germania, quo nomine Germani quasi splendido, et glorioso, se se etiam jactitabant. Cum jam Murariorum societas esset valde propagata, per hanc etiam merces, quæ Deistis erant, et in eorum sententiam concedentibus Illuminatis, celeres alas acceperunt. Solummodo Parisis erant quinquaginta, et secundum nonnullos etiam octoginta loca conventiculorum, neque ullus erat locus notabilis, in quo ejusmodi conventicula agitata non fuissent, pervasitque Murariorum secta regna Europæ omnia, ut ne Italia quidem, ipsaque Roma istius contagionis manserit immunis. Itaque cum in Gallia erupisset ignis ille, qui per philosophos Deistas struebatur seditionis adversus Altaria, et thronos; iste fuit quasi quidam fomes, paratus ad eumdem illum ignem concipiendum. Quod nisi fuisset, Gallis, oestro agitatis libertatis, nunquam res ita cessissent, ut victores volitarent per universam fere Europam.

§. 57.

In Gallia conjuratio erumpit. Conventus totius nationis Gallicæ Parisiis habitus. Tertius status nationis Gallicæ, et populi Classis infima erigit, et attollit se supra alios. Regiminis cuditur nova Constitutio.

Postquam Jacobini, et Liberi Murarii, nec non Illuminati inter se confœderati, cum in suo

Clubb

Clubb, habito in arce S. Clodoaldi, quae spectabat ad Philippum Ducem Aurelianensem, et cujus Clubb unius ex praecipuis Galliae is etiam Magnus Magister erat, suas machinationes bene elaboratas, suaque consilia jam satis matura esse, decreverunt illa exequi. Statuerunt autem omnium primo Regem deponere e dignitate, Philippo Duci praefecturam supremam armorum tradere, et incendere Regis palatium, atque hujus incensione quasi signum ad insurgendum dare. Re ista cum ceteris Clubb, sparsis per regnum, communicata, die 14 Julii a. 1789. Parisiis fores ejus Clubb, quod erat in claustro Dominicanorum in platea S. Jacobi repente aperuerunt. Fit confluxus eo hominum undique, et intromittuntur. Fit sermo deinde ad hanc multitudinem, quo exponebatur, cur statuissent insurgere, nimirum populi utilitatibus, atque publicae saluti consulturi. Idem fiebat in aliarum civitatum omnibus Clubbis, jamque deinceps haec sua Clubb instituebant palam. Falsos quoque rumores sparserant de Rege, quasi statuisset novis tributis onerare Parisienses; publicarunt quoque nomina virorum illustrium multorum, quos destinaverit proscribere, atque his similia plura fecerant, affixis etiam schedis in publicis Urbis locis. Eo facilius ista credebantur, quod a Ludovici XIV. temporibus populus nimis fuerit gravatus tributis, ita ut deinde sub Ludovico XV. rustici in pluribus locis alii domibus, et agris relictis aliorsum demigraverint, alii herbis agrestibus, et foliis arborum vitam sustentaverint.

Dum res jam hucusque venisset, ut ejus architecti audacissime eam ipsi proclamarent; inter alios proclamatores Parisiis in Ecclesia S. Sulpicii

Abbas Osselin in concione Voltaerum appellavit, ut fructus, quorum sator ipse fuerit, velit adspicere, atque oculis voluptatem capere, et solatium. Is jam ex vita excesserat a. 1778. cum paulo ante Parisios reverti permissus esset, fautorum opera. Erat enim proscriptus a Rege. Talique cum gloria exceptus a Parisiensibus, ut ei in theatro statuam posuerint, coronamque imposuerint in scenico spectaculo, atque ita suspexerint, ut hunc si contingere potuissent, magnæ sibi fortunæ ducerent, ex ipsiusque chlamyde pilos evellerent, et velut thesaurum asservarent. In periculo mortis se constitutum videns, Sacerdotem ad se vocavit, ut ei peccata confiteretur: qui consulto Parocho S. Sulpicii, ipsoque etiam Archiepiscopo sic ad eum rediturus erat, ut si Deo reconciliari vellet; per retractationem eorum, quæ adversus Religionem docuit, apertam, et coram testibus damnum repareret, quod eidem Religioni intulerat. Sacerdos autem volens reverti, jam non reperit facultatem ad Voltærum accedendi illius sociis, et manipularibus omnem accessum impedientibus, ne si ille se revocasset ab iis, quæ adversus Religionem egerat, ipsi pudore suffunderentur, atque ejus hoc facto redarguerentur. Itaque dum Sacerdotis exspectat reditum, sed frustra, in angustias incidit, et in desperationem tantam, ut jam Christum invocaret, jam enormes in eum blasphemias evomeret. In hoc statu animam efflavit, iis qui aderant, testantibus, huic desperationi, atque horridæ morti nihil se vidisse simile. *Barruel Memoires pour servir a l'histoire du Jacobonisme Tom. I. cap.* 17. Nec Alembert, et Diderot, duo primi, et præcipui Voltæri socii, jam superstites erant. Ille a. 1783. hic anno subsequente mortuus est: et hi quoque, dum

am sibi mortem instare vidissent, reverti eo, ade discesserant, volebant. In Alemberto cum oc observassent, Deistæ ex ejus, et Voltæri gre-i, diligentissime custodias egerant, ne quis Sa-rdos accedere ad eum posset. Itaque decessit arisiis, re non perfecta, quam in cogitatione bebat. Diderotum juvenis, quem in domo sua bebat, curatorem suæ bibliothecæ permovit, ut aeret sibi advocari Sacerdotem; veneratque ad m aliquoties Abbas de Tersac Parochus ad S. alpicium. Simul autem atque hoc adverterant eistæ, ipsum, quamvis gravissime affectum, et tali morbo laborantem Parisiis avexerunt ad emdam ruralem locum, ubi paulo post in eo-rm manibus spiritum efflavit. Mortuum vero ii-em cum reportassent Parisios; rumorem sparse-int, subita, et inopinata morte functum esse. *Iem Barruel.*

Sed redeamus eo, unde digressi sumus. Lu-ovicus XVI. cum vidisset, jam omnia in fer-ento esse, atque populum per id inprimis con-itatum esse, quod tributis nimiopere se premi xistimaret, et levamen quæreret, indixit comitia, t conventum totius nationis ad diem 5. Maji 1789. a hunc eumdem finem levamenti præstandi cau-a. E tribus statibus, Cleri, nobilium, et civi-m constabant comitia Galliæ. Tertius status, ui civium fuit, sufflatus a quibusdam, postulavit, t ipse solus auctoritate suffragiorum par, et qualis fieret duobus reliquis statibus, conjun-tim sumptis. Rex inconsiderate assensum præ-buit. Statim vero in hoc conventu omnia dirige-bantur ad inducendam æqualitatem, et liberta-tem, unaque contra Religionem. Comitis Mira-beau hominis, omnibus turpissimis flagitiis infa-

mis

mis proclamatio erat in hocce conventu, Religionem Catholicam non posse cum libertate componi. Istius esse pro dogmate habere servitutem. Si ergo libertatem cuperent, prius Religionem amandandam esse. Rex cum nihil posset boni sperare, mandatum dedit, ut conventus dissolveretur. Paruerunt duo status, Cleri, et Nobilium, non vero tertius, asserens sibi supremam potestatem esse, quam Rex, qui hanc hactenus gesserit, solummodo nomine populi administraverit. Dimiserat Rex ministrum suum Nekèr, cujus infidelitatem expertus erat, et consociatum in consiliis cum refractariis istius conventus, viginti etiam millia militum jusserat convenire. At vero idem conventus adegit Regem, et ad militiam hanc amovendam, et ad Nekerum, (Hugonotta erat) reponendum, insuper ad cocardam quoque assumendam. E ligulis coloris rubri, albi, et viridis constabat, inter se colligatis, et pileo affixis. Atque ab hoc tempore Conventus jam omnia decernebat plena potestate, quam invaserat.

Clero tam Ecclesiastico, quam Regulari ademit omnia bona idem iste conventus, eaque nationi asseruit, idemque paulo post fecit de ærario Regio, et tam Regi, quam Clero pensiones solummodo constituit. Hæc inducta æqualitas omnium inter se, nullaque relicta eminentia est Episcoporum supra Parochos, Cleri supra laicos sublata quoque differentia inter nobiles, et plebejos est, præterea sancitum, ut se se jurejurando omnes obstringerent ad parendum eidem constitutioni, erectumque tribunal, ad exercenda judicia de iis, qui adversus majestatem populi quidpiam egissent, eamque læsissent. Rex renuit Constitutio-

nem

nem subscribere; sed cum Conventus non destitisset eum urgere minis, atque terrore, tandem cessit, et subscripsit. Erat dies etiam statuta, qua Clerus Parisios ex vicinia conveniret ad idem jusjurandum præstandum, atque idem deinde exigeretur ab universo Clero totius regni. Ex Archiepiscopis, et Episcopis totius Galliæ 138. quatuor nonnisi hoc jusjurandum præstiterunt, *Tallyerand* Episcopus Augustodunensis, *Lomenie*, Archiepiscopus Senonensium, mala notatus fama publice, *Jarente*, Episcopus Aurelianensis, moribus etiam corruptissimis, et *Savines* Episcopus Vivariensis, qui non semper compos mentis erat. Parochi, secuti exemplum Episcoporum, etiam negarunt se juraturos. Hi plures erant quinquaginta millibus: qui tamen ex his cesserint, fuerant ad triginta, atque ex his etiam alii cum exceptione, in quantum per hoc jusjurandum non officeretur Religioni, alii vero hocce jusjurandum, quod dederant, retractarunt. Omnes Episcopi, et Parochi, qui recusarunt præstare jusjurandum, ejecti ex Episcopatibus suis, et Parochiis sunt, aliique in eorum locum positi, quibus plerumque nec morum probitas esset, nec scientia, opifices, eorumque sodales, aliique his similes.

Pius VI. Rom. Pont. die 13. April. 1791. Breve edidit, quo Episcopis, et Presbyteris, qui jusjurandum præstiterant, suspendit ab Ordine, nisi intra dies quadraginta jusjurandum, quod dederant, retractassent. Damnavit ordinationes novorum Episcoporum, et Presbyterorum omnes, atque hos, qui contra Canones ordinati erant, suspendit ab Ordinum exercitio. Ab Jacobinis, qui Religionem a se projecissent, non erat exspe-

spectandum, ut aliquam reverentiam præstarent Brevi Romani Pontificis: quin iidem rem contumeliosissimam in eumdem Romanum Pontificem instituerunt. Ejus simulacrum stramine effartum, Pontificalibus indutum, cumque tiara Pontificali in capite, et Brevi, quod missum erat in Galliam, posita ad manum in asino inter petulantissimos cachinnos, et ludibria circumduxerunt Parisiis per plateas, deinde fustibus contuderunt, demum ad rogum imposuerunt, et combusserunt.

§. 58.

Conventus Legifer nationis Gallicæ. Quæ ab hoc acta sint adversus Religionem, et Regem. Emigrantes e Gallia. Regis retractio e fuga. Acerba, et indigna, quæ perpessus est. Ejus supplicium, itemque Reginæ.

Conventus iste nationis Gallicæ, qui illam Constitutionem condidit, et unde dictus *Constitutorius* est, transmigravit die 1. Octob. 1791. in Conventum *Legiferum*, longeque acerbiorem, magisque exitiosum Clero, et Religioni priore. Iste omnium primo declaravit, præeuntibus Barnaveo Hugonotta, et Camo Jansenista, Lariveo autem comoedo adprobante, et laudante, solum Christum esse caput Ecclesiæ, ideoque Gallos non debere curare Sedem Romanam, quidcunque adversum eos ageret Pontifex, deinde populum habere supremam potestatem quemadmodum in re civili, ita et in Ecclesiastica. Tam Hugonottæ, quam Jansenistæ, ut suis locis vidimus, potestatem supremam regendæ Ecclesiæ posuerant in coetu fidelis populi, tamquam corpore Ecclesiæ.

Hoc

Hoc usi sunt Galli ad illam licentiam, quam sibi sumpserunt adversus Regem: cui cum prævaluissent, atque hunc sibi subjecissent, idem illud, quod ab Hugonottis, et Jansenistis fuit excogitatum, sive potius post Marsilium de Padua jactatum ad excutiendam auctoritatem Romani Pontificis, adhibuerunt etiam in re politica contra Regem. Facillimum vero est ex horum altero ad alterum transire. Tanto minus vero fas est spiritualem potestatem Sedis Apostolicæ vellicare, propterea, quod Petro, et in Petro Romano Pontifici a Christo data plena potestas regendi universalem Ecclesiam, tota sit Divina, et ordinata ab ipso Christo; ad Regiam vero potestatem possint etiam concurrere pacta, et conditiones appositæ ab iis, qui Regem elegerunt, aut etiam jus hæreditarium succedendi ei detulerunt, quæ etiam plerumque concurrant. Marsilius de Padua Jurisconsultus erat, qui librum composuit, cui titulum dederat *Defensoris Pacis*, in quo Romanum Pontificem, ejusque spiritualem etiam potestatem subjecerat Imperatoriæ potestati, assentando Ludovico Bavaro simultates habenti cum Bonifacio VIII. Papa.

Hac arrogantia pro fundamento posita rebelles Galli juxta placitum suum Episcopatus alios sustulerunt, alios novos condiderunt. Hæc tamen erant adhuc aliqua sensa de Religione. Itum vero gradatim semper ulterius est, et brevi perventum ad delendam omnem Religionem, tollendamque funditus, nec non ad carnificinam, et crudelitatem, quam Jacobini exercuerunt in eos omnes, in quibus vel vestigium aliquod Religionis adverterunt, quæ nec Diocletiano, aliisque immanissimis Christianorum persecutoribus cesserit, sæpe

etiam atrocior fuerit. Primum erat constitutum, ut solummodo beneficiis suis privárentur ii, qui e Clero renuissent in illam Constitutionem jurare, quin et pensio his erat promissa. At jam nunc (die 29. Novemb. 1791) non tantum novo decreto his, nisi jurassent, denegata est pensio, verum etiam addita comminatio gravium poenarum. Hanc Constitutionem Rex noluit subscribere. Non eo minus executioni dabatur: et Sacerdotes in subterraneos, humidosque carceres eo numero compingebantur, ut alii supra alios in pædore, et sordibus cogerentur jacere. Huic successit aliud decretum, quo sublata sunt omnia Sacerdotum collegia, seminaria, convictus, atque ipsa etiam nosocomia, et interdictum, ne quis Clericali veste indueretur: Religiosi quoque utriusque sexus e suis claustris ejecti, ipsæque feminæ, oestro illo agitatæ Gallico, velut quædam furiæ, scopis armatæ, irruebant in Virginum, Deo sacratarum, claustra, atque has exturbabant. Neque hic res stetit: sed in eosdem recusantes jurare decreta est expulsio e regno. Quæ ita fiebat, ut dum ad fines regni venissent, suis omnibus rebus exigua aliqua pecuniola relicta vix in aliquot dies suffectura, spoliarentur, alii etiam vita privarentur habentes in literis concessæ emigrationis quodpiam signum, quod excubitores positi in finibus regni intelligerent, non ii, qui eas ferrent, vel quispiam alter. Ii, qui nunc permissi erant, emigrarunt, vel jam prius sua sponte emigrarant, prævertentes, quæ præviderant semper graviora pericula, et atrociora mala, nec tantum viri e Clero, verum etiam seculares maxime nobiles, ipsique etiam cognati Regis, dum suæ æqualitatis oestro furerent plebeji in nobiles, et opulentos, adeo, ut a. 1793. in sola Britannia minore (Bretaigne) arces, et do-

mus

mus nobilium, et publicis muneribus functorum quinquaginta, et quinque solo æquata sint, hi, inquam, emigrantes summam apud omnes humanitatem, et beneficentiam experti sunt, in ipsa etiam Anglia. Pius VI. plura illorum millia sustentavit, eos demque commendaverat per literas aliis Episcopis, qui etiam sponte idem faciebant non tantum in Italia, verum etiam Germania, Hispania, Helvetia, albique, neque tantum hi, verum etiam alii seculares. Franciscus Antonius de Lorenzana Archiepiscopus Toletanus in Hispania quingentos suscepit alendos. Donna de Souri, cujus conjux senatoria dignitate præditus erat Salodori in Helvetia sæpe eodem tempore centum, et amplius Sacerdotibus, qui emigraverant e Gallia, subministravit victum, et vestitum, quos tantum speciatim ex innumeris aliis memoro. Idem fiebat etiam a plebe, quamvis tenui in pagis, ad quos Sacerdotes Galli venerant:, ut etiam exigui pagelli quadraginta, et pluribus eorum præberent hospitium, et victum. In Angliam horum plures octo millibus convenerant: quibus omnibus affatim provisum fuit. Pius VI. Regi Angliæ, et nationi per literas gratiarum actionem persolvit. Juxta Prüdhomme (*Voyages et avantures des Emigres*) eorum, qui emigrarunt fuere 123, 789. alii ad 140,000. eorumdem numerum ponunt. Postea vero ipsa etiam emigratio fuit interdicta.

Rex Ludovicus XVI. cum jam bis tentasset Parisiis se subducere, et ad Fanum S. Clodoaldi se recipere, eo procul dubio consilio, ut hinc, si res ita tulisset, fugam ex ipsa etiam Gallia facilius inire posset (duabus solum modo leucis distabat Parisiis). retractus vero semper fuisset, deinde tertio occulte, et noctu se contulit in fugam.

gam die 20. Junii 1791. Marchioni Lafayette, religione Hugonottæ, qui supremus armorum præfectus creatus erat a Conventu nationis Gallicæ, et jam sub Rege primariis dignitatibus exornatus erat, mulier quædam Reginæ ab obsequiis cubiculi, cum observasset, quid Rex meditetur, rem indicaverat. Lafayetteus etiam vigilias a porta, per quam Rex elabi paraverat, longius submovit. At vero Varennas, qua iter facturum Regem conjecerat, misit mandatum ad Dronetum magistrum cursus publici, qui Regis iter sisteret: idem etiam cohortem miserat, quæ Regem reduceret Parisios. Cum eo erat etiam Regina, filius Delphinus, et filia, nec non soror Regis. Ad arcem Tuillerien Parisiis Rex cum ceteris suæ familiæ, e fuga retractis, positus est. Conventus ea moderatione adhuc erat, ut Regem insontem ob fugam esse censuerit, sed factio Jacobinorum, cujus caput erat Philippus Dux Aurelianensis, et qui post istum partes præcipuas habebant, Robespierre, et Brissot, jamque conjuraverant in mortem Regis, variis modis quæsierunt, hunc præcipitem agere, plebemque adversus eum concitare. Die 20. Junii 1792. turba plebeja hominum bis mille, aut etiam amplius, sclopis, gladiis, furcis, atque fustibus armata, e suburbio S. Antonii, duce Santerre cerevisiæ coctore Parisiensis cum fremitu processit ad arcem Tuillerien. Turbæ præferebantur pro vexillo caligæ laceræ, et cor bovis sangvinolentum, habens appensam sibi inscriptionem: Coeur d' Aristocrate, et Tremble Tyran, *Cor Aristocratiæ, et subversio Tyranni*, his symbolis designans, se dominatum Procerum, atque Regis dilaceraturam, et pessumdaturam. Hanc virorum turbam comitabatur cohors mulierum, iisdem furiis actarum. Perfringunt arcis portas, ad ipsumque conclave irrumpunt, in quo Rex erat, eumque confodis-

sent jam hastis admotis pectori, nisi alii, qui aderant, etiam objectu sui capitis eum defendissent, ictusque in eum vibratos reiecissent.

Ad cædem Regis, quæ modo non successerat, perficiendam, Jacobini novam consultationem instituerunt, diemque decimam Augusti præstituerunt, qua rem a se statutam exequerentur. Decreverant autem, arcem Tuillerien oppugnare, Regem, ejusque familiam comprehendere, eumdem Regem ad deponendam dignitatem Regiam adigere, Reginam in cavea ferrea, quam jam habebant paratam, per Urbis plateas circumvehere, ac tandem custodiæ omnes mandare. Neque hinc aliquod fecerant secretum. Res namque non solum Parisiis, verum alibi quoque omnibus innotuerat: quin Conventus nationis eam sibi curæ alicui habuerit ad eam præcavendam. Et quo magis populum sibi facerent adhærentem, mendacia de Rege multa sparserant, et poema quoque iisdem mendaciis plenum composuerant, quod in Conventu nationis lectum, plausu comprobatum fuit. Die 10. Augusti conjurati cum plebe, non tantum ex suburbiis Parisiorum, verum etiam ex aliis locis collecta, et armata arcem Tuillerien invadunt, obvios omnes etiam non resistentes consecant, et trucidant, vicinasque ædes incendunt, Regiam supellectilem omnem diripiunt. Rex, et Regina cum sua familia, ut conjuratorum manus effugerent, ad conventum nationis confugerunt. Quibus cum insultatum esset indignissime, decretum iisdem lectum est, a Conventu factum, quo Regi dignitas Regia abrogabatur; qui deinde ad turrim quamdam cum Regina, et reliqua sua familia inclusus est. Ubi postquam quatuor mensibus, summis acerbitatibus, et indignitatibus affecti tenti

ti fuissent, in Regem die 6. Decemb. a. 1792. actio criminis capitalis decreta est. Bis, die 11. et 26. Decemb. productus est velut reus ad Conventum. Accusatus est conjurationis cum suis fratribus, inde, quia, postquam securitatis suæ causa emigravissent e Gallia, aliorum Principum imploraverint opem adversus rebellem nationem: jamque Leopoldus II. Imperator, Rex Borussiæ, aliique Principes arma ceperant ad domandos Gallos, quorum œstrum libertatis, et æqualitatis, si, ut pronum erat, ejus contagio serpsisset in eorum ditiones, videbant, sibi quoque, atque suis, regnis exitiosam. Etiam indignitas, quam ferebat Rex Galliæ, ejusque periculum, movebat eosdem Principes, ad succurrendum ei. Quamvis non possit dubitari, quin Rex anhelaverit succursum, suamque liberationem; non tamen particeps consilii fratrum suorum erat, qui eis etiam svaserit, ne emigrarent. Prætendebatur etiam securitas, quam suæ libertatis Gallia vivo Rege habitura numquam sit. Facto judicio die 16. et 17. Januarii. 1793. suffragiis 366. nonnisi quinque supra suffragiorum 361. quibus absolvebatur, condemnatus est. Exilium toti Bourbonicæ familiæ e Gallia jam ante erat decretum. Die 21. Januarii inter horam 10. et 11. ante meridiem publice in foro illo ferali instrumento, quod Guillotine appellarunt, caput ei amputatum est. Volebat alloqui populi multitudinem, sperans, si hunc ad commiserationem sui permovisset, sui liberationem e manibus carnificis. Sed is, qui executioni præerat, tympana jussit pulsari, ne ejus vox, vel ipsius etiam populi pro Regis vita exaudiri posset. Hic dicitur fuisse Comicus nomine Dügazon, secundum alios Comes de Ayat, pro naturali filio habitus Ludovici XV. rursus autem secundum ali-

os Santerre, cujus jam facta mentio est. Regina Antonia secuta conjugem suum est die 16. Octob. 1793. eodem supplicii genere interempta. Paulo post etiam Philippus Dux Aurelianensis idem supplicium excepit proditor sangvinis Regii, et dux, atque antesignanus istius feralis libertatis, quæ tum grassabatur in Gallia. In mortem Ludovici XVI. conspiraverat, affectans ipse Regiam dignitatem. Hoc nomine affectati regni condemnatus est. Non fuit genitus paterno sangvine Regio. Ludovicus Dux Aurelianensis, quo se patre natum ferebat, noluit illum agnoscere pro filio suo: et vulgo etiam credebatur fuisse filius cujusdem stabularii ex commercio cum uxore Ducis Aurelianensis, tam prostituti pudoris, tamque sordida femina, ut cum quocumque obvio, quamvis servilis conditionis, etiam in horto, se se prostitueret. Ludovicus autem, quem numquam ante recognoscere voluit, morti proximus, cesserat, suumque dixerat esse filium, adactus per Sacerdotem, qui moribundo administrabat Sacramenta, neque aliter absolvere peccatis eum voluit, nullo modo juste. Nam Sacerdos iste potuitne cogere Ludovicum ad recipiendum eum pro filio suo, si hunc certis argumentis habuit non esse suum? *Triumphus Philosophiæ Pars II. pag.* 362. Etiam sororem Ludovici XVI. simili supplicio illius Conventus teterrimi homines affecerunt. Filius Ludovicus Carolus, Delphinus cuidam sutori traditus est educandus: annis duobus post obiit, veneno, ut valde probabile est. Filia M. Theresia aliquamdiu detenta, dimissa deinde est, et facultatem obtinuit Viennam se conferendi, ubi a. 1799. nupsit Ludovico Duci Engolismensi.

§. 59.

§. 59.

Nova Gallorum Constitutio. Sanctio Reipublicæ. Atheismus, et eversio omnis Religionis. Sævitia Robespierrei. Hujus interitus.

Antequam hæ tragoediæ actæ fuissent, jam ante die 21. Septemb. a. 1792. conceptum in Conventu nationis jusjurandum est de ferendo nullo rege, factaque declaratio, Regiam potestatem desiisse in Gallia, atque hanc esse factam rempublicam; et ab hac die Galli epocham inceperunt ducere suæ reipublicæ, iterumque novam, quæ jam tertia erat, condiderunt Constitutionem sui regiminis, vi cujus Conventus nationis non jam *Constitutorius*, nec *Legifer*, verum Conventus Nationalis (Convention Nationale) fuit adpellatus die 21. Sept. 1792. tribunalque constitutum est, quod *Revolutionale* nominarunt, in quo judices sederunt Danton, Robespierre, et Marat, tanquam firmamentum reipublicæ, libertatisque vindices, et ultores. Vix aliud ullum unquam in universo mundo tam sangvinarium tribunal exstitit. Per hos judices, et maxime per Robespierreum sublata est, et deleta religio, qua colatur Deus, sed in locum Dei data Gallis est colenda *Ratio*. Atque hoc pacto Gallia delapsa ad ipsum etiam Atheismum est. Horror est referre, quæ nunc adversus Religionem, atque eos, qui in ea constantes manserunt, acta sint. Ecclesiæ aliæ dirutæ sunt, aliæ conversæ in templa Rationis. Multa millia Ecclesiarum vicem hanc subierunt. Sacerdotes, etiam ii, qui illud jusjurandum in primam constitutionem dederant, debebant profiteri, quidquid hactenus de Deo, et Religione docuissent, fuisse nonnisi meram fraudem, et deceptionem populi.

Ab-

obas Sieyes, cujus jam facta mentio est, fuit
us eorum, qui quamvis vix aliquando visus
ari, et Clericali indutus veste nunc in Sacerdo-
i apparatu cum calice, et patena in manu quem-
modum a Sacerdote itur ad altare, venerit ad
onventum nationis, et calicem cum patina a se
ojecerit, ceteraque omnia ornamenta vestitus
cerdotalis. Quidam Sacerdos, nomine Chal-
er, cum conscendisset locum eminentiorem,
ucifixum, quem manu tenebat, confregit, et
dibus conculcavit vociferando, Satis non esse,
rannum corporum (Regem intellexerat) anni-
latum esse, sed etiam tyrannum debere sufferri,
ii angoribus mentes hominum, et conscientiam
scruciet. Joannes Gobel Suffraganeus Episcopi
asileensis, Klots, et Peraud Presbyteri, plures-
ue istius Ordinis Parisiis e suggesto prædicarunt,
docuisse ea, quæ neque ipsi pro veris habuerint,
isseque deceptores, atque sacram vestem qua erant
duti, sibi detraxerunt, pedibusque conculcarunt.
 Ecclesia ad S. Rochum æque Parisiis, Comoedus
ecundum quosdam, secundum alios Sacerdos, con-
cenderat cathedram, et enormes blasphemias evo-
uit contra Deum, atque hunc deinde provoca-
it, ut si vere existeret, demonstraret se existe-
e. In ludibrium, et derisionem Religionis denuo
arisiis circumductus per plateas, atque in ipsum
tiam nationis conventum cum hujus applausu in-
roductus fuit asinus capiti suo habens appositam
piscopalem infulam, casulam Sacerdotalem in dor-
o, et librum Evangeliorum appensum caudæ suæ: et
uod idem factitatum erat in aliis etiam urbibus.
uin etiam Vissenburgi in Alsatia, quodam Fri-
erico Heidenreich auctore (fuit e Protestante
ctus Jacobinus) festum celebrarunt asinorum.
ollecti erant asini ex tota vicinia, et cum his,

ca-

casulas habentibus in dorso, aliaque ornamenta altarium, appensa suis auribus, processum est veluti ad supplicationem, tota Jacobinorum, etiam quemadmodum asini, sacris vestibus indutorum caterva comitante. Postea Biblia, Missalia, libri precatorii, rosaria, Crucifixi, quotquot reperiri, et haberi poterant in foro in rogum conjecta, et concremata sunt. Ex his autem quidam Ludovicus Apfel huic vere asinorum solennitati illud etiam ad ejus cumulum addidit. Sustulit e quadam Ecclesia Venerabile Sacramentum, atque hoc asino dedit vorandum dicens: En asine accipe, et vora hunc Deum! Etiam Argentorati, aliisque in locis hoc actum asinorum festum est.

Robenspierreus Gallis pro Deo dederat suam cuique propriam rationem. Hujus quoque festum, multoque etiam majore cum celebritate actum est, primumque Parisiis, deinde vero aliis etiam in locis. Comoeda, et meretricula famosa nomine Aubri, collocata erat in curru triumphali, habens Crucifixum sibi datum sub pedes, et cum pompa vehebatur ad Ecclesiam Cathedralem, et in hanc inducta constituta est in ejusdem Ecclesiæ altari maximo, et proclamatum, hanc esse Rationis deam, quam oporteat adorare: neque deinceps futuram aliam religionem, quam eam, qua libertas colatur in templo Rationis. Tura ei inde adoluerunt, hymnos in ejus laudem decantaverunt, demumque ea, in ipso etiam hoc templo, statim perpetraverunt, quæ verecundiæ, et pudoris nullum frænum habuerunt. Etiam in Ecclesia S. Andreæ pariter Parisiis typographi Momoro Jacobini uxor, tanquam dea Rationis posita fuit ad altare. Secundum La Harpe *du Fanatisme pag.* 75. numerus Ecclesiarum, quæ in tem-

mpla Rationis conversa in tota Gallia erant, it 50,000. Etiam Marati imago exposita fuit in mplo ad aram, et populo data venerationi. Is at unus e tribus judicibus, de quibus jam di- um est. Puella Charlotte Corday die 15. Julii 793. illum transfixit, non ferens ejus sævitiam, uam exercebat, seque devovens exitio, ne tam ulti per hunc innocentes caderent. Triumpha- es arcus, et mansolea, huic velut pro libertate ortuo erant erecta Parisiis per omnia fora. Post- uam Gallia reversa est ad mentem ex fanatica ua libertate, Marati etiam imaginem confregit opulus, ejusque cineres, qui erant collocati in emplo Pantheon projecti sunt ad cloacam. Eccle- ia ad S. Genovevam erat Parisiis antiquissima, t splendida admodum. Hanc Jacobini converte- unt in Pantheone, quale erat Romæ ædificatum, t sacratum diis Gentilium omnibus. Hoc desti- arunt pro iis omnibus, qui heroes libertatis vel am Gallis fuissent hoc tempore, quo illam sibi ibertatem asseruerunt, vel deinceps adhuc futuri ssent, et quemadmodum Romani suos Imperato- es per apotheosim inter deos retulerunt, ita ipsi orum etiam memoriam divino honore consecra- unt. Itaque ad hoc templum, quod in Pantheon erterunt, deletis prius omnibus Christianæ Re- igionis vestigiis, intulerunt cineres quoque Ma- ati, et Victoris Mirabeaui, Voltæri, Rousseaui, t plurium similium, hominesque sceleratissimos, ro Deo assumpserunt, qui Deum negarunt, nul- umque esse voluerunt.

Jam statim post illam Constitutionem primam a Conventu nationis factam res non in sola priva- tione Beneficiorum, vel relegatione constitit eorum, qui e Clero jurare in hanc Constitutionem nolue-

runt,

runt, vel e populo his adhæserunt, verum etiam sævitum erat rapinis, atque cædibus pluribus in locis. Hoc factum est Avenione, ubi plures sexcentis e Clero partim suspendio, partim ferro illius Guillotine, multique e populo necati, et Ecclesiæ direptæ, altariaque earum confracta sunt. Postquam autem triumviratus institutus est Dantonis, Marati, et Robenspierrei, judicum adversum eos, qui contra rempublicam, tunc a Conventu nationis sancitam, sensissent, et moliti quidpiam essent; tunc vero omnia impleta erant cædibus, et rivi sangvinis fluxerunt per universam Galliam. Nam cum hi fundamentum statuissent suæ reipublicæ, atque libertatis in abnegatione omnis Religionis, præterquam ejus, quam erga deam Rationis, et in meretricibus, supra altare collocatis, sibi constituerant, omnis etiam religio, nec tantum Catholica, verum etiam Hugonottarum, Lutheranorum, Jansenistarum, factum est piaculum morte luendum. Neque etiam ipsos Judæos immunes esse siverunt. Hugonottæ, dum prima tempestas erupisset in Clericos, aliosque nolentes jurare in Constitutionem, steterant in prima adversum istos acie, dumque gladios horum jugulo admovissent, et hastas pectori, insultabant voce magna clamantes: *Carolus IX. Ludovicus XIV. Nox Bartholomæi!* Non diu igitur se oblectarunt in sangvine Sacerdotum Catholicorum. Galli abrogaverant etiam diem Dominicam, et novo composito Calendario per Comoedum Fabre d' Eglantine, in ejus locum subsituerant diem quamlibet decimam, qua feriandum esset. Hunc diem in locum Sabbati etiam Judæis præscripserant: etiam postulatum ab his fuit, ut barbas deponerent. Illis vero diebus singulis decimis in anno, quos feriatos esse voluerunt, ad

d colendam etiam per festos dies deam Rationis, la adhuc magis exercebant, quam aliis diebus, i quibus cultum istius suæ constituerant, videcet in iis, quæ, ut jam dictum est, erant spurissima.

Ipsa illa die, decima tertia Augusti 1792. qua Rex inclusus ad turrim fuit, cœpit etiam stius Triumviratus carnificina, et crudelitas, prinumque Parisiis, et a Sacerdotibus, qui jurare Constitutionem Conventus detrectarunt. Intelligiur Constitutio illa, qua sanxerant, Galliam esse empublicam, atque una atheismum: quasi cum epublica Religio non posset consistere. Inquiitum est in hos Urbe tota: qui reperti sunt, ilii in claustra, jam expulsis antea Religiosis deducti sunt plebe petulanter ipsis insultante. Houm centum, et octoginta ad claustrum Carmelitarum, duo, et nonaginta ad Seminarium ad S. Firminum, et quinquaginta in suburbio S. Victoris ad carceres deducti sunt. In hos primum deportatio erat decreta. Non mansit vero penes hoc. Die 2. subsequentis mensis Septembris venit ad claustrum Carmelitarum turma militum. Sacerdotes huc inclusi congregantur in unum locum: emittuntur deinde per portam ad hortum, ad quam milites collocati stabant, qui prodeuntes partim gladio confoderunt, partim sclopis trajecerunt. Ex centum, et octoginta vix triginta elabi, et necem effugere potuerunt. Inter eos, qui occisi sunt, fuit etiam unus Archiepiscopus, et duo Episcopi. Nec alia sors erat aliorum, aliis in locis. Illi duo, et nonaginta in Seminario S. Firmini, pars capite minuti, pars gladiis concisi, pars præcipites per fenestras dati sunt. Quod Parisiis cœperat fieri, idem fiebat in aliis etiam locis.

cis. Minimum aliquod indicium, et signum, apud quempiam repertum Religionis, ut libellus precatorius, rosarium, Crucifixus, imago alicujus Sancti, vasculum pro aqua benedicta, et quidquid his simile est, si observatum, erat luendum capitali supplicio. Non licuit uxori doloris aliquod indicium facere, dum interficeretur maritus, nec prolibus in supplicio parentum. Supplicia erant non semper etiam ordinaria. Parisiis in foro matrona Comes de Perignan, ejusque duae filiae lento igne tostae sunt: ad eumque ignem impositi erant Sacerdotes sex, qui dum urerentur in igne, plebs jubilans saltabat circum rogum. Nec contenta erat semper crudelitas, si impositi ad rogum igne consumerentur: semiusti e rogo extrahebantur, quo productior fieret cruciatus, iisdemque insuper insultabatur. Matronae quaedam vivae sepultae sunt: amputatisque brachiis, si conjugibus suis amplexum adhuc dare ante suum supplicium voluissent. Frater infra fratrem, qui positus infra Guillotineam erat, cogebatur sic stare, ut fratris sangvis supra ejus caput deflueret: filius comportare ligna ad rogum, in quem imponendus pater erat. Tantusque erat Jacobinorum furor, et immanitas, ut ipsi suis manibus etiam interficerent suos parentes ab Jacobinismo abhorrentes. Quidam ex his ad Conventum nationis venerat cistam ferens, postque allocutionem factam ad Conventum, et adhortationem ad occidendos suos propinquos omnes, ipsos etiam filios, et parentes a populari libertate dissentientes, protulit e cista capita patris, ac matris, quos ipse manu sua idcirco obtruncaverat. Collaudatus est a Conventu, et mandatum, ut haec capita sepelirentur in ipso loco Conventus post statuam Bruti, quae illic constituta erat, qui pro libertate Rei-

Reipublicæ Cæsarem interfecerat. Quidam Bassot la Marelle, vir illustris, cum conjuge sua, filio, sorore, hujusque filia ferro illo ferali cecidit dicto Guillotine, tantum ideo, quod in ejus sacculo (Portefeville) repertum esset frustillum non majus lente, quod ex veste arguebatur esse, qua Rex indutus, erat dum affectus esset supplicio. Ex ipsis etiam occisorum cadaveribus furiosa crudelitas fecerat sibi non tantum tripudia, et spectacula, verum etiam inhumana, plusquam barbara, atque ferina fercula. Non tantum enim his illudebatur, eorumque capita in hastis tripudiando circumferebantur, verum etiam carnes, et corda consecabantur, atque genus illud cibi, quod Galli *Pates* vocant (Pasteta) parabatur, et in foro vendebatur cum proclamatione, cujusmodi hæ Pastetæ essent, et cupide emptæ vorabantur. Etiam ex ipsis visceribus interfectorum sibi Cocardas fecerant, quas in suis pileis gestabant. *Triumphus Philosophiæ Part. II. pag.* 491.

Hæc tanta feritas, et immanitas duravit usque ad diem 28. Julii 1794. Pridie per Tallienum, pluresque alios Robespierre tyrannidis fuit accusatus, atque etiam condemnatus. Ita homo periit omni tigride sævior, et rabie plenior, cum septem aliis, quos administros habuit suæ crudelitatis. Ferro illo Guillotineo amputatum ipsi, ejusque sociis caput est, ut modus poneretur tantæ effusioni sangvinis, quam jam horrebant ipsi etiam Jacobini, et nisi properatum cum ejus sublatione esset, res adhuc ad illa priora nimis tragica, et funesta accessisset. Jam enim biduo ante ejus exitium, ad ejus mandatum Parisios convenerant carnifices, evocati ex tota Gallia, ferentes secum restium, et clavorum maximum nu-

numerum ad eos, quos suspectos haberet de alio ab Jacobinis sensu, quemque ad Portam domus suæ appendendos. Si non sublatus porro bacchari in cædibus potuisset, quid futurum fuisset, inde conjectura fieri potest, quod prædicaverit ad libertatem fundandam stabilem, necesse esse, ut Gallia tota subvertatur, veluti ager aratro, et prioribus stirpibus omnibus succisis, hac ratione germinet, et perennet sata libertas. Usque ad annum 1795. Prüdhomme, qui historiam Rèvolutionis Gallicæ, ut eam vocat, scripsit, et ipse ex illius gremio, attamen modum damnans, quo in ea processum est, eorum, qui per carnifices perierunt, habet numerum unius millionis, et ducentorum viginti duorum millium quadringentorum, et trium. Auctor *Tableau des Prisons de Paris* duos milliones hominum perhibet fuisse, qui mactati sint toto eo tempore, quo Gallia illo œstro effrænis libertatis, et æqualitatis agitabatur. Nam eane libertas erat, et æqualitas, dum nemini sentire aliter licebat, quam voluerint homines turpissimi, et sceleratissimi, Religionis, et omnis juris humani eversores, ipsumque Deum abnegantes, non alium ob finem, quam ut effrænem inducerent licentiam omne, quod liberet, etiam fœdissimum, et perversissimum patrandi?

§. 60.

§. 60.

Regimen consulare in Gallia, et primus consul Bonaparte. Galli libertatem apud se institutam, unaque ruinam Religionis student propagare per alias regiones. Romam ipsam occupant. Pium VI. captivum abducunt.

Cum interitu Robespierrei remisit sævitia, uæ per hunc, atque ejus in triumviratu colleas fuit exercita, ipseque etiam triumviratus sulatus, in hujusque locum constituti directores uinque sunt. Horum potestas duravit usque ad iem 15. Decemb. 1799. iisque Consules tres sufecti sunt, potestate eorum definita ad annos ecem. Horum primus erat Napoleo Boneparte, a cum auctoritate, ut ceteri magis tantum nomie Consules fuerint, ipse vero ea valuerit potetate, qua majorem neque ullus Galliæ Regum xercuerit. Brevi autem postea Consularis dignis die 4. Aug. 1802. Bonaparteo extensa est ad empus suæ totius vitæ. Natus est die 5. Febr. 768. Adiacii (Ajazzo) in Corsica patre Carolo onaparte, matre Lætitia, cujus antiqua familia rat, sed jam ad tenuitatem delapsa. Corsica um a Genuensibus, quibus suberat, ad Gallos 1769. transiisset, Napoleo Regio stipendio potus Parisiis in Schola militari educatus est, suæe ætatis anno 17. militare cœpit, in legione rmentaria *La Fere* orsus militiam ab infimo graa Officialium, sic progressus, ut exercitibus præset, ac deinde ad Consulatum, et ad ipsam etiam nperatoriam dignitatem evaserit. Postquam aum assurgere, et crescere coeperat in dignitatias, ferebat se natum die 15. Aug. 1769. Videtr id eo fecisse, ut crederetur in Corsica natus,

jam provincia Galliæ, et Gallicæ nationis esse: cumque dies 15. Augusti ad honorandam memoriam Virginis Deiparæ in cælos assumptæ, sicut alibi, ita etiam in Gallia celebraretur magna solennitate; jam etiam renascente Religione in eadem Gallia; quo ipsius natalis dies evaderet splendidior, hujus anniversario delegerat eamdem diem 15. Augusti memoriæ Deiparæ consecratam, et quæ dies Deiparæ honoribus erat dicata, in hac instituit, et sacravit honores suos. *Allgemeine Hand-Encyclopædie für die gebildeten Stände. Tom. VI. pag.* 677.

Gallica natio cum sibi rempublicam formasset, statuit non tantum numquam deinceps recipere, et habere Regem, verum etiam omnibus aliis nationibus obtulit, et spopondit suas opes, et auxilium ad libertatem etiam sibi similiter comparandam excusso imperio, et potestate suorum Regum. Hæc res tam periculosa, et idonea ad concitandos omnes populos ad rebellandum adversum suos Reges, perturbandaque omnia regna, non movere non potuit Reges omnes, et Principes; ut nationis, sibi, suisque ditionibus tam importunæ, ac periculosæ impetum comprimerent, imo etiam vindicarent cædem Regis Galliæ, ejusque familiæ, ne facto tam tetro, relicto impune, similia eorum populi auderent. Cum his Regibus, et Principibus totius fere Europæ junxarat etiam Pontifex Romanus copias sui status Pontificii, ad tuendum eumdem Statum adversus Gallorum impetum, quorum tota natio insurrexerat, et arma ceperat, confectis tredecim exercitibus, in expeditionemque missis in Germaniam, Italiam, aliasque provincias. Etsi vero Galli percussi fuissent sæpius, tamen, et ipsi hostes

stes suos nimis sæpe cedere coegerunt, et victorias permultas retulerunt. Numquam autem viribus prævaluissent, quod deinde experientia comprobatum est, nisi alias etiam artes adhibuissent. Quocumque enim venerant, non se aliter venire prædicabant, et proclamabant, quam amicos, et ad libertatem suam cum omnibus communicandam, et ad jugum gravissimum, quo premerentur, depellendum. Quocumque venerant, arbores libertatis, sic enim has vocitabant, erexerant, populosque ad amplectendam libertatem invitaverant, atque, ut res speciem libertatis haberet, provincias in respublicas transformabant. Talis respublica per Gallos tunc facta fuit Cisalpina in superiore Italia, ubi est Lombardia, talis Parthenopea in regno Neapolitano, talis etiam Romana. Et quod Deistarum libris effectum est in Gallia, ut Galli ruerent ad libertatem, quæ licentiam daret quidvis agendi etiam turpissimum, conculcata Religione; ad hoc jam etiam præparati erant plurimi in aliis regnis per lectionem eorumdem librorum, jam quaqua versus sparsorum, qui non minus etiam apud hos pronas aures reperirent cupidos licentiosæ vitæ, ut non tantum non metuerent, vel horrerent Gallorum adventum, verum etiam avidissime, magnaque cum voluptate susciperent. Et quemadmodum Roma habet Congregationem de Propaganda Fide, videlicet Catholica, sic Jacobinis quoque fuerit Tribunatus ad propagandum Deismum. Hujus partes erant, mittere emissarios, et conducere pecuniis, qui eumdem in suis terris disseminarent Deismum, vel etiam sufferre eos, quibus major potentia huic propagationi obsistendi esset. Qua ratione corruptus etiam Abbas Martinovicsius in Hungaria volebat illam libertatem, qua fervebat Gallia, pro-

pagare: sed re mature detecta, factio oppressa est. Aerarium ex collatione Jacobinorum tam dives erat, ut triginta milliones librarum Gallicarum hæc Propaganda singulis annis erogaverit in Deismi propagationem. Id, quod ex Dümourier unius etiam ex Jacobinis, epistolis docet Girtanner *Politische Annalen Tom.* 3.

Tali ratione cum Galli a. 1797. irrupissent in Statum Ecclesiasticum, occuparunt Bononiam, Ferraram, et Romandiolam. Vim magnam pecuniæ coactus est Pius VI. Gallis solvere ad solas etiam inducias impetrandas: pacem vero volenti inire, ejusmodi conditiones præscripserant, ut in eas non posset consensum dare. Fretus auxilio Austriacorum, et Neapolitanorum cum institisset bello, idque eventum habuisset haud prosperum, cessit Gallis multa, ne omnia amitteret. Galli, cum eos Itali non tales experti fuissent, quales se illi prædicabant velut liberatores, sed potius ab his premerentur inclementer, atque in illos insurrexissent etiam Romæ; denuo mense Januario anni subsequentis venerunt in Italiam, et occuparunt omnia, quæ erant in ditione Romani Pontificis. Die 15. Febr. ejusd. a. 1798. denunciarunt Pio VI. ejus desiisse potestatem in Status Ecclesiastici provinciis. Qui nihil respondit. Postulatum deinde ab eo est, ut thesauros, et pretiosa traderet. Nihil horum erat reliquum, jam omnibus traditis antea, et Parisios ablatis ad redimendam pacem præter annulum Piscatoris, et alterum, quem digito manus suæ insertum habebat. Etiam hi ei ablati sunt, dicente Pio, Acciperent igitur omnia, seque ipsum.

Die

Die 20. Febr. abductus est Senas, et ad Claustrum S. Barbaræ positus. Perusiæ exorta est seditio adversum Gallos. Fuit celeriter exstincta. In Pontificem vero Galli contulerant, per monachos ipso auctore esse seditionem illam excitatam. Coactus est ire ad claustrum Carthusianorum non procul Florentia. Invisebant eum Episcopi, aliique illustres viri, nec non Principes, et dona mittebant etiam Carolus IV. Rex Hispaniæ Madrito. Non placebat hoc Gallis. Igitur etiam hinc illum auferri voluerunt. Erat jam annos natus duos, et octoginta, et ita affecta valetudine, ut medici testarentur, eum iter facere non posse absque præsentissimo vitæ periculo. Missi sunt medici alii: qui cum testimonium dixissent contrarium, et posse iter facere, die 27. Mart. 1799. Pius ablatus est, primum Gratianopolim (Grenoble) et hinc ulterius Valentiam (Valence) quæ ambæ urbes sitæ in Delphinatu sunt. Qua vehebatur, hominum confluxus maximus fiebat non tantum in Italia, verum etiam in Gallia procumbentium in genua, et petentium benedici ab eo. Sed in Gallia cohors militaris, quæ eum comitabatur, interceperat hanc ejus venerationem, cortinas fenestrarum currus demittendo, ne conspici posset. Valentiæ prorsus prostrata valetudine, et defectus viribus, jam neminem ad se admiserat, præter Labradorum ministrum Regis Hispaniæ. Etiam hinc adhuc ulterius Divionem (Dijon) urbem in Burgundia sitam auferre volebant. Sed jam sensibus destitui inceperat. Paulo ante mortem sibi restitutus Episcopo, quem secum habuit, mandavit, ut suo successori in Pontificatu hæc sua verba perferret: *Ego Gallis ex animo ignosco: sic ut Successor meus ipsis etiam ignoscat, rogo.*

De-

Decessit die 29. Aug. 1799. anno ætatis 83. Pontificatus 24.

§. 61.

Pius VII. Rom. Pont. Gallorum successus in Italia, et Germania. Bona Ecclesiarum in Germania transeunt ad Principes seculares.

Electus in ejus locum, et factus Pontifex est Pius VII. genus ducens ex familia Comitum Chiaramonti natus Cesenæ die 14. Aug. 1742. Anno 16. ætatis Ordinem S. Benedicti ingressus, a Pio VI. ad dignitatem Cardinalis, et Episcopi civitatis in Romandiola, quæ nunc Imola, antiquitus Cornelia, vel Forum Cornelii adpellabatur, evectus est a. 1785. Eodem anno, quo Pius VI. mortuus est videlicet 1799. exercitus Austriacus, et Russicus victis, et pulsis Gallis, liberaverat Italiam. Cardinales Venetiis convenerant, et die 14. Mart. a. 1800. elegerunt Pium VII. qui eodem anno die 3. Julii Romam intravit; quæ abrogata republica, rediit ad ditionem Romani Pontificis opera, et auxilio Principum contra Gallos confoederatorum. Napoleo, cujus ductu Gallis in Italia res prospere cesserant, erat missus ab iisdem Gallis cum classe in Aegyptum. Quo illorum consilio factum istud sit, quantum augurari licet, auctore eodem Napoleone hoc fecerunt; qui hac via, per dominatum supra Aegyptum quæsiverit se ad culmen potestatis in Gallia attollere. Cum is classem ad Aegyptum appulisset, et milites exposuisset proclamationem ad Turcas fecerat, se ea de causa venisse, ut eorum protegeret religionem, et subsidium contra Mamelucos ferret.

Hi

Hi aliquando Turcas in Aegypto graviter presserant: sed jam nunc, prævalentibus Turcis, alia in Aegypto rerum facies erat. Ferebatur, circumcisum quoque esse, ut Turcas ad se attraheret. Hoc tamen velut certum deprehendere non potui. Satis est, apostolum agere voluisse Mahometanæ superstitionis, prorsus autem consilio haud in rem suam idoneo. Qui enim sperari poterat, ut se Turcæ ultro subjicerent Gallis? Itaque se Gallis Turcæ fortiter etiam opponebant, et quos ceperant, crudeliter occidebant. Etiam classis Anglorum duce Nelsone insequebatur classem Gallorum, quam assecuta, sed jam in portu Aegypti subvertit, et perdidit. Bonaparte nuncio accepto de rebus suorum in Gallia male gestis, nullamque ejus rei spem videns, cujus causa in Aegyptum venerat, relicto eo exercitu, qui adhuc supererat, ad certum etiam exitium, rediit ita dextre, ut Anglorum classem eluserit. Milites, quos secum vehebat, cum morbum epidemium in iis observasset, dato veneno sustulit, ne eorum curatio moram ei in navigando faceret. Idem consveverat facere erga eos, qui etiam postea in illius bellicis expeditionibus, milites sauciati in præliis erant, eo quod hi jam non magno usui futuri ad prælia essent. Non est exemplum, hoc unquam factum ab aliquo barbaro esse, ut milites de se bene meritos etiam urgeret ad exitium, et non magis eosdem sibi fovendos, juvandosque existimaret.

Die 14. Octob. 1799. Parisios pervenit. Incusavit Directores, penes quos summa erat potestas, quod quam rempublicam ipse victoriosam reliquisset, hanc nunc victam et labentem repperisset. Nam Gallis expulsis Italia erat recupera-

ta

ta copiis Austriacis; Russorum exercitus jam premebat ipsius Galliæ fines. Igitur cum populus in Bonaparteo spem suam omnem collocasset, facile obtinuit, ut Directoribus potestas abrogaretur, et Consularis in ejus locum substitueretur, ipseque inter tres Consules in locum Directorum primus Consul fieret ea cum auctoritate, qua jam dictum est. Nec spes fefellerat Gallos, quam in Bonaparteo posuerant. Jam in vere subsequentis anni in expiditionem exercitum eduxit, et facto itinere per alpes Helveticas, quod nemo credidisset fieri posse, nisi factum fuisset, mense Majo castra in Italia posuit. Venerat rumor in Italiam de illius transcensu per alpes. Sed nemo credebat, hoc illum vel ausurum. Die 16. Junii ad Marengo, vicum in Liguria, non longe ab Alexandria, Austriaci, quibus Melas belli dux præerat, conflixerunt cum Bonaparteo. Usque ad noctem cum pugnatum esset utrinque acerrime, Galli inceperunt retro cedere, et victi fuissent nisi alter eorum exercitus subsidiarius accurrisset: cujus adventu Galli jam fugam capessentes cum animos recepissent, præliumque instaurassent, superiores evaserunt. Etiam in Germania alter exercitus Gallorum duce Moreau copias Austriæ, et Germaniæ confoederatas vicerat. Secuta est pax die 9. Febr. 1801. Lunævillensis, qui locus situs in Gallia est, qua non tantum dominatum suum in Italia instaurarunt, verum etiam Germaniæ partem ultra Rhenum ad mille ducenta quadrata milliaria Germanica Galliæ adjecerunt, iis Principibus, et territoriorum dominis, qui hic possessiones suas habebant facta concessione sarciendi detrimenta sua per occupationem bonorum Ecclesiasticorum in reliqua Germania. Quo pacto, bona, quæ possidebant Episcopi, Abbatiæ,

Col-

Collegia Canonicorum, amissa sunt, et cesserunt in Germania Principibus secularibus.

§. 61.

Synodus Parisiensis Cleri Gallicani, qui in Constitutionem nationis Gallicæ juraverat. Libertas redit in Gallia Religioni Catholicæ. Pius VII. Parisios pergit ad coronandum Bonaparteum Gallorum Imperatorem.

Galli illius tanti sangvinis per Robespierrium, ejusque collegas in triumviratu tota Gallia fusi, satietate defatigati, cum sublatis illis tribunis, aliud sibi regimen posuissent quinque Directorum, et ille remisisset furor persecutionis, quo Religionem omnem sublatam esse volebant; iis Episcopis, atque Sacerdotibus præsertim rediit libertas, qui in Constitutionem primam juraverant. Hi a. 1797. Synodum, et Conventum, quem Generalem Cleri Gallicani appellarunt, Parisiis celebrarunt, nec tantum Episcopi convenerant, verum etiam Parochi eum in finem, ut scissio Cleri propter jusjurandum in Constitutionem datum tolleretur, atque ii, qui hoc jus jurandum dare noluerunt, cum iis, qui dederant, in unum coirent. Erant et hi invitati ad conventum, sed nullus eorum venit, utpote quem haberent pro conventu hominum schismaticorum. Die 15. Aug. inceperat iste conventus, duravitque usque ad 13. Novembris. Interfuerunt nonaginta circiter partim Episcopi, partim Parochi, turbaque aliorum spectatrix ingens. Ab his forma ista concepta, et descripta est concordiæ. Profitentur se credere omnia dogmata Fidei, ipsumque etiam

Pri-

Primatum Romani Pontificis, Ecclesiaeque eam potestatem, qua haec ipsa se regat, et Episcopos esse superiores Presbyteris. Decernant deinde, ut Episcoporum electio fiat a Clero, et populo, ejus vero confirmatio per Archiepiscopum, utque eorum, qui in Constitutionem jurarunt, rata habeatur ordinatio. Facile cuique apparebit, Primatum, quem erant professi Romani Pontificis, non esse potestatis, et jurisdictionis. Hanc Synodum suam miserant ad Sedem Apostolicam, et Pii VI. literis imputarunt Cleri scissionem in Gallia, petieruntque ab eo, ut hanc tolleret, utramque partem Cleri inter se conciliando. Conciliatio haec ea ratione obtenta fuisset, si Pontifex sua Brevia adversus Clericos, in Constitutionem, qui juraverat, emissa revocavisset, eamque Constitutionem ipse etiam ratam habuisset. Pius VI. nullum his utpote ab Eclesiae communione alienatis, responsum dedit.

Postquam vero Consulare regimen inductum est; per Consules Religioni Catholicae plena libertas asserta est, veluti Galliae propriae, atque dominanti. Cum inter Consules tres Bonapartei maxima fuerit auctoritas, istius laudis ei etiam praecipua debetur pars. Multa vero ille postea egit, quemadmodum visuri sumus, nullatenus laudabilia, et propitia Religioni. Deismus, et atheismus peperit in Gallia effraenem omnia, etiam, quae turpissima, et perversissima sunt, agendi licentiam: dum matrimoniorum sanctitas esset nulla; dum in foedissima voluptate cultus etiam constitutus esset ad honorandum Rationis deam, quam sibi posuerunt in locum Dei; dum assereretur, rerum proprietatem esse contrariam libertati, et aequalitati, in quibus basim constitue-

runt

runt reipublicæ suæ, dum assererent, per hanc proprietatem, quando inducta inter homines est, actum esse adversum jus, quod quisque habeat a natura sibi datum, qui locus, quæso mansit alicui morum honestati, et securitati rerum suarum, ipsiusque vitæ? Dum Bonaparte factiose jam quæsivisset Consulatum, atque res hæc tractata esset in Conventu nationis, adversarios vero etiam habuisset, in ipso Conventu, occisus fuisset, jam admotis ei manibus, nisi Lucianus frater, et unus militum, quibus stipatus in curiam venerat, adgressorem rejecissent. Cujusmodi pericula etiam postea Bonaparte plura subiit. Ipsis Gentilibus fuit persvasum, sive regna, sive respublicas non posse stare, et firmitatem habere, si abesset religio, et timor deorum, neque aliter, quam hoc fræno societates, et commercia hominum posse vigere. Hoc secum reputasse etiam Bonaparteum, aliosque Gallos, quibus per illam Deistarum philosophiam nondum omne exstinctum fuit lumen intellectus vix videtur dubitandum, et fortasse Bonaparte suarum etiam rerum stabilitati consuluit, quamvis impotenti ambitione, atque ideo quamcunque jam altus, semper tamen altiora petens, ruerit.

Cum ergo statutum fuisset, Religionem revocare Catholicam, et reverti ad obedientiam Apostolicæ Sedis, laboratum a primo Consule est de Concordato, ut illud vocant, inter se et Romanum Pontificem conficiendo. Non est legere apud scriptores, dum natio Gallica primitus facta Christiana est, pactiones fecisse, quibus conditionibus venire velit ad Ecclesiam. Hoc nec Clodoveus, Rex Francorum fecit, nec Constantinus M. Imperator, aut alii Reges. Anne Eccle-

siæ

siæ est, jura Principum velle lædere? Itaque istiusmodi pactiones Principum cum Romanis Pontificibus initæ, semper etiam frigidæ erant, et vacillantes. Hoc Concordatum die 15. Julii 1801. Pius VII. subscripsit jam prius subscriptum a Bonaparteo. Agnitum in hoc a Gallis est jus Romani Pontificis confirmandi Episcopos, coelibatus confirmatus est Clericorum in majoribus Ordinibus positorum, dies Dominica ut antea erat, restituta, aliique dies festi determinati, sed admodum parce, ita ut ipsum festum etiam Sacratissimi Corporis Christi ex feria quinta post primam Dominicam, quæ sequitur Pentecosten, collocatum ad subsequentem Dominicam sit, Episcopatuum quoque nova quæpiam facta determinatio est, et plura hujusmodi pertinentia ad Ecclesiarum Galliæ reginem, cultusque Divini decorem.

Bonaparte jam etiam Consul perpetuus factus eo rem dextre scivit dirigere, ut Consulatus in Gallia desineret, atque Imperatoria dignitas, ubi nec Regiam prius pati voluerant, exsurgeret, ipsique collata sit una cum jure succedendi ex ejus familia perpetuo. Die 20. Maji 1804. proclamatus Imperator Gallorum est. Pium VII. deinde Parisios invitaverat, ut ab eo coronaretur. Fecit Pontifex, ut faciliore animo Bonapartei ad bonum Ecclesiæ, et Religionis uteretur: Usque ad castrum, qui Fonsbellaqueus (*Fontainebleau*) vocatur quatuordecim leucis distans Parisiis in provincia Insulæ Franciæ, Bonaparte ei obviam venit, et 28. Novemb. simul Parisios ingressi sunt. Etiam sub eo prætextu Bonaparte Pium Parisios exciverat, quasi coram, et accuratius ea, quæ ad Religionem pertinent, constituendi causa. Qua de re tamen semper omnem cum Pontifice sermo-

monem fugit. Die 2. Decemb. Bonaparte coronatus est a Summo Pontifice. Hoc ipse Pius VII. dicit in epistola die 5. Febr. data ad omnes Cardinales. Igitur, qui scripserunt tantum ab hoc oleo unctum esse, coronam vero ipsum sibi apposuisse, rem non bene compertam scripserunt. A Pontifice Bonaparte etiam petierat, ut Mediolanum secum veniret, coronam, quæ Ferrea vocatur, ejus capiti imponeret. Quod vero Pontifex jam renuit facere. Itaque Bonaparte relicto Parisiis Pontifice, Mediolanum discessit, et coronam ipse sibi apposuit. Pontifex die 16. Maji 1805. redux pervenit Romam, Bonaparte se etiam deinde Regem Italiæ constituit, et quas prius Italiæ provincias Galli in Respublicas converterant, has sub suam Regis Italiæ potestatem redegit: idemque cum Hetruria, et aliis Italiæ provinciis fecit.

§. 63.

Copiæ a Bonaparteo missæ occupant Romam necquidquam contradicente Pontifice. Causæ quas facto huic suo prætenderit. Pontificis literæ ad omnes Cardinales.

Eo autem magis hoc sibi fixum habebat facere de Roma, utpote principe urbe totius Italiæ, et olim totius Imperii Romani, omnibusque provinciis Status Ecclesiastici. Ultimis diebus Januarii 1808. advenerunt duo agmina Gallorum sub prætextu itineris, quod facerent ad regnum Neapolitanum. Urbem vero ipsam die 2. Febr. intrarunt contra voluntatem Pontificis, cumque is declarasset, se factum hoc debere pro hostili habere. Jam die 9. Jan. Pontifici Imperator Gallorum

quædam postulata sua miserat, et nisi consensum dedisset, minatus est se suas copias impositurum Urbi. Hæc postulata ejusmodi erant, quibus Pontifex negavit se, nisi spreta conscientia, posse suum adjicere consensum. Erat primum, Gallicum ut Imperium suum habeat Patriarcham, qui in potestate non pendeat a Romano Pontifice; alterum, ut Codex Napoleonis in ditionibus Romani Pontificis inducatur, et observetur. Hunc Codicem Bonaparte factus Imperator composuit, continentem statuta, et leges, quas dederat omnibus in Gallico Imperio observandas, nec non pœnas, quas sanciverat in earum violatores. Talis codex erat legum Imperialium ab Justiniano I. Imp. factus. Hunc æmulari voluit in hac gloria Codicis, qui nomen ab eo gereret, velut ille dictus est Justiniani. Nec tamen hoc solum erat: verum legibus in hoc severissimis contra eos sancitis, qui quoquo modo læderent ipsius et successorum ex ejus stirpe dignitatem, suum stabilire, et perenne facere quæsivit Imperium. Tertium erat, ut omnis religio, liberam facultatem sui exercitii, etiam publici, habeat. Quartum, ut Episcoporum potestas reformetur, atque ne hi in potestate sua ab Romano Pontifice pendeant. Quintum, ut Bullæ Pontificum abrogentur, quæ jus transferendorum Episcopatuum Sedi Apostolicæ vindicant. Sextum, ut Sedes Apostolica omnes Ordines Religiosorum utriusque sexus abroget. Septimum, ut eadem Sedes cælibatum Sacerdotum sufferat. Octavum denique, ut Pontifex Josephum Bonaparte Regem coronet utriusque Siciliæ. Pii VI. a Gallis Roma abducti, et suis ditionibus privati partes Ferdinandus IV. Siciliæ utriusque Rex tuitus erat. Quamobrem Bonaparte Ferdinandum a se superatum exuit regno Nea-

po-

politano, atque hoc contulit Josepho fratri. Hunc deinde in Hispaniam transtulit, ejusque Regem constituerat Carolo IV. Rege, et Ferdinando ejus filio factiose submotis. Josepho in regno Neapolitano Joachimum Murat affinem suum substituit. Josephum II. Hispaniæ Regem ex avitico regno propter foedus cum Anglis expulit, et in Brassiliam fugere coegit. Ludovicum alterum fratrem Hollandis dedit, Hieronymum æque fratrem suum Westphaliæ, Bernadotum unum e suis belliducibus suum cognatum od regnum Sveciæ intrusit. Alias provincias aliis dedit partim cognatis suis, partim suis ducibus, et ministris, e quibus Talleirand Ducatum Beneventanum Principatus nomine ab eo accepit. In Germania præter novum Westphaliæ regnum conditum, Dux Saxoniæ, Bavariæ, et Würtembergensis Regio titulo condecorati ab eodem Bonaparteo sunt, Foedusque Rhenanum sancitum, vi cujus omnes Principes Germaniæ, etiam, qui Reges ab eo creati erant, sic facti obnoxii sunt eidem Bonaparteo, ut sive bellum huic illatum undecunque esset, sive is hoc intulisset cuicumque alteri, se cum hoc consociare in bellis, nec tantum militiam, verum etiam subsidia belli præbere, ipsis etiam Gallis deberent. Sub umbra fœderis suæ illos mancipaverat servituti.

Etiam cuique sponte potest apparere, cur Pontifex his Bonapartei postulatis dare suum consensum non potuerit. Postquam Galli Romam nequidquam contradicente Pontifice intrassent, statim idem Pontifex die 5. Febr. literas dedit ad omnes ubivis locorum Cardinales, et quid illi ausi essent, exposuit, unaque illa postulata Bonapartei, quæ deinde Galli prætexebant, cur Ro-

mam

mam invaserint, atque insuper causas explicuit, ob quas consentire in illa postulata non potuerit. Nam, quod ad primum attinet, ejusmodi Patriarcha constituto, qui non pendeat a Romano Pontifice, non mansurum fuisse unum caput totius Ecclesiæ. Itaque se hunc Patriarcham, si poneretur, habiturum pro schismatico. Ad alterum declaravit, Codicem Napoleonis continere ejusmodi, quæ supremæ potestati Apostolicæ Sedis, sacrisque Canonibus, et Conciliis contraria sint. Etiam tertium postulatum de danda libertate omnibus exercendæ religionis, qualem quisque velit, esse non tantum bono Religionis, et Ecclesiæ, verum etiam ipsorum regnorum publicæ tranquillitati, et saluti advetsam. Quartum, ne Episcopi a Romano Pontifice pendeant, adversari instituto Jesu Christi, qui unitatis servandæ causa inter ipsos Apostolos Primatum Petro contulerit, ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio. Aeque quintum de abrogandis Bullis, quibus jus asseritur Romano Pontifici transferendorum Episcopatuum esse Sedi Apostolicæ injuriosum. Quoad sextum de abolendis omnibus Ordinibus Religiosorum, se non vidisse causam, cur id facere deberet, quin potius esse causas, cur his conservandis studere debeat. Ad septimum, quod erat de Cœlibatu Clericorum, hoc sanctitati officere, et puritati Religionis. Denique illud quoque quod erat petitum a se, ut Josephum Bonaparteum Regem utriusque Siciliæ coronet, se facere non potuisse, dum Ferdinandus adhuc viveret, legitimus Rex. Hæc quæ nunc fierent, jam fuisse definita antea, et sive his postulatis cessisset, sive non, Bonaparteum occupaturum fuisse Romam ad suum Italiæ regnum amplificandum inexplebili siti omnia ad se trahendi, qui jam Pontifici denun-

cia-

ciaverit, ut sibi ubicunque vellet, tantum modo extra provincias status Ecclesiastici, locum deligeret residendi. Attamen Gallicus minister Champagny etiam in Pontificem conferebat horum, quæ fierent causam, quia obstinate negaverit suum assensum illis postulatis. Dabatur culpæ Romano Pontifici, ejusque regimini, nullatenus virili, cujus inertia fieret, ut prædones e regno Neapolitano erumpentes prædas agerent in ditionibus Status Ecclesiastici, deinde quod adversus Gallos factionem aliquam occulte fecisset. Erant autem mera commenta. Neque enim ipsi etiam Galli postquam occupassent has Romanæ Ecclesiæ provincias, ullum prædonem ceperant, et puniverant. Et cur factionem occultam adversus Gallos debuisset conflare, in cujus potestate erat vim vi aperte opponere. Ejusdem Pontificis in eadem epistola erant etiam hæc verba: *Pius VII. est absque timore. Ille se non opponit, ille se non abjicit. Nostra fortitudo, nostra consolatio, atque spes est fixa in Jesu Christo, ejusque Religione. Persecutio erit nostra gloria, et mors noster triumphus.*

§. 64.

Qualis ingressus Gallorum in Urbem fuerit, et quæ egerint. Pontifex Bonaparteo minatur excommunicationem. Ille mandatum dat de Urbe occupanda, totoque Statu Ecclesiastico. Pontifex fert excommunicationem.

Miollis dux Gallorum, postquam cum copiis in Urbem per portam *del Populo* intravit, statim Castrum S. Angeli occupavit, Quirinale palatium,

in quo Pontifex erat, custodiis cinxit. Quæ autem deinde ulterius consecuta sint, sic descripta sunt ab ipso Pontifice Pio VII. in Bulla, quam in Bonaparteum emisit. *Milites omnes, quibus ad ordinem, disciplinamque civilem servandam utebamur, nobis erepti, Gallicis copiis admixti, custodes ipsi corporis nostri, lectissimi, nobilesque viri in Romanam arcem detrusi, diesque inibi plures detenti, tum dispersi, dissolutique, portis, locisque Urbis celebrioribus præsidia imposita, diribitoria literarum* (loca intelliguntur, in quibus epistolæ cursu publico advenientes distribuebantur), *et typographea omnia, præsertim nostræ Cameræ Apostolicæ, et Congregationis de Propaganda fide, militari vi, arbitrioque subjecta. Nobis præterea, quæ vellemus aut vulgandi typis, aut alia præscribendi libertas adempta, rationes administrationis, justitiæque publicæ perturbatæ, atque impeditæ, solicitati fraude, dolo, quibusvis malis artibus subditi ad conflandas copias, civicorum militum nomine nuncupatas, et in legitimum Principem rebelles, et e subditis ipsis audacissimi quique, et perditissimi Gallico, Italicove Lemnisci tricoloris insigni donati, et tamquam clypeo protecti impune hac illac nunc coacta manu, nunc soli grassari, et in quævis flagitia contra Ecclesiæ ministros, contra gubernium, contra omnes bonos erumpere aut jussi, aut permissi. Ephemerides, seu, ut ajunt, folia periodica, frustra reclamantibus Nobis, typis Romæ imprimi, et in vulgus, exterasque regiones emitti coeptæ, injuriis identidem, dicteriis, calumniis vel in Pontificiam potestatem refertæ: nonnullæ declarationes nostræ, quæ maximi momenti erant, aut manu ipsa nostra, aut administri signatæ, et nostro jussu affixæ ad con-*

sve-

sueta loca fuerant, inde vilissimorum satellitum manu, indignantibus, et ingemiscentibus bonis omnibus, avulsæ, discerptæ proculcatæ: Juvenes incauti, aliique cives in suspecta conventicula, legibus æque civilibus, et Ecclesiasticis sub pœna etiam anathematis a prædecessoribus nostris Clemente XII. et Benedicto XIV. prohibita severissime, invitati, allecti, cooptati. Administri, et officiales nostri complures, cum urbani tum provinciales integerrimi, fidissimique vexati, in carcerem conjecti, procul amandati. Conquisitiones chartarum, scriptorumque omnis generis in secretis Pontificiorum magistratuum conclavibus, ne excepto quidem primi administri nostri penetrali, violenter factæ, tres ipsi primi administri nostri a secretis Status, quorum alterum alteri sufficere coacti fuimus, ex ipsis nostris ædibus abrepti, maxima demum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium collateralium scilicet, et cooperatorum nostrorum pars a sinu, ac latere nostro militari vi avulsa, atque alio deportata.

Memorat deinde, eodem tempore, quo hæc in Urbe fierent, Sibi in florentissimis Urbini, Marchiæ, et Camerini provinciis fuisse potestatem sublatam: et in his statim esse manifestatum, quid a gubernii Gallici religione exspectandum esset. Statim namque esse occupatum, et direptum patrimonium Jesu Christi, abolitas esse religiosas domos, ejectas e claustris virgines sacras, templa profanata, fræna licentiæ passim soluta, contemptum inductum Ecclesiasticæ disciplinæ, sanctorumque Canonum, promulgatum codicem Napoleonis, atque legum non modo sacris Canonibus, sed etiam Evangelii præceptis, ac

Divino juri adversantium, depressum esse ac vexatum Clerum, sacram Episcoporum potestatem esse laicali potestati subjectam, vimque horum conscientiæ multis modis illatam; demum violenter esse hos e suis cathedris ejectos, et exportatos. *Hæc, hæc*, inquit idem Pius VII. *sunt præclara pignora, hæc illustria monumenta mirifici illius studii in Catholicam Religionem, quod necdum desinit jactitare, ac polliceri*, videlicet Napoleo: qui etiam cum consensum in Patriarcham Gallicæ nationis in nullo pendentem a Romano Pontifice, a Pio VII. petiisset, quemadmodum vidimus superiore §pho inter ejus postulata, pollicebatur futurum, ut puritas Religionis perstet, et fulgeat in Ecclesia Gallicana, quamvis ista habens proprium Patriarcham, exempta esset a subjectione erga Romanum Pontificem.

Hæc dum agerentur Romæ, et in provinciis Status Ecclesiastici iis, de quibus dictum est, nihilque profecisset Pius VII. intercedendo, et contradicendo, sed potius ad ulteriora itum semper a Gallis esset, denunciavit deinde Napoleoni, se adversus eum usurum potestate, quam sibi habeat a Christo datam. Non tantum vero non cessit etiam his minis, sed potius decretum edidit die 2. April. 1808. quo Romano Pontifici abrogavit potestatem omnem civilem Romæ, et in omnes reliquas Status Ecclesiastici ditiones. Tres attulit causas hujus sui facti. Prima erat, quod Pontifex Pius VI. renuisset arma secum jungere contra Anglos; altera, interesse regnorum Italiæ, et Neapolitani, ne hæc interrupta essent, intercedente alia regione a se dissentientis potentiæ; tertia, Carolum M. suum antecessorem in donatione facta Sedi Apostolicæ, spectasse utilitatem

rei

rei Christianæ, nec ejus fuisse mentem, ut hæc vergeret in hostium nostræ Religionis Christianæ emolumentum.

Adversus hoc Napoleonis decretum Pius VII. non intermisit per Cardinalem Julium Gabrielli denunciare suam rursus reclamationem Procuratori Italiæ Alberti: sed et egregie Pius VII. refutavit illud, in quo jus sibi Napoleo constituerat provincias ad se trahendi Pontificias, eo quod hæ Sedi Apostolicæ donatæ fuissent a Carolo M. suo, ut ajebat, antecessore, atque unde sibi potestas esset illud recipiendi, quod ab illo esset datum. Namque notum esse, ab hoc celebri, et glorioso Monarcha, cujus memoria in Ecclesia semper in benedictione futura sit, provincias, quæ nunc Sedi Apostolicæ ereptæ essent, non esse eidem donatas: siquidem constet, has ab earum populis, derelictis ab Imperatoribus Orientis, jam ante, atque ultro delatas eidem Sedi esse: (unde constet, declaratum est supra Part. II. pag. 363.) Pipinum vero patrem Caroli, has Longobardis, qui eas occupaverant, ademisse, atque Stephano Papæ per donationem, (par un acte de donation) collatas esse: etiam longe abesse, ut Carolus Pipini patris sui pium, et magnanimum factum revocare voluerit, quin potius sub Adriano Papa confirmaverit, qui etiam extremis tabulis, tribus filiis suis legem imposuerit; ut has provincias armis etiam tuerentur, Sedique Apostolicæ conservarent. Et ignoravitne Napoleo, qui etiam codicem juris edidit, ab Juris consultis eam censeri donationem, cum quis quid ea mente dat, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, nec donationem esse, si sub conditione

fa-

facta esset? Bonaparte ad bellum contra Anglos inducere voluerat Pium VII. et ad arma secum socianda. Negavit Pius se hoc facere posse; siquidem nullam ab Anglis injuriam accepisset, Se esse ministrum pacis: qui proinde neminem lacessere debeat. Non ignorari Pontifices, qui arma sumpserint, quamvis justis de causis, tamen carptos esse. Attamen ea facilitate erat Pius erga Bonaparte, ut ei spoponderit, nullam se Anglorum navem admissurum ad suos portus. Bonaparte, cui destinatum erat, ditiones Pontificias suo Italiæ regno addere, quo plenius hoc, et magnificentius evaderet, si Pium inducere potuisset ad belligerandum, hoc ipsum deinde sumpsisset ad illum potestate civili spoliandum, quasi cujus personæ conveniens haud esset, bellis operam dare. Et quæ justa causa dici potuit rapiendi ditiones Pontificias, quia interjectæ essent inter regnum Italiæ, et Neapolitanum, quod et ipsum Ferdinando Regi eripuerat, et hoc utile esset Bonaparteo? Ut copias suas ex Italiæ regno posset traducere ad regnum Neapolitanum, hoc etiam nunc Pontifex Bonaparteo dederat, quin annonam quoque præbuerat toti ejus exercitui, quasi tendenti in regnum Neapolitanum, quod erat non nisi simulatum.

Napoleo Caroli M. successorem se vocavit in Imperio. Hoc omnimode verum non erat. Ipse enim fuit Imperator Gallorum, Carolus Romanorum; tantumque abest, ut Imperator Romani Imperii dici potuerit, ut istud etiam subverterit: deinde si voluit haberi Caroli M. successor, igitur probasset se illius successorem etiam in pietate, et reverentia exhibenda Apostolicæ Sedi, in studio tuendæ, et propagandæ Religionis

nis

nis. In Epheneridibus, dictis *Politisches Journal II. Band. X. Stück. October* 1823. est hoc legere: De Napoleone verissime dici potest, illud egisse serio, ut secularem potestatem Romano Pontifici omnem penitus, et in perpetuum auferret, ex spirituali vero potestate hoc solum ei relinqueret, quod sufficeret ad præsidendum nationali Concilio; cujus esset solummodo proponere tractanda, et dirigere, nihil vero per seipsum ut statuere, et præcipere posset: atque hoc, dum jam in insula S. Helenæ esset, declarasse suis familiaribus, quin de hoc dubium ullum possit esse.

His sic se habentibus, sicut nihil sperandum a Bonaparteo erat, ita neque cessit ullis rationibus Pontificis, quin altero decreto etiam adurserit suum anterius statutum. Galli vero, qui occupaverant Romam, in licentia, atque violentia semper ibant ulterius, ita ut amandatis, et vi abductis jam Cardinalibus ipsum etiam legatum Regis Hispaniæ virum integerrimum, jamque grandævum, quod nec Parisiis ipsis licuisset, nullo curato jure gentium, in carcerem conjecerint. Quamobrem Pontifex nihil jam cunctandum ratus, et timens ne si taceret, connivere videretur his, quæ fiebant a Gallis; demum distrinxit gladium potestatis Ecclesiasticæ, offerens, et objiciens caput suum impotentissimo dominatori. Itaque excommunicationis sententiam tulit, jam a se denunciatam Napoleoni, nisi coeptis absisteret, per illam Bullam, ex qua jam producta, et demonstrata sunt, qualia Galli Romæ egerint. In qua, postquam exposuisset ea, quæ eum huc adegegerint, hanc sententiam tulit: *Auctoritate omnipotentis Dei, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra declaramus eos omnes, qui*

post

post almæ hujus urbis, et ditionis Ecclesiæsticæ invasionem, sacrilegamque B. Petri Principis Apostolorum patrimonii violationem a Gallicis copiis attentatam, peractamque - - - in præfata urbe, et ditione Ecclesiæ contra Ecclesiasticam immunitatem, contra Ecclesiæ, atque hujus sanctæ Sedis jura, etiam temporalia, vel eorum aliqua perpetrarunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhærentes, vel alios quoscunque prædictorum executionem procurantes, vel per seipsos exequentes Excommunicationem majorem, aliasque censuras, ac poenas Ecclesiasticas, a sacris canonibus, et Apostolicis Constitutionibus, et generalium Conciliorum, Tridentini præsertim (Sess. 22. Cap. 4. de Reformatione) *decretis inflictas, incurrisse, et si opus est, de novo excommunicamus, et anathematizamus.* Die 10. Junii 1809. edita hæc Bulla est, et postquam ipso Summo Pontifice coram lecta in Ecclesia esset, eadem in consvetis Urbis locis exposita publice, et promulgata est. Statim quidem hanc Galli detraxerant, non eo minus tamen pervulgata est, etiam in omnes partes extra Romam. Quin Pius VII. ejus etiam animi fuit adversus omnia pericula imperterriti, ut ad ipsum Napoleonem statim subsequente die literas dederit, eique significaverit absque ullis ambagibus se se in illum sententiam excommunicationis tulisse. Idem literis, omnibus Fidelibus inscriptis, et qua qua versum missis, rem hanc vulgavit.

§. 65.

§. 65.

ii VII. nocturna abductio Roma a Gallis. Ejus iter donec venissset Savonam.

Ad ea, quæ modo dicta sunt, surrecturam se tempestatem, non potuit non prævidere ius VII. Recepit se in interiorem partem Quiriılis palatii, in quo degebat, atque huc aditum uro curavit obstruendum, ut clarum fieret, vim bi per Gallos esse factam, si venissent, cetera ıratus, etiamsi ad gladium, vel furcam abripe-tur, aut qualecunque aliud mortis genus. No-e, quæ antecessit diem 6. Julii 1809. pars al-ra Gallorum muros horto palatii contiguos con-endit; altera duce Radeto tribuno unius legio-s, quem vulgo Generalem vocant, per fene-ram effractam in palatium irrupit. Helvetæ mi-tes intus in palatio ad Pontificis custodiam omni-m primo exarmati sunt, quibus datum erat man-ıtum a Pontifice, ne se Gallis opponerent. Mu-s deinde vi perfractis ventum est ad conclave ummi Pontificis. Is sedens ad mensulam scri-ebat, amiculo Pontificali, et stola indutus. Quæ-t ex his, quid sibi vellent de nocte. Radetus, qui ılus deposito pileo intraverat, idem vero deinde iam fecerant milites, quibus erat stipatus, de-aravit, se a regimine Gallico missum esse, illi-que mandatum adferre, ut suæ civili potestati nunciet. Id si fecerit, posse Romæ secure per-anere, nulla facta mentione excommunicationis tæ a Pontifice. Pius VII. oculis, et manibus in elum snblatis respondit Generali: Nihil feci, ni-prius invocato Spiritu sancto, tu autem me ius in frusta conseeabis, quam ut ab eo, quod ;i, dimoveas. Generalis, hoc in casu, ait, ha-

heo

beo mihi mandatum, ut Sanctitatem Tuam Roma abducam. Pontifex surrexit, et nihil nisi sumpto Breviario, et data manu Cardinali suo Secretario, eoque comitante, descendit in eum locum palatii, ubi perfracta fenestra intraverant Galli: per hanc alligatus sellæ demissus est, et ad currum positus, et inclusus, qui jam paratus stabat. Cardinalem Pacca permissus est secum assumere, sed quem etiam postea Galli facessere jusserunt. Circa horam matutinam tertiam avectus est. Extra Urbem jam erant parati equi cursus publici. Currus erat forti armatorum cohorte cinctus. Radetus in ejus anteriore parte sederat. Facto mane statim Romæ observatum est, quid actum esset, vulgatumque. Moeror, et triste silentium invasit totam urbem. Qui sibi obviaverant, gementes, lacrymantesque se invicem intuebantur. Multi in Ecclesiis ante altaria procumbentes flebant. Aurigæ, qui adverterant, quem veherent, cum ad stationem pervenissent, in qua alii jungendi erant equi, ante currum in genua prostrati benedictionem a Pontifice petierunt, reversique, et ipsi cum lacrymis rem, quæ accidisset, narrabant.

Iter fiebat cursu incitatissimo, etiam in calore summo: et quamvis studiose occultaretur, quisnam veheretur, tamen Pontifex ex curru in stationibus descendens agnitus cum esset, homines confluebant, et complorationem edebant. Aliquot e domesticis, inter quos erat Princeps Doria supremus Camerarius, secuti erant Pontificem, et Radicofani, in pago Hetruriæ cum eum assecuti fuissent, ægre a Radeto Generali obtinuerunt, ut comitari eum possent. Florentiæ extra urbem in claustro Carthusianorum quies horarum quinque

que concessa Pontifici est, quæ ei neque alibi in itinere nisi aliquot horarum solebat concedi: neque tamen vel Religiosis permissum erat adire Pontificem. Taurinum prætervectus Pontifex, ex incommodis itineris in deliquium inciderat. Cum sibi restitutus esset, dixit Boissardo, qui militibus præerat, a quibus in via custodiebatur, haberet ne mandatum, de se vivo, vel mortuo avehendo. Quod si vellent ipsum occidere, continuaret iter, sin minus, petere se moram aliquam. Itaque in proximo pago quies bidui ei concessa fuit. Die 21. Julii Pontifex Gratianopolim (Grenobl) pervenit, ubi facta mora dierum undecim est. Incolis jam innotuerat Pontificis adventus. Igitur multitudo hominum compleverat omnes vias: omnibusque illis diebus concursus hominum undique fiebat ingens. Permissum erat Pontifici, ut se populo videndum posset præbere, eique benedictionem petenti bene precari. Quin pluribus etiam concessum erat Rei sacræ interesse, quam Pontifex quotidie faciebat, ejusque pedibus osculum dare, nulli tamen e Clero. Cum ei oblatum esset, ut si vellet, curru spatiatum iret, respondit, non esse conveniens, dum Ecclesia posita in luctu esset, ejus Capiti sibi spatiandi aliquod oblectamentum facere.

Gratianopoli novo adveniente mandato medio noctis, quæ diem secuta est primam Augusti, iterum currui impositus Pontifex est, et vectus ulterius die 4. Aug. venit Aquas Sextias (Aix) urbem sitam in Provincia. Interrogatus a suis custodibus ter num hic vellet manere, semper respondit; Prout vultis. Niciam versus (Nizza) urbem in Liguria sitam, iter erat continuatum. Jam fama præcurrerat Pontificis adventum. Statim itaque

que Regina Hetruriæ cum filio, et Episcopus Niciensis properaverant ad Pont du Vare, ut ibi venerationis causa occurrerent Pontifici. Pontem, qui illic erat, is, facto descensu ex curru, jam pedibus transierat cum Regina cum filio ad pedes se illius sternit, neque aliter, quam tristi silentio, dolore vocem præpediente, suum affectum testans in conspectu ingentis multitudinis. Niciam quod maritimum oppidum est in Liguria die 7. Aug. perventum est, ubi triduum mansit Pontifex, quovis interea die etiam octies procedens ad benedicendum multitudini, quæ innumerabilis undique confluxerat. Omnibus autem noctibus collucebant omnes domus, et urbs tota personabat vocibus in laudem Christi, et ad comprecenda fausta omnia ejus Vicario. Die 9. Aug. circa horam sextam vespertinam in conspectu domus, in qua erat Pontifex, ad septvaginta naves constiterunt ordinate, atque plura quam sedecim millia hominum erant congregata ad videndum Pontificem, et benedictionem accipiendam ab eo. Ingruentibus vero tenebris noctis, subito erant naves illæ omnes illuminatæ, magnaque multitudo hominum in litoribus flexis in terram genibus clara voce Rosarium orabat pro salute Pontificis; mansitque omnis populi multitudo ad horam usque septimam subsequentis diei, qua Pontifex currum adscenderat avehendus ulterius, postquam totam illam noctem transegisset decantando hymnos. Quem vero ut viderat abire atque sibi adhuc benedicentem, effusa est in lacrymas. Hinc vehebatur Savonam in eadem Liguria. Sic vero ibat, ut totam viam stiparet innumerabilis multitudo, campanæque pulsarentur appensæ arboribus.

Sa:

Savonam bidui, aut ad summum tridui spatio perventum erat: ubi tribus annis detentus Pontifex est. Diebus ultimis Septembris venit eodem ab Regimine Gallico missus, cui nomen Salmatoris erat, cum famulitio uniformi vestitu induto, ei simili, quem Romæ famulitium Pontificis gerebat, ut eidem Pontifici famularetur, et offerens centum millia librarum Gallicarum in menses singulos: neutrum vero Pontifex acceptavit. Post octo dies venit etiam Gallicus Generalis Berthier, constitutus ab eodem Regimine curator Pontificii palatii. Episcopi Savonensis hæ erant ædes, quas Berthier ad omnem magnificentiam adornandas curaverat. Idem mensam quotidie lautam, argentoquc totam nitentem apparari jusserat, ad quam Pontifex cum omnibus suis invitabatur. Sed nec Pontifex, nec ullus ex ejus comitibus ad eam unquam accessit. Idem jam etiam in itinere suo toto fecerat, nihil acceptans a Gallis, et quod ei per hos erat oblatum ab Imperatore Gallorum. Constituit vivere iis solis, quæ a Christi fidelibus ipsi gratuito erant oblata: sed neque ab his alia acceptabat, quam quæ ad victum spectarent: et hinc, quidquid supererat, pauperibus distribui jubebat. Attamen a pluribus, sed furtim, dum ejus pedes oscularentur, etiam marsupia numata deponebantur. Nam permissum ei erat eos admittere, qui venerationis causa ad eum vellent accedere: cum nemine autem permissus est aliter loqui, quam præsente aliquo ex Gallis, a quibus custodiebatur: quin charta quoque, atramentum, et calamus ei erant oblata, dicente Pio, ad eos, qui hæc petebant: *Accipite ista, si Imperator Gallorum sibi a meo calamo timet.*

§. 66.

§. 66.

Concilium Nationale Parisiense. Cardinales Fesch, et Maury. Concilium hoc quem in finem convocatum. Ejus decretum, et exitus.

Bonaparte ea, quæ in suis postulatis habebat, et in quæ consensum a Pio VII. petebat, sed non acceperat, (Supra §. 63.) alia ratione quæsivit statuere, nec tantum semel verum etiam iterum vimque istis, et auctoritatem comparare. Concilium convocavit Episcoporum totius Galliæ, et Italiæ Parisios ad diem 9. Junii 1811. cœpit autem hoc die 17. ejusdem mensis. Dilationis causa erat Napoleonis filii, qui nunc Franciscus vocatur baptismus collatus ei die 9. Junii maximo apparatu et pompa celebratus. Episcopi convenerunt in palatio Archiepiscopi Parisiensis: hinc vero processerunt ordinate ad Ecslesiam *de Nostra Domina*, Josephus Fesch Cardinalis, Archiepiscopus Lugdunensis solenne Sacrum celebravit, Episcopus Trecensis Stephanus Antonius de Boulogne verba fecit ad Concilium super his Evangelii verbis: *Dum hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis.* Luc. 24. v. 36. Scopus orationis erat. Religionis unitatem esse cuique servandam. Neque enim vel hunc vel ceteros Episcopos fugiebat, quo tenderet Bonaparte isto concilio. Fesch erat frater Lætitiæ matris Bonaparte, primo officium aliquod gesserat circa rem annonariam: deinde factus Clericus est. Religione voro instaurata in Gallia per Bonaparte primum Consulem evectus est ad Archiepiscopatum Lugdunensem, nec multo post a Pio VII. inter Cardinales cooptatus. In hoc autem Concilio factus Præses, tam suffragiis Episco-

porum, quod Lugdunensis diœcesis esset an-
uissima in Gallia, quam Bonapartei etiam as-
ısu, cum in eo non ita rem egisset, et perfe-
set, uti Bonaparte volebat, in offensam illius
:idit. Bonaparteum quidem sibi reconciliaverat,
m hoc redeunte ex insula Elba, et imperium
lliæ denuo occupante ipse etiam Parisiis ad
m excipiendum affuisset; sed Bonaparteo iterum
jecto ex Imperio, et per Ludovicum XVIII. Re-
m Galliæ proscriptis omnibus e cognatione Bo-
partei, ipse etiam Fesch cum se debuisset effer-
e Gallia, Romam concessit, domiciliumque si-
fixit apud Lætitiam sororem suam.

E centum et sex partim Archiepiscopis, par-
n Episcopis constitit hoc Concilium, e quibus
ε etiam Cardinalitia dignitate erant præditi. In
c autem numero etiam comprehenduntur tres
decem, qui solum modo nominati erant a Bo-
parteo ad Episcopum, non confirmati. Quo-
aliquos habebat quidpiam Pontifex, cur eos
nfirmare noluerit. Ex his erat Joannes Sige-
dus Maury Episcopus Montis Falisci. Hic in
nventu nationis Gallicanæ, causam Regis, dum
surrectum fuisset adversus eum, egerat for-
sime; pro eoque steterat, nec non pro ju-
ous Cleri: ideoque carceres etiam subierit, et
supplicium sit expetitus a furibunda plebe. Re-
ıs semper in pejus ruentibus relicta Gallia mi-
avit Romam, factusque est non solum Episcopus,
rum etiam Cardinalis. Postquam autem a. 1804.
ınaparte factus Imperator Gallorum est, cogi-
ısetque Maury jam actum esse de Regia familia
urbonica; ipse etiam transiit in partes Bona-
rtei. Dum Pius VII. Parisios ivisset ad coro-
ındum Bonaparteum, ipse quoque e comitibus

Pon-

Pontificis erat, eique adstitit, dum coronasset Bonaparteum. Anno 1808. fuit ab eodem nominatus Archiepiscopus Parisiensis. Ad hunc regendum, et administrandum relicta Ecclesia sua Montis Falisci se transtulit absque indultu Pontificis, et emendicata a Canonicorum Collegio facultate administrationis. Qua in re Pius VII. etiam semper ut alias, invicte se gesserat, nihil veritus Imperatoris Gallorum iram. Nam Breve ad Mauryum sic dederat, ut hoc ei jusserit tradi a Præposito Majore Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis in hujus limine, dumque intraret in ipsam Ecclesiam, quo ei mandavit, ut administrationem illico dimitteret. Quod is tamen non fecit. Dum Ludovicus XVIII. dejecto Bonaparteo regnum aviticum recuperasset; is Mauryum e palatio Archiepiscopali facessere jussit, sed neque ipsius potestatem aliquam agnoscere voluit Canonicorum Collegium, et Clerus eo, quod careret Brevi Apostolico. Hujus impetrandi causa cum ivisset Romam, ibi ad castrum Angeli inclusus est. Præpositus Major, qui ideo, quod Pontificis mandatum fideliter executus esset de tradendo Brevi Mauryo, mancipatus carceri erat a Bonaparteo; gloriose autem ad libertatem rediit post præcipitatum e solio Bonaparteum. Quin generaliter, Pius VII. sibi statuerat, nullum Episcopum confirmare, nec tantum in Gallia, verum etiam alibi, postquam a Bonaparteo abstracti ab eo Cardinales fuissent, omniaque eorum collegia ad expedienda negotia dissipata, atque ipse etiam redactus ad captivitatem, ut hac ratione urgeret suam, et Cardinalium liberationem.

Jam die 9. Junii omnes simul Episcopi se præsentarunt Imperatori qui sedebat in throno, cu-

cujus verba erant, Negotia Religionis perquam sæpe turbata esse per Statum tertiæ classis sua quærentem. Per hunc tertiæ Classis statum intellexerat Curiam Romanam, per duos alios, statum Ecclesiæ totius, et politicum. Quod dimidium Europæ se ab Ecclesia Romana separaverit, tribuendum esse ei contradictioni, quæ ne nunc quidem adhuc desierit intercedere inter veritates Religionis, et eum, qui sua tantum emolumenta quæreret perexiguus Italiæ angulus. Se finem imposuisse huic scandalo in perpetuum Romam copulando cum Imperio: duoque palatia alterum Romæ, alterum Parisiis assignasse Pontifici: qui si cordi sibi habuerit utilitatem Religionis, libenter habitaturus sit in medio Christi fidelium. Non poterant non sentire Episcopi, quam in arcto essent positi, hinc mala, quæ ipsis instarent, si Imperatori non assentirentur metuentes, inde anxietatem passi ne quid admitterent non bonæ conscientiæ consentaneum. Hoc est, quod die prima Concilii post solenne Sacrum de Spiritu sancto, totus Episcoporum coetus se se in Ecclesia in terram prostraverit Deum orans suppliciter, et invocans in auxilium in difficultate talis negotii. Paucis post diebus Episcopis multo etiam apertius declaravit Comes Montalivet Minister negotiorum interiorum. Intelliguntnr negotia vel quæ ad ipsum Imperium Galliæ spectarent, siquidem alter etiam minister fuerit negotiorum exteriorum; vel quod hæc tractarentur secretius. Prædicabat ingentia commoda imperii Gallorum ex muro dejecto intermedio Status Pontificii inter ditiones sui Imperii in Italia, opus esse, ut nonnisi modice inspiciatur historia, futurumque, ut statim se offerat, quanta mala intulerit Religioni potestatis spiritualis, et civilis confusio. De Romano

Pontifice hoc dixit, istumque designavit. Interesse Imperii Gallorum, ut Romanus Pontifex, Caput Ecclesiæ non sit extraneus, sed talis, qui cum amore Religionis conjungat amorem patriæ: hac ratione jam nullam etiam futuram esse dissensionem in Religione, nullam perturbationem regnorum. Fuisse in Concordato, quod jam antea sit initum, ut intra sex menses nominatos a regimine Gallico Episcopos Pontifex confirmet: dum autem is hanc confirmationam renuit dare, jam vacare viginti et septem Episcopatus cum tanto detrimento Religionis: cumque Pontifex Concordatum non servaverit, inde hoc missum in irritum esse. A præsenti concilio pendere sortem Episcopalis muneris, quæ sola etiam habitura sit influxum in sortem Religionis, videlicet ad determinanda illius instituta.

Ante omnia actum est in Concilio, ut a Regimine Galliæ Pontifici petatur restitutio libertatis, huc enim intentas esse omnes alias etiam nationes, nec sibi cessurum hoc existimationi, si afflicti Ecclesiæ Capitis immemores manserint. Post aliquam altercationem conventum est, ut hoc fieret, non tamen statim a principio, sed alio opportuniore tempore, ne fortasse bonæ causæ noceatur. Imperator misit ad Concilium, ut de eo deliberet, modumque proponat, quo Episcopi poni possint in dioecesibus, etiam Pontifice refragante, idque intra breve tempus. Majore suffragiorum numero declaratum est, Concilio nationali non competere jus pronunciandi, num Canonica institutio Episcoporum valere possit absque influxu Romani Pontificis, et nequidem quoad casum necessitatis. In Concilii congregatione ge-

generali octava, die 10. Julii a. 1811. factum hoc consultum est, quod Imperator Napoleo sibi praesentatum, quo animo tulerit, hinc potest cognosci. Eadem adhuc die vesperi Cardinali Fesch Concilii praesidi venit edictum, quo ei significatum fuit, Concilium esse dissolutum, idemque altera die ibat ad omnes Episcopos. Nocte autem subsequente Episcopus Gandavensis Mauritius de Broglie, et Episcopus Trecensis Stephanus de Boulogne, et sub auroram sequentis diei Episcopus Tornacensis Franciscus Hirn comprehensi sunt, et ad arcem Vincennes, quae in Insula Franciae sita est, deportati, et conjecti in carcerem sunt. Prae ceteris restiterant adversum id, quod statui, atque decerni per Concilium Bonaparte voluerat. Postquam vero Bonaparte ex praecipiti ira se collegerat, famam veritus, quae ei gloriosa haud fieret ex hoc Concilio, utpote cui succubuisset, rem adhuc semel tentare adgressus est. Comes Bigot de Preameneu Minister Cultuum (per Cultus intelliguntur negotia ad Religionem attinentia) ex illius mandato unumquemque Episcopum ad se vocavit seorsim, ex eoque quaesivit, assensum ne dederit, aut non, ei quod datum sibi habebant ad consultandum. Alii horum negarunt se dicturos suam sententiam, postquam jam dissolutum esset Concilium; alii declararunt se non posse assensum dare, etiam nunc; alii ita responderunt, ut ambiguum esset, quid sentirent. De Cardinali Fesch praeside Concilii erat sparsum in eam sententiam Ministro Cultuum locutum esse, quae secundum voluntatem fuerit Imperatoris. De quo cum sermo institutus fuisset apud eum in praesensia, et conventu complurium Episcoporum, negavit hoc esse verum, fecisseque contrarium, atque Impera-

ratori declaravisse, se quoad illud decretum nullam declarationem daturum esse, postquam Concilium dissolutum esset; postquam tres Collegæ sui abducti in custodiam; postquam mandatum de aperiendis carceribus datum esset ad reliquos etiam Episcopos in custodiam dandos, nullaque superesset libertas Concilio: hoc enim ipsi, qua Concilii præsidi, perpetuum dedecus afferret, ejusmodi ignaviam numquam se commissurum.

Idem Minister Cultuum Galliæ adjuncto etiam sibi Ministro Cultuum Italiæ Episcopos jam simul ad se convocavit, ut quod fieret consultum, ab ipso Concilio videretur esse factum. Proposuit his assertiones istas, et quibus, quasi fundamento, superstrueretnr, quod Concilii nomine concinnandum deinde esset decretum. Prima harum erat: *Concilio Nationali competit statuere de institutione Episcoporum in casu necessitatis.* Altera: *Postquam deputatio sex Episcoporum ad Papam fuerit missa, si Sua Sanctitas renuerit confirmare decretum a Concilio propositum, Synodus declarabit, necessitatis casum adesse. In isto casu Concilium consentiente sua Majestate adhibebit media providendi nominationi, et consecrationi Episcoporum conformiter ad Canones, et Consvetudines Ecclesiarum, Concordatis vetustiores.* In hoc conventu tantum exigua pars aderat Episcoporum, ex quibus Concilium constiterat. Multi enim promulgata ejus dissolutione discesserant: cum autem hi, qui præsentes erant, declarassent, opus esse, ut etiam illi convocentur denuo ad hoc decretum, quod petebatur, condendum, facta illorum convocatio, et sessio adhuc una Concilii celebrata est die 5. Augusti. Primo lectum fuit decretum Imperatoris, quo is in-

dulserat hanc convocationem; postea Præses ɔncilii Fesch formulam decreti legit, quod Imɛrator velit condi a Concilio, data adhuc liberte super eo consultandi. Hoc decretum sic se ıbuit: *Concilio nationali competit statuere de stitutione Episcoporum in casu necessitatis.* Est ec illarum assertionum duarum, quæ a Miniro Cultuum erant Episcopis oblatæ. Assertio tera prætermissa est: quia existimabant, non se consultum hanc proponere Pontifici. Sequunır postea ipsius decreti hi quinque articuli:

Juxta spiritum Canonum nequeunt Archiepiopatus, et Episcopatus in uno continuo vacare tra annum unum. Intra hoc unius anni spaum habere debet locum nominatio, institutio, et ɔnsecratio. 2. Imperatori supplicabitur, ut secunum Concordata porro quoque nominet ad Sedes ıcantes, nominati vero per Imperatorem conɛrtent se se ad nostrum sanctum Patrem Papam ro obtinenda institutione Canonica. 3. Intra sex enses, qui notificationem hujus nominationis 'apæ, modo usitato factam, consequuntur, Paı impertietur institutionem Canonicam secunum Concordata. 4. Evolutis sex mensibus, quin 'apa concederet institutionem, Metropolitanus, ut in ejus defectu antiquior provinciæ Ecclesiaticæ Episcopus procedet ad institutionem nomiati Episcopi: quod si autem ageretur de instiıendo Metropolitano, tunc antiquior Episcopus rovinciæ conferet institutionem. 5. Præsens deretum submittetur approbationi nostri sancti Paris Papæ, ac eum in finem supplicabitur suæ Iajestati pro permissione, ut conflata e sex Episopis deputatio accedat suam Sanctitatem, peatque ab ea confirmari decretum, quod unicum

pot-

potest imponere terminum malis Ecclesiarum Imperii Gallici, et regni Italiœ.

Imperator non tantum consensit in missionem sex Episcoporum ad Papam confirmationis istius decreti petendæ causa, sed auxit etiam hunc numerum usque ad novem, qui partim Archiepiscopi, partim Episcopi erant: insuper his addidit sex Cardinales, qui ejus nomine ad Pontificem irent in hoc negotio. Hi ferebant etiam literas totius Concilii nomine scriptas. Exponunt, et prædicant se ab Imperatore convocatos ad concilium, intime permoto calamitatibus, quæ tam in Religionem, quam etiam salutem publicam redundent; Convocationem Concilii nationalis novum præbere argumentum pro Zelo Imperatoris erga Religionis bonum, et pro illius veneratione erga normam Canonicam; Suarum fuisse partium obsecundare menti Principis, qui exordium sui regiminis insigne reddiderit per restitutionem Catholicæ Religionis in Gallia; timeat vero ejus exstinctionem videre, si adminicula non fuerint adhibita, sique vacantibus Ecclesiis non fuerint dati primi Pastores. Ceterum dum de his adminiculis deliberarent, numquam ex oculis suis dimisisse id, quod a se Cathedræ S. Petri, centro unitatis, communi Fidelium Patri, Capiti Episcoporum debetur, ex corde se diligere vincula, quibus Apostolicæ Sedi adstringantur, ac sperare, ut Sanctitas Sua hujus rei novum argumentum capiat ex hoc, quod concinnarunt decreto. Inniti hoc illis declarationibus, quas fecerit ante trimestre Episcopis apud se constitutis.

Ante Concilium hoc die 25. Martii Parisiis apud Card. et Archiepiscopum Parisiensem Episco-

copi unde viginti convenerant, et consultatione acta quatuor e suo numero Episcopos miserunt Savonam ad Papam: qui cum reversi essent, etulerunt Pontificem ei assensum suum præbuisse, quod est in articulo quarto istius decreti, a Concilio facto, et ad Pontificem misso confirmaionis causa. Nihil vero de hac declaratione Ponificis scripto attulerant, et tantum ore factam sibi dicebant. In dubium autem vocatum erat ab psis Episcopis hujus Concilii Nationalis, ut irati tiam hi Episcopi quatuor sint, quod non prona des ipsis adhibita esset: cumque postea tamen psorum testimonium recepissent; et illum artiulum quartum decreti sui, et ceteros confideniius condiderunt, et in quos non videntur plerique daturi consensum fuisse, nisi illo testimoio quatuor Episcoporum inducti essent. Neque amen ex vero istud fuisse, quod hi Episcopi tetabantur (non censeo ipsos, mentiri voluisse; siquidem potuerit accidere, ut verba Pontificis liter sumpserint, quam ejus mens fuerit) res, quomodo ceciderit, quæ ista legatione quærebaur, abunde declarat. Nam Pontifex nulli Epicoporum, qui jam erant nominati ab Imperatoe, confirmationem dederat, et non eo minus sedes, ad quas erant nominati, pergebant ulteris vacare. Nihil etiam reperire uspiam est, quidiam a Pontifice retulerint ii, qui ad hunc legati rant missi. Eorum aliqui hæserunt Savonæ usque ad initium sequentis anni, alii citius discesserunt, nec jam Parisios, sed directe ad suas lioeceses. Minister Cultuum declaraverat Episcopis, antequam Episcopis fuisset permissum abire Parisiis, se ex Hollandia ab Imperatore, quo vergente ad finem Septembri profectus erat, accepise epistolam, qua sibi injunctum ab eo sit, ut di-

diceret Episcopis, nullum superesse dubium de optato legationis successu. Anne idem Imperator omisisset deinde publicare eumdem successum, postquam evenisset, qui inter ipsum, et Pontificem fuisset instar novi concordati? Quid facturus fuisset Gallorum Imperator, et quantum sibi sumpsisset in res Ecclesiæ, agendique in his omnia suo arbitratu, si Pontifex habenas potestatis suæ remisisset, illud sit argumento, quod illos Episcopos, quos Vincennas deportandos curavit, etiam Episcopatibus suis privaverit, aliosque in eorum locum nominaverit non alia de causa, quam quod in Concilio, quid suæ sententiæ esset, elocuti libere essent. Quid ipsi Feschio, quamvis ejus avunculo acciderit, quod negotium Concilii, cui præsidebat, non ita direxerit, quemadmodum Napoleo volebat, est jam declaratum supra. Quod si ut Romanum Pontificem e potestate excuteret, ei successisset, isque in tuenda sua potestate ei cessisset; cum ceteris Episcopis eo magis, prout ei lubuisset, egisset, qui neque verebatur capere Romanum Pontificem, captivumque abducere, et in custodia tenere. Galliae autem Episcopis, et a quibus nec sejungendi sunt Episcopi Italiæ sub Gallico imperio tunc positi, laus, et commendatio debetur, quod se constantes præstiterint in sua adhæsione Apostolicæ Sedi, professis etiam per illud decretum, ultra suam potestatem esse, quod ab Imperatore Gallorum erat petitum, suaque constantia fecerint, ne res in discidium a Sede Apostolica et in schisma abiret.

§. 67.

§. 67.

Bonaparteo res male cedunt in bello contra Russos. Illius clades ad Lipsiam. Deponitur ex Imperio: primumque ad insulam Elbam, postea vero ad S. Helenæ deportatur. Pontifex redit Romam.

Napoleo die 9. Maji 1812. ad bellum profectus est adversum Russos. Alexander, Imperator Russorum, ei antea confœderatus erat, et spoponderat, se omnes suos portus clausos servaturum Anglorum navibus. Quod Bonaparte per omnia litora maris fecerat etiam alibi, impedire volens invectionem mercium Anglicarum, ut ita Anglos premeret, quibus non poterat prævalere in mari. Russus, cum biennium transiisset, ad quod tempus promiserat, se portus suos clausos habiturum, portus aperuit. Hac de causa Bonaparte bellum ei intulit, sibi subjugaturus etiam Russiam, cujus sitim omnia sibi subjiciendi tot provinciæ Europæ, quas jam sub potestatem suam redegerat, explere nondum poterant. Ante abitum Pium VII. quo minus ex ejus captivitate elabi posset, Savona ad Fontem Bellaqueum transportari jussit. Huc pervenit die 20. Junii 1812 multa rursus incommoda in via perpessus, senio jam alioquin fractus, et gravi etiam norbo afflictatus. Bonaparte paulo ante discessum suum, videlicet die 4. Maji decretum condidit, et edixit, incolas territorii Romani omnes futuros extra præsidium legum, qui renuissent ejurare fidelitatem Romano Pontifici, atque hanc sibi jurare, hoc est, obnoxios pœnæ capitis, vel perpetui carceris. Deportabantur itaque diversi ordinis et dignitatis Clerici, centeni, et cen-

teni,

teni, et in carceres profundissimos conjiciebantur, ubi inedia, et squalore carceris contabescerent. Documentum dederat, quam sibi cordi habuerit Religionem, et curæ, ne populi destituerentur suis Pastoribus, quod jactitabat, dum inducere voluisset Pontificem, ut juri suo cederet confirmandi Episcopos.

In bello illo contra Russos res ita Bonaparteo cesserunt, ut die 15. Sept. jam intraverit Moscuam. At Russi hanc altera die succenderunt, ex omnique vicinia res suas abstulerunt. Quare Bonaparteo, et Gallis de reditu cogitandum erat, quibus subtracta essent omnia, quibus vitam sustentarent. Primus Bonaparte fugit: exercitus vero, qui pariter reverti conabatur, inedia, et frigore, quod subsecutum est longe maximum, nonnisi paucissimis remanentibus totus periit. Die 18. Decemb. Bonaparte Parisios advenit. Res ei nec in Hispania bene succedebant. Hispani vel maxime ideo resistebant, neque ferre Josephum Bonaparteum volebant, quem Napoleo vi ipsis Regem imposuerat, quod timerent Religioni, quam sub Bonaparteis tutam non videbant. Quamobrem, ut hanc sui aversionem, metu temerandæ Religionis, ab Hispanis submoveret, iterum tentavit Pium VII. ad concordatum secum ineundum inducere, idque tali ratione. Die 19. Januar. 1813. instituit venationem cum Maria Ludovica Imperatrice, atque in hac venit ad Fontem Bellaqueum, quasi præter suum propositum, ubi in palatio Regio Pius VII. tenebatur, atque octo dies ibi mansit. Statim post suum adventum Bonaparte ad Pontificem ivit, et fere duas horas apud eum mansit. Altera die Pontifex cum tribus Cardinalibus, cum Archiepisco-

po-

po Turonensi, et tribus Episcopis ad Bonaparteum primum, deinde ad Imperatricem venit, nec multo post Imperatrix quoque Pium invisit. Per eos dies, quibus morabatur in Fonte Bellaqueo, Bonaparte accesserat Pontificem identidem. Quid cum eo tractaverit, ex eo deinde patuit, quod obtinuit a Pontifice, ipseque Bonaparte, non tamen bona fide publicaverat. Ephemeris Gallica Francofordiensis Nro 128. a 1814. refert die quodam Bonaparteum in Pontificis preces se commendavisse, hunc autem, qui novisset hoc Bonapartei desiderium precum suarum tantum modo simulatum esse, respondisse: *Comoedia*: hoc autem dicto ita illum subito exarsisse, ut manus injecerit in Pontificem; qui vero ad hunc casum eidem Bonaparteo iterum dixerit: *Tragoedia*. Non eo minus, factus sedatior, solebat enim subito effervescere, quod fieri solet in iis, qui elato nimis sunt animo, non destitit continuare negotium.

Paratus erat Pontifex cedere Bonaparteo, in quantum posset, pacis, et concordiæ cupidissimus, attamen sollicitus etiam, ne per ea, quæ concederet, quidpiam Sedi derogaretur Apostolicæ, quam sciebat a Christo institutam unitatis in Ecclesia servandæ causa, atque se eorum, quæ Petri Cathedræ data essent a Christo, non esse dominum, sed custodem. Videbat autem, quæ jam ausus esset Bonaparte, atque hinc metiebatur, quam ab eo, etiam graviora, timenda essent, et ne fortasse Gallia, quæ paulo ante revocata ad unitatem Religionis erat, et necdum satis confirmata, denuo per illum descisceret. Bonaparte Pontifici offerebat illos eosdem articulos decreti in Concilio Nationali facti, petiitque Ponti-

ti-

tificis, et instanter ursit consensum. Tandem hic cessit, sed ita, ut hæc cessio solummodo tunc robur, et vim inciperet habere, postquam adhuc super his articulis consultationem instituisset cum Cardinalibus, atque in Consistorio cum his celebrato illa ratihabita fuisset. Erat etiam a Pontifice Napolioni apposita ea conditio expresse, ne ullum rerum, quæ illis articulis continebantur, usum aliquem ante faceret, quam cessio illa ex Consistorio Cardinalium a se processisset. Bonaparte promisit Pontifici se hoc servaturum: at vero promissis non stetit, jamque die 25. Jan, cum adhuc esset in arce Fontis Bellaquei, articulos illos a se subscriptos misit Parisios, et ad omnes Galliæ, et Italiæ curias (vulgo departamenta) jussitque promulgari veluti jam ratos, et fixos per Concordatum cum Romano Pontifice a se initum, idque pulsu etiam campanarum ubique locorum. Gratiarum actoria etiam solennitas celebrabatur cum hymno Ambrosiano: *Te Deum laudamus.* Hoc cum primus fecisset Maury Parisiis, adversus mandatum Pontificis de dimittenda administratione Archiepiscopatus Parisiensis contumax, et refractarius, idem jubente Ministro Cultuum fecerant Episcopi alii. At vero Cardinalis Fesch, non ignarus, quid actum esset, non dubitavit Bonaparteo declarare, viam, quam iniverit, haud esse rectam, sed injuriosam Romano Pontifici, atque ejus collegio Cardinalium. Non tantum res non stetit in hac promulgatione, sed eam inter leges etiam referri jusserat. At vero Pontifex literas, quæ solent vocari encyclicæ, misit ad omnes Archiepiscopos, et Episcopos, declaravitque, nullum a se confectum esse tale concordatum; quin et ipsi Bonaparteo scripsit, ejusque fidem arguit sublestam, declaravit-

que,

que, se numquam initurum concordatum aliquod, in quo non omnes a Gallico regimine obmotæ res assumptæ, et digestæ essent. Bonaparte autem novo decreto die 26. Mart. 1813. prodidit, quis esset. Nam Archiepiscopis mandavit, ut Episcopos a se nominatos post sex menses a nominatione consecrent, etiam si hanc Pontifex non habuisset ratam, minatus indignationem suam, et poenas, quæ in legum prævaricatores statutæ essent.

At vero non tantum hæ minæ cito in ventum iverunt, verum etiam omnis Napoleonis potentia, ea etiam, quam per fratres suos exercuerat, exaruit. Alexander Russorum Imperator cum magnis copiis jam ineunte vere in Saxoniam irruperat, bellum, quod a Bonaparteo ei illatum erat, renovaturus. Huic se associavit Wilhelmus III. Rex Borussiæ, nec multo post etiam Franciscus Austriæ Imperator, renunciando foederi, ad quod secum ineundum adacti erant a Bonaparteo, ita ut priore anno arma etiam junxerint cum eodem Bonaparteo adversum Russos. Recesserat a foedere, quod cum Bonaparteo habebat, Rex etiam Bavariæ, omnisque Germania jam defessa pressione, quam sustinebat a Bonaparteo, et adspirans ad liberationem ab ejus jugo. Ipse Bernadotus quoque, quem Bonaparte ante a se Principem de Ponte-Corvo creatum Svecis obtruserat, ut successorem eligerent sui Regis, et quamvis propinquus esset Bonapartei, insurrexerat ad hoc bellum contra eumdem Bonaparteum. Diffidebat ejus ulteriori fortunæ. Bonaparte autem cum hiemem totam consumpsisset in novo conscribendo exercitu, et undique cogendo, cinctus centum quinquaginta millibus armatorum, processerat adversum

sum Russos, et Borussos, atque hos cedere coegerat. Sed cum Franciscus Imperator etiam arma sua cum his conjunxisset, alia facies facta est rerum. Ad Lipsiam in Saxonia die 16. Octob. commissum est prælium vi utrinque maxima, et continuatum duobus diebus: die autem 18. sub vesperam Bonaparte victus ita est, ut majore parte exercitus sui deleta cum reliquis fugerit. Hac pugna vires Bonapartei ita prostratæ sunt, ut jam has deinde reparare numquam potuerit. Si unquam alias, in hoc prælio Bonaparte omnes intenderat nervos, feceratque hoc Confoederatis pluries dubium, et vacillans. Reportata vero victoria Franciscus Imperator, qui pugnantibus novos semper animos addiderat pugionem defixit in terra, genibusque flexis palmas extenderat ad cælum, gratias Deo agens pro victoria, cujus fiduciam locatam habebat nonnisi etiam in Deo. Eodem adhuc anno tota Germania se reposuit ad libertatem.

Principes confoederati institerunt persequi Gallos, in ipsamque Galliam irruperunt, ulteriusque semper procedentes, Bonaparteo se se retrahente, die 31. Mart. 1814. Parisios victores intrarunt. Die statim altera Alexander Imperator Russorum nomine ceterorum etiam Principum confoederatorum proclamationem fecit, se jam cum Bonaparteo, aut ullo ex ejus familia nihil tractaturos, sed solummodo cum Parisiensi senatu, deinde a se regnum Galliæ tantum tale agnosci, quale fuerit sub Regibus, in formam vero regiminis eam tantum consensum se daturos, quam ipsa natio Gallica sibi positura sit. Quamobrem Senatum a se provocari ad interregnum sibi constituendum, per quod tractentur negotia. Senatus

tus est habitus die 1. April. præsidente Talleyrando, atque huic, et quatuor aliis insuper potestas interregni collata a Senatu est. Per hos die subsequente abrogata est Imperatoria potestas Napoleoni, ejusque familiæ: pro causa allatum est, quod abusus ea esset in perniciem Galliæ, dignitasque Regia asserta Bourbonicæ familiæ. Napoleo volens suppetias ferre Parisiensihus, dum jam in periculo subjectionis esset, sero autem venisset, vel etiamsi in tempore affuisset exercitu suo jam valde imminuto, nihil tamen profecisset, ad arcem Fontis Bellaquei se recepit: ubi decretum de se factum, et ad se missum subscripsit sua manu, flendoque muliebriter. Elba insula haud magna in mari Adriatico ei data est in possessionem, et assignata ad habitandum. Subscripsit in sui depositionem ex Imperio in eadem arce die 11. April. 1814. in qua captivum servaverat Pontificem Savona translatum annos duos. Ipse exutus est imperio, qui non tantum ditionibus spoliaverat Pontificem, verum hujus etiam auctoritatem Ecclesiasticam omnem convellere cupiebat. Ludovicus XVIII. frater Ludovici XVI. die 3. Maji, ex Anglia reversus, ubi his turbulentis Galliæ temporibus degebat, solenniter Parisios intravit, regnumque capessivit. Pius VII. die 24. Maji ex Gallia iter ingressus est Romam, libertati restitutus, simul atque Bonapartei imperium desiit. Non solum Austriacus, verum etiam Anglicanus miles eum comitatus est honoris causa. Franciscus Imperator, et Rex Apostolicus per literas suas, datas ad omnes suas ditiones declaravit, sibi inter fructus istius victoriæ de Bonaparteo reportatæ, hunc Romani Pontificis asserti in libertatem, et restituti Suæ Sedi sibi accidisse omnium optatissimum.

At

At vero Napoleo ex tanta fortuna dejectus, tantosque spiritus gerens, quietus in Elba manere haud potuit. Jam die 1. Mart. 1815. appulit ad litora Galliæ. Tota militia, et magna pars aliorum ei adhæsit, nemineque resistente intra dies octodecim Parisios usque pervenit, veluti triumphans incedens. Ludovicus XVIII. nisi in tempore fugam arripuisset, non est dubitandum, quin illius sors eadem fuisset, quæ Ducis Enghien ex eodem sangvine Bourbonico, quem comprehensum in Germania Parisios duci jusserat, et trajici glande plumbea, dum tantum adhuc Consul esset. Viennæ postea conventus institutus est. In quo præter Imperatorem Austriæ, erant Imperator Russorum, Rex Borussiæ, multique alii Principes, vel eorum legati, ad determinandum, quæ cui provinciæ competerent, cum omnia disturbata fuissent per Gallos in Germania, et Italia, Helvetia, et Belgio, aliisque regionibus. Adhuc eodem mense Martio istius conventus Principes se confoederarunt adversus Bonaparteum: mense autem Majo jam exercitus ibant utrinque ad manus conserendas. Anglis, et Borussis, illis duce Wellingtone, his duce Blücher ex Belgio Galliam invadentibus cum maxima sui exercitus parte occurrit Napoleo. Is vero quamvis comisso prælio primum superior discessisset, tamen tertia die post, quæ fuit 18. Junii, apud Waterloo, victus ita est; ut Parisios fugerit, atque rebus suis desperatis, Imperio, quod invaserat, renunciaverit, deinde Urbe etiam relicta se Anglis ultro tradiderit, nullam jam videns rimam, qua victorum manus posset effugere. Confoederati Principes, Imperatores Austriæ, et Russorum, et Borusiæ Rex denuo intrarunt Parisios die 7. Julii. Ludovicus quoque Rex Galliæ rediit. Jamque

que nunc durioribus conditionibus pax data Gallis est. Damnati quippe sunt ad septingentos milliones Francorum, et ad 150,000 militum servanla a Confoederatis sibi imposita in quinquennium: etiam limites Galliæ angustiores designati, omniaque illis ablata, quæ ex aliis provinciis corraserant monumenta pretiosa imaginum, statuarum, Mscriptorum, aliarumque rerum artificiose perfectarum. Napoleo autem missus est ad insulam S. Helenæ satis squalidam, atque ultra mare Atlanticum procul sitam, Anglisque, ad quos spectat hæc insula ad custodiendum commendatus. Vixit hic usque ad 5. Maji 1821. Ex morbo, quem cancrum stomachi dixerunt, decessit. Paulo ante mortem generalis vestibus se curavit induendum. Lætitia, ejus mater Roma, quo se recepit habitatum, duos Sacerdotes ad eum miserat de salute ipsius æterna sollicita. De his, quid apud Napoleonem profecerint, illud tantum intelligere licuit, ipsos, postquam mortuus esset, tristes stetisse ad ejus cadaver. Fratres illius omnes præter Lucianum, suis pariter regnis amissis, fugerunt in Americam. Rex Ludovicus XVIII. proscriptionis poenam constituit in omnes Bonaparteos. Joachimus Murat, quem Napoleo Regem Neapolitanum creaverat, etiam defecerat ab eodem Napoleone: attamen regnum cedere coactus Ferdinando IV. legitimo Regi, cum istud denuo invadere tentasset, captus, et globo plumbeo trajectus est. Hoc tempore, Murato res novas moliente Pontifex Roma discesserat, ad tutioremque locum se receperat. Postquam vero ista etiam tempestas celeriter transiisset, Romam Pontifex repetiit. Ubi Florentia rediit, nam eo se receperat, in Consistorio Cardinalium dilaudavit non tantum Imperatorem Austriæ, verum

etiam Imperatorem Russorum, Regem Borussiæ, Principem Regentem Angliæ, et Regem Sveciæ pro eo, quem propter ipsius reditum etiam hi testati sint optimum affectum.

Deistæ sua philosophia cum per speciem libertatis, et æqualitatis infascinassent Gallos, in tanta mala præcipitarunt Galliam, ut subverteretur Religio, et omnis probitas, honestasque morum, ipsiusque Dei notio deleretur, nobiles fortunis suis everterentur, ipse Rex etiam, et Regina necarentur, et omnia sangvine redundarent. Præter duos milliones hominum, qui carnificum manu ceciderunt, alii tres milliones computantur eorum, qui in bellis occubuerint. Plebi levamen tributorum pollicebantur. Numquam vero graviore jugo pressa Gallia erat exactionum. Insolescebant quidem victoriis: attamen omnia iterum perdiderunt, atque sua omnia in victorum manibus posita viderunt. Erunt hi documento omni secuturæ posteritati, quantum intersit stare Religionem, et vigere, quæ nisi omnium primo a pseudo-philosophis subversa esset; nec cetera mala, quæ regno intulerunt, et ejus saluti publicæ, ipsis succedere potuissent. Gallico oestro afflati etiam postea Hispani, et Neapolitani seditiose adversus Regem insurrexunt: compressi autem etiam sunt, in pluribusque aliis etiam provinciis, atque in ipsa Hungaria ex Gallicis illis principiis conjurationes gliscere incipiebant: verum vel prius oppressæ sunt, quam plene erumperent, vel sponte extabuere non ausæ erumpere. Fuit et alia a Gallis veniens contagio, quam adhuc subsequens exponet narratio.

§ 68.

§. 68.

Deismus ex Gallia transit in Germaniam, omniumque primo in Regis Borussiæ ditionibus se se explicat, eumdemque Illuminati propagant per Bibliothecam Germanicam Universalem. Hi quomodo Scripturam Sacram tractaverint, et adhibuerint ad ipsum Naturalismum propagandum.

Deistas Gallos merces suas quaquaversum in omnes regiones propagasse, jam est demonstratum supra §. 60. In Borussia, et Marchionatu Brandeburgico hæ omnium maxime non tantum admissæ sunt, verum etiam ulterius per Germaniam diffusæ. Fridericus II. Rex Borussiæ hanc libertatem concesserat, utpote in Voltærium propensus, qui simul atque factus Rex est, cuique dederat sentiendi quidvis de Religione plenam licentiam. Qui ex Borussis, et Brandeburgis capti Deistarum philosophia sunt, omnium primo Protestantium Theologiam, et dogmata, eorumque symbolicos libros vellicare coeperunt primum in rebus levioris momenti, unde vero brevi irent etiam ad cetera. Erant enim ei ipsi Protestantes. Omnibus laudibus efferebant hominis lumen naturale rationis ad dispiciendum, quid verum, vel falsum sit: dicebant, se jam ab initio suæ, ut eam vocant, reformationis, rupisse compedes, quibus ligati antea fuerint sub Papa: neque igitur se debere gerere etiam vincula Symbolicorum librorum: jamque Lutherum, atque Calvinum sibi præivisse in statuendo de Religione suo judicio, nisi velint renunciare libertati, quam sibi datam habeant ab ea ipsa, quam profiteantur, reformata religione, Non fuit difficile

asseclas reperire, et multiplicare in re, quæ pronis auribus, et cupidissime exciperetur. Quin accurrebant etiam, et appetebant venire ad horum societatem, qui se æque, ut Deistæ in Gallia prædicarent sapientes, et philosophos, solosque, qui haberent intelligentiam, ceteros autem omnes vocarent vervecum capita. Cumque Deistæ in Gallia philosophorum sibi nomen arrogassent, hi in Germania germanico vocabulo se Aufgeklärte, illuminirte vocabant, prout jam supra dictum est, ita ut hoc nomine etiam superbirent.

Brevi quoque cum eo processissent, ut jam mysteria Religionis ipsis Protestantibus sanctissima SS. Trinitatis, et Filii Dei hominis facti pro salute humani generis, et eo magis fidem de hominum a morte sucitatione de æterna vita, et felicitate justorum, pænisque impiorum æternis, et de animæ immortalitate, atque omnia cetera, quæ crederentur, fide Christiana, irrisioni habuissent; non deerant ex iisdem Protestantibus, qui ejusmodi impietatem, et blasphemias nollent ferre. Etiam quidam calamos distrinxerunt adversum Illuminatos. At vero, quid potuissent proficere Friderico Rege iis patrocinante? Catholici autem, dum ista adhuc tantum inter Protestantes agerentur, rem spectabant, quasi nihil ad se attinentem otiose. Cito autem ad hos etiam contagio ista propagata et, et multorum suapte ingenio proclivi ad istam, quam vocitabant germanice Reine Vernunft Religion *Puram secundum rationem religionem* perinde ac in Gallia Deismus infatuaverat non solos Hugonottas, verum etiam Catholicos, Protestantium jam lumine Deismi illustratorum astu. Si quid enim scriptorum ab illis in lucem prodierat, et alicujus liberioris erat

sen-

sententiæ; hoc Illuminati non suffecerant satis laudare, ejusque per quam prodiit, ingenium, et perspicaciam prædicare. Ita vero non solum hi, laude sua capti, incitabantur ad ulterius audendum, verum etiam invitabantur alii cupidi laudum suarum. Per suam Bibliothecam universalem Germaniæ, ut eam vocarunt, cujus auctor erat Fridericus Nicolai typographus Berolinensis, istud fecerant, et Deismum, dici non potest, quantopere, et quam celeriter propagaverint.

Hujus Bibliothecæ nomine veniunt omnia scripta, et libri, qui edebantur ab hac societate, cujus, ut modo dictum est, caput erat Nicolai, ad propagandum Deismum, et Naturalismum in Germania: et quod Deistis fuit Cyclopædia in Gallia, idem Germanis, Deismi satoribus, erat hæc Bibliotheca. Statim ab illius initio typographus Nicolai nactus est socios centum, et triginta; aucta vero semper deinceps est, et crevit hæc palæstra semper in dies magis. Anno 1766. cœpit, et annis septem, et viginti continuata est eodem Nicolaio negotium gubernante. Istud vero ita instituerunt, ut distributis inter se partibus alii recensiones facerent Operum, jam antea ab aliis editorum, etiam vetustorum, huicque recensioni intersererent sua Deismi principia; alii Opuscula elaborarent adversum Religionis instituta, et ad convellenda ejus dogmata, magisque per deridiculnm, quam fundatis aliquibus rationibus; alii directe etiam proponerent, et persvadere niterentur suam, quam vocabant Rationis religionem, id est, Deismum, et Naturalismum. Cum vero iidem vidissent, nihil sibi tamen processurum, si Biblia, atque eorum auctoritas Divina maneret stans; huc omnium maxime intenderunt cunctas

ctas suas vires. Deistæ in Gallia Scripturis sacris abrogarunt fidem, deridendo illas velut figmenta, et fabulas, earumque compositores habendo pro ejusmodi hominibus, qui aliorum credulitati illuserint. Idem si Illuminati in Germania tentassent, et tantummodo crambem, in Gallia a Deistis coctam, recoxissent, dum Germani, etiam Protestantes, firmius adhærerent Bibliis, quam ut tali levitate, quali Galli, ferrentur ad ea abjicienda; pervidebant se parum profecturos ad suam puræ rationis religionem serendam, et propagandam. Itaque aliud quidpiam ipsis reperiendum fuit. Præseferebant igitur, a se longissime abesse, ut quidpiam velint derogatum esse Scripturæ sacræ libris, atque earum autoritati, sed id solummodo dare operam, eoque dirigere suos omnes conatus, ut eamdem Scripturam planiorem ad intelligendum faciant eruderando magis ejus sensum, quam factum ad illud usque tempus sit.

Excogitarunt vero novam phraseologiam ad sensum verbis, et sententiis Scripturæ indendum ejusmodi, quo tamen illud assequerentur, quod intenderant, multoque majore nequitia delerent revelatam Religionem, et inducerent in ejus locum purum Naturalismum. Secundum hanc phraseologiam, Deum homini cuipiam esse locutum, quod valde frequens in Scriptura sacra est, significat tantummodo consilium providum, et prudens, ab ipso homine conceptum, quod more cogitandi veterum Hebræorum crederetur a Deo immissum, atque hinc illud etiam consilium suum pro Dei locutione, ad se facta, habuerint, Deumque sibi locutum esse, dixerint: Quo vel solo obtento originem Divinæ legislationis factæ per Moysem abire in fumum nemo non potest videre,

et

et ubicumque in Scriptura sacra est, Deum Moysi, et aliis Prophetis esse locutum, istud non Deus erit locutus, sed solummodo a Moyse et Prophetis erit profectum, ex propria illorum mente, et cogitatione. Ipsam Scripturam sacram hac ratione, quam verbo retinuerunt, re totam sustulerunt. Nam sic ea, quæ Scriptura continentur; jam non erunt verba Dei, sed pure verba hominum, nihilque in ea existet, quod a Deo processerit, et sit divinitus revelatum. Angelos, quorum mentio frequens in eadem Scriptura sacra fit, per suam eamdem phraseologiam posuerunt, significare eventus rerum non prævisos, et præter cogitationem: bonosque Angelos, dici, dum quidpiam boni contigisset non exspectati, contra vero mali, si quidpiam triste homini evenisset. Vaticinia Prophetarum iidem Illuminati in sua officina phrasium transformarunt in prævisiones prudenti conjectura factas ab hominibus sagacibus de rebus eventuris populo Israelitico, idque præcise quoad ejus statum politicum. Iisdem in eadem officina ejusmodi instrumenta erant fabrilia, quibus omnia miracula, quæ referutur in Scriptura sacra, converterent in phænomena, et res solummodo viribus, in rerum natura positis, perfectas. Videlicet omnia eliminabant ex Scriptura sacra, ex quibus reluceret vis aliqua divina major viribus in rerum natura constitutis. Etiam Messiam, qualem fides Christiana nobis dat ad credendum, procul ex eadem Scriptura sacra facessere jusserunt. Secundum Illuminatos illum Hebræi nonnisi sua imaginatione sibi effinxerunt, inde, quod cum David bellicosissimus Rex, atque victoriis clarus Israelitici populi imperium valde dilatasset, in spem venerint, futurum, ut etiam alium adhuc aliquando nanciscantur Regem,

qui

qui totum terrarum orbem suo subjiciat imperio. Hunc autem ideo vocari Filium Dei in Scriptura sacra, quod crederent futurum Regem. Nam more vetere loquendi Hebræorum, Reges esse appellatos filios Dei, quod eos censerent Deo charos perinde, ut filii solent esse parentibus, quod affluerent divitiis, quibus aucti essent a Deo. Illum vero, quem Evangelium prædicat esse Christum, fuisse nonisi probum hominem, qui corruptos Judæorum mores sibi sumpserit emendare, illum se Messiam ferens, quem sciret ab Judæis stulte credulis, exspectari.

Harlemi in Hollandia, jam enim etiam huc, sicut in alias etiam regiones permanaverat hæc ex Germania Scripturæ sacræ intepretandæ eruditio, Societas Theologica a. 1792. proposuerat præmium ei, qui quæstionem optime solvisset, existerentne veræ de Christo, et ad illum proprie pertinentes prophetiæ. Nam, quas in eo impletas esse dicunt Apostoli, et Evangelistæ, imo etiam ipse Christus in se, iidem Illuminati asserunt relatas esse ad Christum, eique applicitas per solam accommodationem ob rei, quæ dicitur prædicta cum ea, quæ est acta a Christo aliquam convenientiam, et similitudinem. Quæstionem propositam resolvit quidam Joannes Konynenburg, negando existere ullum ejusmodi vaticinium, præmiumque tulerat. Hanc istius resolutionem scriptam, atque typis etiam editam cum recensuisset Joan. Godefridus Eichhorn *Biblioth. suæ Tom. VII. pag.* 334. subjunxit, rem, de qua dubitatum esset in Hollandia, in Germania jam a quinquennio tanta libertate esse ventilatam, pleneque discussam; ut iis, quibus novissima patriæ suæ literatura cognita esset, nihil de ea novi dici possit.

sit. Apud eundem Eichhornium ejusdem *Biblioth. Tom. IV. pag.* 891. auctor libri: Messianische Veissagungen des A. T. nomen suum non exposuit, circa annum 1790. scribens, *Tria*, inquit, *ultima decennia Messiam ex Veteri testamento foras exegisarunt* (hinaus exegesirt.) *Si Deus voluerit*, *recta interpretatio audebit iterum de Messia loqui.* Quamvis et ipse Protestans non erat tamen fautor istius literaturæ. Suppresserat autem suum nomen, dum per illam societatem Bibliothecæ universalis Germanicæ, de qua supra dictum est, nimis inclementer tractarentur omnes ii, qui aliquid auderent loqui, et scribere adversus istam literaturam, et ideo tacuerint, etiam quibus animus fuisset contra scribendi, ne in istorum hominum procacissimos, petulantissimosque calamos inciderent, et dehonestarentur.

§. 69.

Præcipui Illuminatorum duces in Germania, et artifices interpretandi jactant, se gnaros lingvarum ad usum Scripturæ loquendi noscendum.

Iidem Illuminati Germaniæ ad provehendam Scripturæ sacræ interpretationem ea ratione, qua jam declaratum est, etiam libros composuerunt, et evulgarunt, de sua nova arte interpretandi, et permultos. *Eichhornius*, cujus jam mentio facta est, composuit, et vulgavit Introductionem in Vetus testamentum, tribus tomis comprehensam. Hic omnium ferocissimus est adversus Prophetarum vaticinia: quos asserit, nihil nisi magno ingenio præditos fuisse viros, qui acute prævide-

rint

rint secuturos populi Israelitici eventus, eosque jam clarius, jam obscurius prædixerint, et quos populus propter temporum ruditatem pro internunciis inter Deum, et homines habuerit. Erat Professor Göttingæ. Suam Introductionem is alio etiam novo opere cumulavit, quod *Repertorium* appellavit, et promptuarium esse voluit omnis eruditionis Biblicæ, tamque fusum, ut in partes octodecim divisum sit. *Joan. Wilhelmus Rau* bellum indixit Typis, per quos rerum imaginibus res de Christo futuræ figurabantur, atque istos nullos prorsus esse voluit. *Joan. David Michaelis* etiam Introductiones confecit tam in Vetus, quam in Novum testamentum, et Comentarios sub nomine Annotationum (Anmerkungen) composuit in eosdem Veteris, et novi testamenti libros præter plura alia. Erat etiam Göttingæ Professor, cujus opera percupide legebantur. *Joan. Salomo Semler* Professor Halæ librum edidit sub nomine Instructionis ad liberalem Scripturæ utriusque Testamenti interpretationem. Idem adgressus est libros Canonicos tam conjunctim, quam separatim in suis libris, quorum alterum Disquisitionem Canonis vocavit, alteri titulum de Duplici methodo docendi dedit. In his eosdem Canonicos libros in fabulas Romanenses convertit, nec alia rationc esse confectos adstruxit, quam profani etiam scriptores, et philosophi sua composuerint, videlicet præcise suo ingenio: præterea asserebat, totum Vetus testamentum esse nonnisi miserabilem institutionem pro Judæis, hominibus rudissimis et præjudiciis plenissimis, quorum istis præjudiciis Apostoli, quin ipse etiam Christus se se accommodaverit, hosce libros vocando divinos, et divinitus inspiratos. *Fridericus Buhrdt* literaturam Germanicam auxit, et locupletavit

etiam

etiam non medocriter suo libro, cui titulum dedit: *Apparatus Criticus ad formandum Veteris testamenti interpretem.* Nam etiam Semlero erat impudentior in docendo Naturalismum. Negavit apertissime divinitatem Christi, et Spiritus sancti; negavit peccatum, quod ab Adamo venit, et transfusum est in omnes ejus posteros, et redemptionem humani generis per Christum; ita ut si ista crederetur, etiam diceret injuriam fieri humano generi, quasi homo non ipse in se haberet, quo perfectus evadat. Præcipuos tantum in hoc genere de arte interpretationis volui Germanos illuminatos memorare. Nam si omnes vellem vel nominare, nullus finis esset. Neque necessarium est ad cognoscendum, qualis horum sapientia interpretandæ Scripturæ sacræ fuerit.

Cum Bibliothecæ universalis Berolinensis socii phraseologiam novam excogitassent ad sensum dandum verbis, et sententiis Scripturæ sacræ eum, qui congrueret ipsorum scopo, et proposito, has vero significationes vocum, et sententiarum solummodo venditassent, ne res hæc videretur nullo fundamento niti; etiam huic fulcimenta debebant quærere. Ista autem sibi statuerunt in lingvæ Hebrææ cognatis lingvis, et inprimis in Arabica. Itaque dum vocabulo, vel phrasi Hebraicæ dant significationem; hanc adstruunt ex Arabica lingva, in qua vocabulum, et phrasis eadem existat in ea, quam ipsi ponunt significatione, atque ista ratione volunt significationis demonstrationem jam esse perfectam. Iidem vero, volentes laudare, et extollere Arabicam lingvam, eam ubertatem tribuunt eidem Arabicæ lingvæ; ut in hac idem vocabulum ad centum, imo etiam usque ad quinquies centum

ha-

habeat significationes. In quolibet Scripturæ sacræ loco est tantum una literalis, et secundum verba significatio. Quamvis ergo contingat, ut vocabulo Hebraico simile vocabulum existat in lingva Arabica, quod ipsum etiam non semper est, dum vocabulum Arabicum, quod respondet vocabulo Hebraico, in lingva Arabica centum, et plures etiam significationes habet, hinc ne jam juvari possum ad videndum, quænam sit vocabuli Hebraici in certo, et determinato Scripturæ sacræ loco significatio? Ipsi, qui usus loquendi, qui apud Hebræos obtinuit, fontem constituunt in Arabica lingva, confitentur, istum usum ex hac Arabica lingva hauriri non posse eo, quod scriptores omnes, qui Arabica lingva aliquid ediderunt, tantopere distent ab Hebræis, per quos confecti sunt Scripturæ sacræ libri, ut de illa ætate, quoad usum loquendi, quandoquidem is non sit constans, idonei testes esse nequeant. De hoc argumento, qui volet plus legere, inveniet in meis Institutionibus Herm. Vet. Test. Tom. II. pag. 138. Iidem novæ istius literaturæ artifices usum eumdem loquendi, qui fuerit Hebræis, ex Arabica lingva haustum ponunt esse primum principium intelligendæ, et interpretandæ Scripturæ sacræ. Ipsis fatentibus usus iste ex hoc fonte Arabicæ, et ceterarum Hebraicæ lingvæ cognatarum, non potest haberi. Quo igitur pacto possunt illud ponere principium, ne dum omnium etiam primum interpretandi, et summum, quod neque suppetere potest?

§. 70.

§. 70.

Disciplina novæ literaturæ transit etiam ad Catholicos Professores. De Laurentio Isenbiehl, et Joanne Jahn.

Jam superiore §pho dictum est, ne Catholicos quidem a contagione ista, quæ omnium primo corruperat Protestantes, integros perstitisse: quin permultis ipsorum non erat satis, libros ab Illuminatis editos cupide, et studiose lectitasse, ut virus sugerent; sed ibant etiam ad academias Protestantium, ut ex ipso ore Professorum Illuminatorum exciperent, et discerent hanc interpretandæ Scripturæ sacræ sapientiam, quæ eos ad Naturalismum duceret. Horum unus erat Laurentius Isenbiehl Presbyter Moguntinæ Archidioecesis, qui missus a suo Archiepiscopo Göttingam, ut ibi Catholicorum curam spiritualem gereret, post aliquot vero annos Moguntiam revocatus, etiam quam Michaelisius Göttingæ faciebat Scripturæ Sacræ interpretationem, secum reportavit, et Professor Moguntiæ constitutus Studii Biblici, lingvarumque Orientalium, Opusculo etiam edito hocce titulo: Neuer Versuch über die Weissagung vom Emanuel: *Novum Tentamentum super vaticinio de Emmanuele*, Vaticinium: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Isa 7. v. 14. secundum Michaelisium interpretatus est non de Virgine Deipara, verum de alia puella virgine, sed propediem nuptura, et cujus tempus usque ad partum Isaias Achazo dederit pro signo, ad designandum tempus suæ propinquæ liberationis ex metu hostili. Quam expositionem, cum pluribus aliis ejusdem Isenbiehliani Opusculi asser-

sertionibus primum Archiepiscopus Moguntinus cum pluribus aliis Episcopis, et academiis, deinde ipse etiam Pius VI. die 2. Sept. a. 1779. damnavit. Isenbiehlius judicio de suo Opusculo facto obedienter se subjecit.

Quemadmodum per Isenbiehlium Moguntiam venerat ista nova per Illuminatos Germaniae Scripturae sacrae interpretandae ratio, ita irrepserat in alias etiam academias ejusdem Germaniae Catholicas per Professores novitate captos, et seductos, ponentesque eruditionis famam, qua cuperent splendescere, in novitate, et fortasse nec satis armatos, et instructos ad alba, et atra discernenda: Moguntiae per Frid. Carolum ab Erthal Archiepiscopum cito res deprehensa, et oppressa est, ipso Isenbiehlio etiam non tantum a munere Professoris amoto, verum etiam ad carcerem posito. Sed non ubique sic vigilatum fuit, et vitata contagio, quin etiam nacta patronos est. In ipsam etiam Vindobonensem Universitatem viris doctissimis semper florentissimam, longeque celeberrimam nova Scripturam sacram interpretandi disciplina irrepsit per Joannem Jahn Lingvarum Orientalium, Introduct. in V. F. et Archaeologiae Bibl. Professorem. Ex Ordine Praemonstratensium erat: deinde vero obtenta facultate Ecclesiasticus, atque etiam Caronicus Ecclesiae Metropolitanae Viennensis factus est. Neque enim iste etiam satis providus fuit, et cautus, ne irretiretur illius novae literaturae laqueis Pervolutaverat cum alios, tum imprimis Michaelisium, et Eichhornium ex eadem literatura, atque ex his suxit, quae etiam ipse postea docuit. Itaque in vaticiniis de Christo, et miraculis, quae Scriptu-

ptura sacra refert Veteris testamenti, quæ quomodo tractentur per novam Germaniæ literaturam, jam declaratum est, non absimilis est illis. Edidit librum in duos fasciculos divisum, cui nomen dedit Appendicis Hermenevticæ, seu Exercitationum Exegeticarum. In hoc professus est, se loca Veteris foederis, quæ Messiam annunciant, enarraturum; Quæ vero deinde enarrat, utor etiam ipsius vocabulo, sunt nonnisi circiter viginti, omissis etiam illis, aut aliorsum detortis, quæ de alio intelligere, quam de Christo, semper habitum est piaculum ab Ecclesia. Sic illud, cujus jam paulo ante facta est mentio: *Ecce Virgo concipiet etc.* præterit silentio, qui tamen professus est, se enarraturum vaticinia de Messia. In illo autem Danielis Cap. 9. v. 24. *Septvaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum etc.* iste Sanctus sanctorum Jahnio non est Christus, sed templum a Zorobabele ædificatum, et finis captivitatis Babylonicæ. Ob. Psalmum 15. in quo est: *Non relinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, quem locum S. Petrus Act. 2. v. 29. et S. Paulus Act. 13. v. 34. disertissime interpretantur de Christi resurrectione, et Psalmum 21. *Deus, Deus meus respice in me etc.* cum admonitus fuisset a quodam suo amico, cur etiam hos Psalmos, nam eo magis istud in aliis Psalmis fecerat, omiserit ex vaticiniis de Christo, respondit, *Se legibus Hermenevticæ obligatum loca de Messia interpretari non posse, quæ de alio quocumque agere videt.*

Nec

Nec erubnit hanc etiam epistolam proferre in hac appendice sua. Et tamen tam Danielis locum illum de Septvaginta hebdomadis, quam etiam hos duos Psalmos recensuit inter vaticinia, quæ promiserat, se in hac Appendice sua enumeraturum. Hinc conjectura fieri potest, qualia etiam cetera, quæ vocat vaticinia, sint de Christo secundum Jahnium vaticinia. In his enim omnibus nihil aliud est, quod ad Christum referat, quam quod ex stirpe Davidis descensurus sit, et unius Dei cultum homines edocturus. Unum vero Deum etiam lumen rationis naturale dat nobis agnoscendum et colendum. Estne igitur aliquid amplius in Jahniana Vaticiniorum de Christo interpretatione, quam quod jam habet etiam naturalis Religio?

Quoad miracula ut aliquid etiam ex Jahnio speciminis gratia proferam, cum de transitu Hebræorum per Jordanem siccis vestigiis Michaelisius in suis Annotationibus in librum Josue dixisset, se non audere statuere, an hoc naturale fuerit, nec ne, nam flumina per terræ motum nonnumquam exsiccari aquis in superiore eorum parte consistentibus ex inferiore defluentibus, siquidem nesciret, eo tempore exstiteritne terræ motus; jam in hoc Jahnius ipso etiam Michaelisio in oppugnando hoc miraculo bellicosior, quod ille se nescire confessus est, scivit declarare, ipsumque terræ motum posuit, quo tunc facto aquæ a cavitate subterranea, quæ forte eodem terræ motu facta sit, potuerint absorberi. *Introd. in libros V. F. Part.* 2. §. 30. Idem quoad transitum eorumdem Hebræorum per mare Rubrum, quem Michaelisius jam indubitanter, asseruit factum esse modo nonnisi naturali, *Archeolog.*

(Edit.

(Edit. Germ.) *Part.* 2. *tom.* 1. *pag.* 29. remittit lectorem ad Michaelisium, videlicet apud illum videndi causa, quomodo ille transitus per mare Rubrum contigerit, non satis animosus ad suam aperte dicendam sententiam, quæ offensura esset omnium aures. Nec tamen eum etiam penitus reticuit. Nam Enchiridii sui §. 28. istud de transitu Hebræorum per mare Rubrum: *Erat aqua, quasi murus a dextra eorum, et læva,* Exod. 14. v. 22. eodem modo docuit intelligendum, quo Michaelisius interpretatus est ad sufferendum miraculum. Non negat quidem generatim miracula, quod neque Michaelisius, quem ducem sequitur, facit, sed perinde ut iste, tantum singillatim illa adgreditur, et destruit, atque ita non eo minus, quemadmodum vaticinia, ita et miracula subvertit, quæ referuntur in Scriptura sacra, et edita sunt, unde testificationem suæ Divinæ originis acciperet revelata Religio.

Attamen habet Jahnius etiam propria quædam Exegeticæ istius eruditionis. Neque enim Eichhornium, Michaelisium, aut alios novissimæ literaturæ Protestantes sequi presse ubique poterat. Illi enim omnia in Scripturæ sacræ interpretatione suo nonnisi judicio decernunt, aperte profitentes se ultra lumen mentis naturale, et logicam nihil recognoscere ad ejusdem Scripturæ sacræ faciendam interpretationem. Quod idem Jahnius facere manifeste non potuit, nisi renunciare voluisset, et abjicere omnem Ecclesiæ auctoritatem. Nam Ecclesiæ decretum est, factum in Concilio Tridentino Sess. 4. *Ut nemo suæ prudentiæ innixus contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scriptu-*

rarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. Itaque laborandum ei erat, quo modo illam libertatem interpretandi, qua utuntur Protestantes, conciliare posset, cum hocce decreto Concilii Tridentini. Neque enim ipse etiam non sibi sumpsit similem libertatem, cujus hæc verba sunt Enchiridii §. 92. *Longe absumus, ut ad auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, de qua, ubi hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus,* et qui Introduct. suæ in libros V. F. Part. 1. §. 91. docet, Catholicos non agere adversus hoc decretum Concilii Tridentini, qui Patres excludunt a dicendo testimonio de sensu Scripturæ, et producunt testes alios, videlicet, dialectos Hebraicæ lingvæ (lingva intelligitur Arabica, Chaldaica, et Syriaca) in interpretatione Scripturæ sacræ. Ne tamen videretur refragari decreto Concilii Tridentini, istud sic interpretatus est, ut istius vi etiam Catholicus interpres non obligetur sumere Scripturam sacram in eo sensu, quem Ecclesia decernit esse tenendum, et in quo Patres eam sumpserunt, quamvis unanimi etiam consensu, eo quod sit in hoc decreto, *Non contra*, non vero *Juxta.* Sic vero etiam Protestantes interpretantur Scripturam sacram non curando Ecclesiæ auctoritatem, nec attendendo ad sensum, quem tradiderunt Patres. Itaque secundum Jahnium ejusque explicationem istius a Concilio Tridentino conditi decreti, quæ erit inter nos Catholicos, et Protestantes, ipsos etiam novissimæ literaturæ, differentia in Scripturæ sacræ interpretatione?

At, quamvis Jahnius sic illuderet auctoritati Ecclesiæ, et Conciliorum, nec non Patrum, ta-

tamen nactus est Professores in pluribus Academiis, et Lyceis Catholicis, qui ipsum prælegerent in scholis, licet ei contradictum esset etiam Viennæ, primo per Christophorum Migazzi Cardinalem, et Archiepiscopum Viennensem, et deinde per Sigismundum Hohenvart, qui Migazzio in eodem Archiepiscopatu Viennensi successerat, quin a. 1792. die 25. April. ei decreto etiam Aulico injunctum fuisset, ne sententias a communi sensu Catholicæ Ecclesiæ dissonas aliter proponere auderet, quam instar historicæ narrationis, imo generatim omnibus Professoribus Theologiæ impositum esset, ut a novis opinionibus etiam penitus abstinerent. Malum autem sanatum non est. Quamvis enim Jahnius in libris suis, quos porro etiam edidit, ut videretur observans esse decreti, de se facti, sententias, quæ magis in oculos incurrerent, ita tractasset; ut in neutram partem se diceret velle aliquid definite asserere; tamen in eam partem, in quam non erat propensus, nonnisi jejune, et frigidissime loquebatur, pro altera vero argumenta coacervabat. Unde intelligi etiam potest, quomodo institutionem suam ore in schola fecerit. Serpebat igitur etiam postea ulterius ista interpretandi Scripturam sacram disciplina, et Professores Academiarum, et Lyceorum suæ doctrinæ obtendebant, quod non alia ista esset, quam quæ doctore Jahnio etiam Viennæ obtineret in Cæsareo-Regia Universitate.

§. 71.

Disciplina novæ literaturæ Scripturæ S. interpretandæ se se insinuavit etiam in Hungariam. Quo successu?

Dum ista disciplina Scripturæ sacræ interpretandæ, quam peperit nova literatura, quæ ex Germania, et præcipue ex Saxonia, et Marchionatu Brandeburgensi fluxit, non solum in plures partes ejusdem Germaniæ, verum etiam in alias Europæ regiones, hac neque immunis mansit Hungaria. Est illa non mediocris ingeniorum pestis, ut homines ingenii, et doctrinæ gloriam appetentes cupide complectantur, quidquid novitatem sapit. Hac ratione, dum fama, et celebritas novæ istius literaturæ volitasset per Germaniam; non potuit non illa allicere ad se etiam quosdam in Hungaria. Id quod per Jahnii libros inprimis factum est. Quamvis vero ii, qui capti hac literatura erant, eam se Scripturæ sacræ interpretandæ scientiam existimassent adeptos esse, qua nulla esse possit melior, et præstantior; tamen hæc gloriatio non diuturna fuit. Inventi enim sunt statim, qui se opposuerint, atque scriptis, etiam typo editis, indolem istius literaturæ detexerint. Erant hi, Georgius Fejér, antea Professor Theologiæ Dogmaticæ in Universitate Pestiensi, nunc Præpositus Infulatus, et Præfectus Bibliothecæ, Georgius Czuppon antea Professor in Lyceo Sabariensi, deinde Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Sabariensis, Iste hoc præstitit in Suis Reflexionibus super Exegesi Biblica, ille in Lege suprema, et in Lege Catholica interpretandi, quibus titulis suos libros insigniverunt. Ego quoque cum Institutiones Hermenevticas Scripturæ

sa-

sacræ concinnavissem; non existimavi, mihi omittendum, ut quid ista literatura haberet, producerem, videndumque præberem, et in quantum poteram, etiam expenderem.

Sed neque Præsules Hungariæ omiserunt, sententias istius literaturæ protinus in jus vocare, atque de his judicium habere. Hoc institutum est primum Budæ præside Stephano e Baronibus Fischer Archiepiscopo Agriensi a. 1813. et rursus subsequente Colocæ præside Ladislao e Comitibus Kollonicz Archiepiscopo Colocensi. Idem Hungariæ Præsules in suis Lyceis et istas sententias, quas nova literatura habet, Professoribus inhibuerunt, et eos, quos observarunt, minus obsequentes, a Cathedris etiam, et munere docendi amoverunt. Ad eorumdem etiam Præsulum petitionem ipse etiam Rex Apostolicus Franciscus I. per Rescriptum suum die 11. April. 1815. libros Jahnii amandavit e prælectionum usu per universam Hungariam. Ejusdem Jahnii opera, nominatim Introductio in libros V. F. Enchiridíon Hermenevticæ generalis Tabularum Vet. et N. Foed. Appendix Hermenevticæ, seu Exercitationes Exegeticæ, et Archeologia Biblica etiam postea Romæ die 26. Aug. 1822. ad Indicem librorum prohibitorum inserta sunt. Quod ad Archeologiam Jahnii attinet, erunt fortasse, qui censuram Romanam justo rigidiorem putabunt esse, utpote, cujus sit solummodo enarrare mores, et consvetudines veteres Hebræorum. At vero in hac cum ab Jahnio, tùm ab aliis novæ literaturæ Archœologis fundamenta jaciuntur, quibus deinde ubique inædificant Scripturæ sacræ illum sensum, quem ipsi esse volunt, idque ejusmodi artificio, et subtilitate, ut lector non observans la-

laqueos, hisque indutus, jam facile deinde ab ipsis ducatur eo, quo volent. Eaedem sententiæ, quæ ex Jahnii potissimum libris irrepserunt in Hungariam, delatæ etiam sunt ad Synodum, quæ ab Episcopis totius nationis Hungaricæ habita est a. 1822. ut iisdem præcaveretur.

§. 72.

Vindiciae Joannis Jahn.

Sub hoc titulo prodiit liber Lipsiæ in Saxonia a. 1822. in defensionem Jahnii, ut ipse etiam indicat titulus, adversum autem eos, quorum unus Romæ, ceteri in Hungaria, jam superiore etiam §pho memorati, quæpiam adversus sententias novæ literaturæ elucubraverunt, atque in his ipsum quoque Jahnium attigerunt. Liber vero etsi Lipsiæ sit typis editus, est tamen compositus in Hungaria, atque sic confectus, ut quamvis nomen suum compositor expresse non posuerit in eo, tamen non quæsiverit latere, sic statim a principio personas memorans, sed tacito tamen etiam nomine, quas sibi in causa sententiarum Jahnii habuerit adhærentes, vel dissentientes, ut facillimum sit, illum suo etiam proprio nomine noscere. Hungaria, qualem se præbuerit sententiis Jahnii, statim dum hæ perductæ ad forum Episcoporum essent, descriptum habetur in Ephemeridibus Halensibus ad diem 6. Julii 1811. et quidem sic, ut absque ullis ambagibus ipse Vindex Jahnii suum nomen exposuerit aperte, quin in his gloriam inde etiam suam quæsiverit, quod ceterorum, qui pro Jahnii sententiis stabant, quos et ipsos non reticet, antesignanus, atque dux fuerit,

erit. Eodem statim anno, quo Vindiciæ hæ Jahnii in lucem prodierunt, typis Jaurinensibus editum est scriptum sub hoc titulo : *In Vindicias Joannis Jahn animadversiones Commilitonis.* Auctor Vindiciarum Jahnii eos, adversum quos scripsit diversis insigniverat nominibus, duobusque eorum nomen Commilitonis dederat, tanquam sociis in actione contra Jahnium. Etiam in his Animadversionibus satis patentem dedit notitiam iste Commilito Vindicis Jahnii.

Vindicias Jahnii earum auctor direxit adversus Dissertationem: *De necessitate incautos præveniendi adversus artes nonnullorum Professorum Hermenevticæ, qui sub respectu Interpretationum novarum S. Scripturæ naturalismum evulgare, ac revelationis ideam delere conantur.* Romæ Nonis Maji a. 1818. Hujus Dissertationis auctor est Joannes Fortunatus e Comitibus Zamboni, Summi Pontificis Pii VII. Intimus Cubicularius, Basilicæ Liberianæ Canonicus, et Academiæ Religionis a Secretis, suo etiam edito nomine. In numero horum Professorum cum idem Zambonius posuisset Jahnium, (Pag. 99. Edit. Rom.) dixerat in hujus verba jurasse etiam eum, qui deinde fuit Vindex Jahnii, suoque illum appellans nomine. Hinc in Zambonium sic commotus est, ut ipsas Vindicias suas direxerit in hunc verbis *Mi Comes* illum appellans, sed ita, ut quamvis directo ad illum sermone tamen etiam aliorum Jahnio adversantium res contra eumdem Jahnium producat, et conetur refellere. Meas Institutiones Hermenevticas, quarum jam memini, insectatur maxime, Magistri nomine mihi dato ob quorumdam argumentorum Zambonianæ Dissertationis cum meis aliquam convenientiam.

Com-

Commilitones vocavit Georgium Fejér, et Georgium Czuppon, tanquam foedere armorum consociatos inter nos, agentes contra Jahnium. Hodegi autem nomine designavit Alexium Jordánszky Abbatem, et Canonicum Strigoniensem, antea Professorem Institutionum Theolog. et Hist. Eccl. Hodegus in lingva Græca significat Viae ducem, et monstratorem. Somniaverat, neque enim aliud dici potest, quam somnium, ab hoc instigatum esse Zambonium ad componendam illam dissertationem solummodo inde, quod inter ipsos aliquod literarum intercesserit commercium. Quamobrem in hunc quoque irruit satis indecoris etiam, et immodestis verbis.

Vindex, Jahnii vindicias nomine, re suas esse voluit, non solum quod in Jahnio suas defenderit sententias, ob quas male audierat, verum etiam, quod sententias defendat, in quibus ipse ultra Jahnium sapere volebat, et quibus Jahnius etiam contrarius fuit. Jahnii sententia est Introduct. in libros V. F. Part. I. Cap. 2. §. 19. etss. *Ut libri* (Canonici) *sint Divinæ auctoritatis, necesse est, ut auctores altiori auxilio suffulti omnem errorem caverint. - - Si nullus scriptor ab errore immunis, et a periculo errandi exemptus est, assistentia Divina ad præcavendos errores Scriptoribus quoque historicis non erat supervacanea. An vero fuerit necessaria, a multis dubitatur. - - - Ast dum doctrina Religionis in Bibliis magna ex parte historiæ superstructa, aut cum ea indivulse connexa sit, facile apparet, auctoritatem historiæ ad Religionis quoque doctrinam pertinere, et dubia, quibus in historia mere humana relictus fuisset locus, etiam in doctrinam Religionis transitura fuisse.* At vero

ro

ro Vindici Jahnii (Vindiciar. pag. 191.) non dubium, verum etiam certum est, nec tantum historicos, verum etiam aliorum argumentorum libros Canonicos esse confectos absque auxilio Divino. Sunt hæc illius verba: *Quid enim? an quia Prophetæ jussu Domini legatione functi, Divina cum auctoritate retulerunt ad populum, tales quoque habendi sunt, dum nullo jussu Divino sua postea retulerunt in literas? Aut docere potes, universa veteris fœderis volumina, Deo jubente, fuisse perscripta? Quid in tribus Salomonis libellis est, quod ejus naturalem sapientiam excedat? Quid in libris Regum, et Paralipomenon, quod Divinum poscat auxilium, dum ipsi nobis indicant eorum auctores, nihil in his esse, nisi compendia annalium regni Juda, et Israel, aut biographias contractas, quæ ipsæ cum annalibus olim a Prophetis fuerint exaratæ? Si Flavius Josephus Divino præsidio opus non habuit, ut Machabæorum historiæ e libris nostris exhibeat compendium, quæso, cur eo præsidio fuerit opus ignoto secundi libri Machabæorum auctori, qui simile prorsus nobis compendium dedit e quinque libris Jasonis? 2. Machab. 2. v. 24?* Hoc eum solummodo in finem produxi, unde appareret, has Vindicias num pro Jahnio, vel pro se confecerit Vindex? Una tamen etiam elucet, quantum Divinæ auctoritatis reliquerit in libris Canonicis. Si quæ Prophetæ a Deo, quod Apostoli a Christo acceperunt, sine auxilio Divino ad præcavendos errores, et nequidem jubente Deo, retulerunt in literas, igitur errore labi potuerunt, utpote suæ infirmitati, atque imbecillitati relicti: proinde neque nobis erit certum, an non errore lapsi sint in scribendo, eritque ubique in eorum scriptis causa dubitandi, an re-

ve-

vera illud, quod scripserunt, ita sit, et fuerit, quemadmodum scriptum ab ipsis etiam Prophetis, et Evangelistis sit. *Titubabit Fides*, ait S. Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. Cap. 37. *si Divinarum Scripturarum vacillat auctoritas.* Fides, qua credimus, Divina est, et verbo Dei innititur. *Quoniam*, ait S. Paulus 1. Thess. 2. v. 13. *cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei.* Vindex scopum Vindiciarum suarum habuit, tueri sententias Jahnii, et esse labis omnis immunes. Hoc vero non fecit, dumque suam solummodo quæsivit vindicare sententiam, judicet, velim unusquisque, seipsum ne commendaverit per eam, quam de auctoritate librorum Canonicorum suam nobis explicuit sententiam? Auctoritas Divina Scripturarum Canonicarum pertinet ad ipsum fundamentum Fidei. Auctoritatem Divinam Vindex e Scripturis Canonicis sustulit. Igitur subverso fundamento, quid præstitit Fidei?

In sententiis, quæ ipsius Jahnii sunt, sic se habet Vindicis defensio. Non proponit distincte illud, in quo cardo rei vertatur; deinde id, quod respondet, verbis involvit, ut persæpe divinandum sit, quid dicere velit, et magis subterfugiat responsionem, quam aliquid dicat, quod ad eam pertineret, dumque respondere nescit, ei, cujus argumentum tractat, positum adversus Jahnium, nonnisi indignissima convicia reddat affingendo stoliditatem, et summam inscitiam. Nemo eorum est, adversum quosj disputat, cui non diceret identidem: *Nec prima elementa Theologiæ habet. Veniat, ego docebo illum prima elementa.* Quod si neque contortam responsio-

nem

nem dare sciat, negat illud, quod objectum est, habere Jahnium, quamvis hoc illum habere evidentissimum sit, clamatque esse calumniam, et mendacium. Hæc fortasse sufficient ad indolem istarum Vindiciarum noscendam. Auctor illarum non vidit suum hunc partum typis excusum morte præventus: effugit vero una etiam dolorem, quem habuisset ex Vindiciis suis inter libros prohibitos relatis per Censuram Aulicam Viennensem, et tantummodo erga schedam permissis.

§. 73.

Ratio interpretandæ Scripturæ sacræ invecta per novissimam literaturam evilescit iu Germania inter ipsos etiam Protestantes. Synodus Posoniensis Episcoporum nationis Hungaricæ.

Ratio interpretandæ Scripturæ sacræ, per Illuminatos in Germania excogitata circa medium seculi decimi octavi, jam vergente adfinem eodem seculo cristas suas demittere cœpit, ut novi Exegetæ ipsum etiam Illuminatorum nomen fugerent, quo prius ambiverant appellari, et adversum quos ante vix aliquis insurgere tentaverat propter eorum insolentiam, et maledicentiam, jam hi nunc undique ab ipsis Protestantibus exagitabantur egregie, exhibendo vile ipsorum ingenium, quo turpissime usi essent in perniciem humani generis per subversionem Religionis, ex qua secuta sit morum etiam summa depravatio, atque effræna vivendi licentia, qua grassante nulla possit esse ipsi etiam civili societati securitas. Istorum testimonia excerpta ex ipsorum operibus de

hoc

hoc argumento collegit, et exhibuit Laurentius Hohenegger Parochus Rakosensis (Germ. Kroisbach prope Sopronium) Doctor, et emeritus Professor Theologiæ in libro a se edito a. 1823. lingva Germanica, quem inscripsit: Zeichen der Zeit, *Indicia temporis:* quo videlicet libro voluerit exhibere, qualia modo proxime fuerint tempora, et sint. Tamque copiosa ista sunt testimonia, quæ produxit, ut ejusdem ipsius libri phileras quatuordecim impleverint. Ex his tantum paucula memeratorus sum, et ex parte mihi ex illis ipsis auctoribus etiam nota, Auctoris libri Theoduls Gastmahl, Baro a Stark is fuit, affert pag. 140. istud testimonium, quo confiteatur per illuminatos Protestantium Scriptores, et Theologos eo rem esse deductam, ut divina inspiratio Scripturæ sacræ negetur, ut jam ista tam veteris, quam novi Testamenti non spectetur velut norma credendi, et agendi; ut mysteria de Sanctissima Trinitate, de divinitate Christi, et Spiritus sancti, de Originali peccato, et de Satisfactione Christi, ejusque morte jam non credantur; ut vaticinia Prophetarum, miracula Apostolorum, ipsiusque Christi jam nulla sint, Baptismus quoque, et coena Domini non habeantur pro ejusmodi rebus, quæ pertineant ad Religionem, uno verbo in locum revelatæ Religionis successisse Naturalismum. Idem affert pag. 160. Mülleri Professoris Scaphusiæ (Schaffhausen) in Helvetia testimonium, Istos novæ literaturæ Protestantes sui negotii, et officii existimare, ut Christianam Religionem convertant in Deismum, et pagina subsequente alterum Müllerum, Operibus etiam editis notum, qui ad amicum propinquus morti scripserit, apud se Protestantes, Antichristianismum clare se exhibere, Fidem Scriptu-

pturæ sacræ debere inniti: at vero, quomodo nunc ista exponatur, se nec velle dicere: demum ne longior sim, Evaldi Generalis Superintendentis affert librum istius tituli Religionslehren der Bibel, in quo is confessus sit, se intime commoveri, dum mentis solum acumen adhibetur ad interpretationem Scripturæ sacræ, qua Christum ita depriment, ut hunc in probum, vel probitatis simulatorem, Charlattanum (significat medicum circularem, et circumforaneum) convertant. Ac deinde etiam hæc verba illius producit: *Diabolus magis credit, quam quidam nostri exegetæ, et Mahomed erat multo melior.* (Der Teufel ist gläubiger, als manche unsrer Exegeten, und Mahomed war viel besser.) Idem Hohenegger in eodem libro affert edicta non solum Imperatoris Austriæ, et Apostolici Regis, et statuta adversus istam Religionis pestem, inductam per hos Scripturæ sacræ interpretes, verum etiam Imperatoris Russorum, Regis Bavariæ, Angliæ, Borussiæ, aliorumque Principum. Jam ante ista decreta per Principes facta, Romæ a. 1801. sub auspiciis Pii VII. societas virorum eruditorum inita est, sub nomine Academiæ Religionis: cujus videlicet Religionis tuitionem, et defensionem adversus eos, qui hac ætate illam lacesserent, et subvertere conarentur, sibi pro scopo positam haberet.

Tanto igitur magis necesse est mirari, potuisse jam his temporibus in Austria, et Hungaria reperiri quempiam, qui adhuc Apostolum voluerit agere istius Hermeniæ, et Exegeseos. Religio revelata Dei verbo innititur. Ad ea igitur, quæ illa habet, fidem nostram præbere debemus, non ista subjicere decempedæ nostræ rationis.

At

At vero hi Hermenèvtæ, et Exegetæ etiam eo omnes vires ingenii sui intenderunt; ut omne quod divinum in Scriptura sacra est, facerent humanum, et pure naturale. *O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ,* dicebat S. Paulus Elymæ, Sergium Proconsulem a fide quærenti avertere, *non desinis subvertere vias Domini rectas?* Act. 13. v. 10. Nec illa, quæ iidem Hermenevtæ docebant, solummodo nove dicebantur, Vincentii Lirinensis se se volentes munire auctoritate, sed etiam erant nova, utpote Fidem ipsam subvertentia. Et quamvis tantum modo nove essent dicta, tamen Vincentius Lirinensis cedat, necesse est, S. Paulo præcipienti, et caventi: *O Timothee depositum custodi devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa Fidem exciderunt.* 1. Tim. 6. v. 20.

Inter causas, ob quas petita sit per Celsissimum Principem, et Primatem Hungariæ facultas habendæ Synodi nationalis a Rege Apostolico, et impetrata, quemadmodum jam superiore §pho demonstratum est, erat compositio litium inter Professores quosdam. Doctrina controversa cujusmodi fuerit, et quod me ideo, quia ab ejus defensore dissentirem, prior lacessiverit, ego autem non aliud contra egerim, quam quod meas, et illius sententias exhibuerim, et unde in suspicionem errorum inciderit, est jam pariter declaratum §pho 71. Sed etiam si ego illum adgressus fuissem, ego illi bellum denunciassem, ego illum in jus vocassem, ego litem in illum contulissem, malene, an bene egissem? Nam *si Fides* ait S. Cyrillus Alexand. Epist. 6. *destruatur a quopiam, nostras ipsorum*

ani-

animas non trademus? Et si patienda sit ipsa quoque mors, nulla erit hœsitatio. Si namque veritatem pro gloria Dei fateri non audebimus, ne in molestias aliquas incidamus, qua fronte Sanctorum Martyrum encomia coram populis celebrabimus, quos ob id laudamus, quod ad mortem usque pro veritate certamen sustinuerunt? Novæ illius Doctrinæ Defensor quemadmodum superiore §pho dictum est, jam discesserat e vita decem mensibus prius, quam ista institueretur Synodus. Itaque a causa quoque, quæ illum respiciebat, abstentum est, neque in medium etiam prolatæ ejus sententiæ sunt: nec causa erat, cur proferrentur novæ discussionis gratia, quæ jam discussæ essent, et expensæ in foro duorum Archiepiscorum cumque omnium Episcoporum Hungariæ consensione in illorum judicium. Cura autem, et provisio suscepta est, ne sententiæ illius, judicatæ periculosæ, ulterius serperent. Satis vero etiam nosci possunt ex iis, quæ jam a me dicta de iisdem sunt; sed et ille ipse in libro suo posthumo Vindiciarum Jahnii satis, superque ipsas indicavit, et vulgavit.

Synodus hæc coepit Posonii die 8. Sept. 1822, duravit autem usque ad diem 16. mensis subsequentis Octobris. Cetera rerum capita, de quibus erat tractatum, fuerunt, Morum, qui lapsi essent, instauratio tam in Clero, quam populo, Doctrinæ uniformitas, nec non methodi in tradendis disciplinis Theologicis, Statutorum apud Religiosos Ordines ad præsentem Ecclesiæ statum accommodatio, Versionis Kaldianæ Bibliorum in lingvam Hungaricam adornatio, Provisio fundi amplioris pro Instituto Viennensi sublimiori Presbyterorum, Reductio Missarum fundatarum apud

Or-

Ordines Religiosos abolitos, Ordinatio uniformitatis pro Sedibus spiritualibus, et Judiciis Ecclesiasticis. Eadem die 8. Sept. qua prima sessio Synodi habita est, post elicitam professionem Fidei promulgatum est decretum ejusdem Synodi primum in hæc verba: *Hanc nunc ab omnibus elicitam Fidei Catholicæ professionem, inde a temporibus Concilii Tridentini semper, et ubique, et apud omnes Catholicos in Hungaria viguisse, neque ullam aliam, nisi forte pro re nata contractiorem, ab iis, qui abdicatis erroribus ad gremium Matris Ecclesiæ Catholicæ reversi sunt, exactam, elicitamque fuisse, sacra hæc Synodus Nationalis publice, palam, et manifeste profitetur, declaratque grandem Ecclesiæ Hungaricæ, imo toti Ecclesiæ Catholicæ inflictam esse calumniam, programmate illo academiæ Regiomontanæ a.* 1821. *occasione feriarum Paschalium typis academicis procuso, quo absurda quædam, gravissimisque erroribus a sensu Ecclesiæ Catholicæ, atque a sana ratione deviis scatens Fidei formula vulgabatur, tanquam olim ab iis, qui hæresibus nuncium misissent, Sacraque Catholica amplecterentur, in Hungaria exacta.*

Est videlicet eo ingenio confecta hæc formula, quo Protestantes amant Catholicis affingere monstra, quæ solummodo ipsi parturiverunt ad suos detinendos in errore. Duobus, et viginti capitibus constat hæc formula, quasi eorum, quæ profiteri is cogatur, qui ex Protestante fit Catholicus. Unum, et alterum tantummodo memorabo. *Confitemur, Papam sanctissimum ab omnibus honore divino honorari debere, majori cum genuflexione, ipsi Christo debita; Confitemur*

unum-

unumquemque Sacerdotem multo majorem esse Deipara B. Virgine Maria, quae semel solum peperit Christum, nec amplius parit: Sacerdos autem Romanus non solum dum vult, sed et quandocunque vult; offert, et facit Christum, imo et creatum absumit; Confitemur Papam Romanum habere potestatem Scripturam immutandi, augendi, et minuendi pro voluntate sua; Confitemur Mariam Beatam Virginem majore honore dignam ab Angelis, et hominibus ipso Christo Filio Dei, et cui is omnia ad ejus voluntatem facere debeat. etc. Vix credibile esse debebat, ut ad ista ineptissima, et ab homine incredibilis stupiditatis concepta vel aliquis analphabetus Protestans induci posset credenda. Attamen Böhmerum, et plures alios Scriptores Protestantes non puduit istius tam putidi mendacii buccinatores agere. Doctor nomine Wald fertur istius programmatis parens fuisse. Alexius Jordánszky Abbas, et Canonicus Strigoniensis historiam istius programmatis edidit, eidemque Synodo substravit.

In hac eadem Synodo est aliqua etiam quaestio mota de Juribus Metropolitanae Ecclesiae Colocensis. Maluissem istius mentionem praeterire, nisi veritus fuissem, ne haec praetermissio meae imputetur vel negligentiae, vel mea propterea requiratur integritas, praesertim in re, quae hoc tempore acta, atque in ipsa Hungaria sit. Cum Metropolita Colocensis, et Episcopi ejus Suffraganei eodem tenore literarum fuissent vocati ad Synodum, quo alii Episcopi per Metropolitam Strigoniensem, eumdemque Primatem Hungariae; istam vocationem ad Synodum Ecclesia Metropolitana Colocensis habuit velut suis juribus non congruentem. Similis casus jam erat a. 1733. nec

 ullum

ullum dubium est, quin ei, quod tunc egit, etiam nunc institerit Ecclesia Colocensis. Referam illam, quomodo exstat apud Stephanum Katona in Historia Metropolitanæ Ecclesiæ Colocens. *Part. II.* in Gabriele Patachich Archiep. Coloc. Carolus VI. Imperator, et Rex Apostolicus ipse Synodum jusserat celebrari ad prospiciendum causæ Fidei. Cum autem ad hanc ab Emerico Eszterházy Archiepiscopo Strigoniensi, et Primate vocatus esset Gabriel Archiepiscopus Coloc. ad ipsum Regem Apostolicum literas misit, et declaravit, *Se salvo juramenti sui vinculo ei Synodo interesse non posse*, utpote qui illius juris jurandi vinculo obstrictus teneatur ad Ecclesiæ suæ jura conservanda, petiitque, ab eodem Rege facultatem synonodi seorsim habendæ cum Episcopis suæ provinciæ: neque deinde ullus Episcopus provinciæ Colocensis adfuit in synodo, quam Archiepiscopus Strigoniensis Emericus Eszterházy celebravit. Jus vero suæ Ecclesiæ Gabriel inde probavit, quod retroactis jam seculis certa inter Metropolitanos, Strigoniensem, et Colocensem intercesserit transactio, Innocentii III. Summi Pontificis auctoritate etiam roborata, vi cujus aliis quibusdam, videlicet ungendi, et coronandi Regem cessis prærogativis, jura Colocensis, separata, et illæsa esse jubeantur, disertisque verbis eidem Colocensi facultas celebrandi synodum cum suis suffraganeis reservata sit. Maculam itaque se inusturum suæ Ecclesiæ esse, si quam prærogativam semper servarunt, et tuiti ejus antecessores sunt, ipse in ea tuenda deficeret. Venerunt tamen ad hanc nunc habitam synodum tam Archiepiscopus Colocensis Petrus Klobusiczky, quam ejus Suffraganei, ea tamen cum exceptione, ne hoc ipsorum factum ulli præjudicio esset jurium Metropolitanæ Ec-

Ecclesiæ Colocensis. Cum igitur in Synodo de hoc jure quæstio etiam excitata fuisset, Paulus Matthias Szutsits Abbas, et Canonicus Colocensis illius argumenta exposuit, nec ultra itum in eadem quæstione est. Mirum videri potest, quomodo hoc jure esse possit Archiepiscopus Colocensis, quandoquidem Primas regni is intelligatur, qui supra ejusdem regni omnes Episcopos sit. Non desunt tamen exemptionum ejusmodi exempla jam in primoribus etiam seculis Ecclesiæ. Cyprus continebatur intra fines dioeceseos Orientis, cui dioecesi præsidebat Patriarcha Antiochenus: attamen exempta erat ab hujus jurisdictione, quæque exemptio ei etiam per Ephesinam I. generalem synodum confirmata est *Act.* 7. Itaque quamvis ab ipso etiam Archiepiscopo Strigoniensi, ejusque sententia sit locus appellationi ad judicium Primatis; tamen nulla causa ab Archiepiscopi Colocensis sententia defertur via appellationis ad forum Primatis, verum directe mittitur ad Sedem Apostolicam nullo alio interposito foro. Celsissimi vero Principis, et Primatis D. Alexandri a Rudna illud gloriosam æternabit memoriam, quod Sedem Archiepiscopi Strigoniensis, et Metropolitani Canonicorum Collegii, quarum altera Posonium, altera Tirnaviam a. 1540. migraverat calamitosis illis temporibus, quibus Turcæ magnam Hungariæ partem sibi subjectam tenebant, Strigonium reduxerit, perfeceritque, quod erat semper summopere desideratum, struendo etiam Strigonii magnificentissimam, et sumptuosissimam Basilicam. Acta autem synodi Nationalis, de qua dictum est, nondum in publicum prodierunt.

 §. 74.

§. 74.

Pii VII. extremae curae, et obitus. Quaedam illius Epistolae. Leo XII. ei successit in Pontificatu.

Pius VII ex Gallia, et ab exilio, quod annorum sex passus erat, a. 1814. reversus, jam subsequente anno Romam iterum deserere coactus est, atque Florentiam se recipere, bello suscitato per Joachimum Murat adversus Franciscum Imperatorem Austriæ, eo quod Ferdinando IV. affuisset in recuperando regno Neapolis, atque irruptione etiam facta in provincias Status Ecclesiastici, quod Pontifex Ferdinando potius, quam ipsi favisset. Murato autem ad Ferraram devicto, et cum denuo fortunam tentasset etiam capto, et glande plumbea trajecto, ista etiam tempestas celeriter sedata est, atque Romam Pius VII. eodem anno 1815. quo Florentiam se receperat, reversus est. Idem Pius singulari prudentia, et agendi dexteritate provincias, ad Statum Ecclesiasticum pertinentes omnes etiam recuperavit, earumque regimen, quod per Gallos erat disturbatum, sapientissime ordinavit. Idem in aliis regnis præsertim in Germania, dum omnes Episcopatus eversi fuissent, eorumque bona occupata, Episcopatus restituit, et a Principibus obtinuit, ut tam Episcopis, quam aliis Ecclesiasticis personis, et Canonicorum collegiis, dispendium bonorum pariter passis, provideretur pensionibus e Regio ærario, utpote ad quod ærarium bona ipsorum incidissent: idque ab iis etiam Principibus obtinuerat, qui Protestantium sequuntur religionem. Sanctitatem Pii etiam hi venerabantur. In omnibus suis tot adversitatibus admi-

mirabilis ejus fuit patientia, ac mansvetudo, et quod admirabilius est, tali omnia adversa, et injurias atrocissimas animo ferebat, ut nec dolore, nec metu ullo percelleretur; nec potentiam, nec minas Bonaparteanas, quantumcunque insolens ejus esset imperium, reformidaverit, verum adversum omnia invictus steterit, nec in ullo, quod adversaretur Religioni, et Ecclesiæ, ejusque juribus, ei cesserit, non veritus ullum tormentorum genus, nec ipsas etiam furcas, atque enses: a quo tam sui impotente videret, vix aliud se exspectare debere. Inter tot curas, labores, et pericula vixit nihilominus usque ad annum ætatis suæ 81. mortuus die 20. Augusti 1823. anno Pontificatus sui 23. et mense 5. Aetate fractus, et defectus viribus cum jam absque adminiculo neque in conclavi suo incedere posset, in terram delapso, fallente adminiculo, pes fractus est; quo ex dolore, viribus adhuc magis consumptis beatam mortem obiit, ista etiam ærumna sibi superaddita ad reliqua, quæ tot acerba, et indigna tulit, quo coronam in cœlo caperet insigniorem.

Huic ego Pontifici, ut meam erga Eum, et Apostolicam Sedem venerationem testarer, obtuli mea Opuscula, quæ elucubravi Theologica, primum Interpretationem Scripturæ sacræ per omnes ejus libros Veteris, et novi Testamenti, deinde Institutiones meas Hermenevticas ejusdem Scripturæ tam etiam Veteris, quam novi Testamenti, eumque in finem a me compositas, ut me opponerem iis, qui nostra ætate per ipsius Scripturæ sacræ interpretationem revelatam Religionem irent subversum, soliusque naturalis rationis religionem, imo ne istam quidem, tantumque sua figmenta eidem revelatæ Religioni conarentur sub-

subtrudere: et præter ista obtuleram quoque Dissertationes meas in Selecta argumenta Historiæ Ecclesiasticæ, quod neque erga Apostolicum meum Regem, et Imperatorem Franciscum omisi facere. Is vero ista tam benigne suscepit; ut non sit dedignatus ad singulas meas oblationes mihi rescribere. Has literas Pii VII. multi cupidissime, et maxima cum voluptate legerunt, atque sibi etiam descripserunt. Hinc non dubitavi me etiam lectoribus istius Historiæ meæ pergratum facturum, si ipsis has exhibuissem. Quemadmodum quatuor meæ oblationes erant, jam recensitæ, ita totidem hæ sunt epistolæ, eodemque ordine.

Pius PP. VII.

I. Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem. = Literas Tuas una cum libris a Te editis, quos dono ad Nos misisti, jam pridem accepimus. Antequam vero Tibi rescriberemus, aliquid ex iisdem libris delibare cupiebamus: quod tamen assiduæ, eæque gravissimæ, quibus distinemur, curæ, Nobis prohibuerunt. Nolumus autem longioris temporis moram interponere ad gratos animi Nostri sensus Tibi, Dilecte Fili, significandos. Persvasum enim Nobis est, Opus Tuum ad sanæ doctrinæ normam exactum omnino esse, amplificandoque Ecclesiæ Catholicæ bono plane conducere. Hac fiducia freti, et fausta omnia Tibi a Domino precamur, et

Apo-

Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 28 *Martii* 1807. *Pontificatus Nostri Anno VIII.*

Dominicus Testa ab Epistolis Latinis.

Pius PP. VII.

II. Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem. = Novum Opus Tuum una cum literis vigesima secunda die Februarii ad Nos datis, in manus Nostras pervenit. Nondum quidem illud percurrere Nobis licuit, quibus incredibiles ministerii Nostri curæ parum admodum temporis relinquunt. Quum tamen non ignoremus, quam integra sit doctrina Tua, et quam incenso sis studio erga Ecclesiam, et hanc S. Sedem; minime dubitamus, quin Scripta hæc egregiæ, quam de Te gerimus, opinioni, cumulate sint responsura. Interea donum hoc Tuum eo gratiore animo Nos excipere testamur, quod luculenter Tuis in literis profiteris, ea Te Nobis mente illud obtulisse, ut hoc argumento testatam faceres venerationem Tuam in Apostolicam hanc Beati Petri Cathedram, atque in Nos ipsos, qui eam tenemus. Et quoniam nullis deterritus adversitatibus, in tanta temporum perversitate fidem huc usque Tuam Ecclesiæ probasti, eamdem in posterum rationem tene, unde et apud bonos omnes gloriam, et immortalem a Deo mercedem consequeris. Nos vero cum præcipuæ, sinceræque charitatis in Te Nostræ testificatione Apo-

Apostolicam Benedictionem, quemadmodum studiose petis, Tibi impertimur ex corde.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 13. *Decemb.* 1817. *Pontificatus Nostri Anno XVIII.*

Raphael Mazio SS. Domini ab Epistolis Latinis.

Pius PP. VII.

III. Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem. = Quo animi sensu, plane jucundissimo, Tuum de veteris Testamenti interpretatione Opus superioribus annis conspexeramus, eodem in præsens accepimus librum de novo Testamento, quem nuper ad Nos perferendum curasti. Benediximus sane Patri luminum, qui in teterrima Sacrarum Scripturarum oppugnatione, quam ab hostibus Christiani Nominis undique parari ingemiscimus, servum fidelem suscitavit, qui adversus vaferrima illorum machinamenta veridicæ, justæque interpretationis leges apprime proponeret. Taedet Nos quidem ex ingenti, qua obruimur, curarum multitudine præpediri, quo minus scripta hæc Tua, quam primum, uti in votis esset, perlegamus. Ast præclaram adeo de Te, Tuoque in Ecclesiam studio impensissimo, gerimus opinionem, ut nonnisi quæ decent sanam doctrinam, et quæ purissimis hausta sit fontibus, tradita a Te fuisse censeamus, Teque idcirco bene de re Christiana meritum fuisse, haud diffiteamur. Perge itaque, Dilecte Fili, ea, qua vales, scientiæ laude opponere Te murum pro Domo Israel, errorum-

que

que commenta, quæ serpunt ut cancer, denunciare populis ad cavendum, collatisque in ea assidue studiis præliari fortiter prælia Domini. Levantes idcirco oculos in Montes, ut inde veniat ad Te auxilium opportunum, Apostolicam Benedictionem Tibi amanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 12. *Maji* 1819. *Pontificatus Nostri Anno XX.*

Pro D. Mazio ab Epistolis Latinis Paulus Polidori.

Pius PP. VII.

IV. Dilecte Fili, Salutem, et Apostolicam Benedictionem. = Librum Dissertationum de Historia Ecclesiastica, quem ad Nos perferendum curasti, læti accepimus: ac licet ob assiduas gravissimasque curas, quibus pro Nostri muneris officio distinemur, nondum illum, uti in votis esset, potuerimus perlegere, ex iis tamen, quæ vel raptim delibavimus, ea nacti sumus ibidem enucleata argumenta, quæ in tanta errorum colluvione maxime conveniant ad Catholicæ Fidei, morumve doctrinam apprime explicandam, et confirmandam. Talem porro ob cetera in lucem edita opinionem de Te gerimus, ut hoc etiam Opere, quod ad scientiam, quæ ex Deo est, elucubratum arbitramur, optime de re Christiana publica meritum Te fuisse, haud ambigamus. Hanc interim ad Te epistolam, Nostræ voluntatis testem, dare proposuimus, virtutemque Tibi adprecantes ab Alto, ut itineribus, quibus coe-

pi-

pisti, pergas in dies felicius, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 9. Maji 1821. *Pontificatus Nostri Anno XXII.*

Pius PP. VII.

Justis funebribus Pio VII. persolutis Cardinales die 3. Septemb. intrarunt Conclave, et jam die 28. ejusdem mensis peracta electio est. Hannibal della Genga factus est Romanus Pontifex, qui Leonis XII. sibi nomen Pontificale assumpsit. Natus est a. 1760. die 2. Augusti in arce avita della Genga. Circa annum 1795. fungi coepit muneribus publicis, postquam Galli jam primam in Italiam irruptionem fecissent, missusque in Germaniam Nuncii Apostolici munus ibidem annos quatuordecim difficillimis temporibus summa industriae, et prudentiae laude gessit. A Pio VII. a. 1814. ex Germania Romam est revocatus, et missus ad Ludovicum XVIII. Regem Galliae, gratulatum, de avita dignitate Regia, quam sibi, et suae familiae Burbonicae recuperavit. Annis deinde duobus post ab eodem Pio VII. Cardinalis creatus est, cui, ut jam dictum est, etiam in Pontificatu successit. Hujus electionem dum refert Scriptor Politici Diarii (Politisches Journal) de anno 1823. *Tom.* 2. *num.* 10. Protestans Hamburgensis, unde nulla suspicio potest esse alicujus fucatae laudis, vocat virum, amicum scientiarum, gerendis in rebus acrem, doctum, et vitae intemeratae. Neque reor aliam ei fuisse causam, cur S. Leonis M. sapientissimi, vigilantissimi, et providen-

mentissimi Pontificis nomen sibi elegerit, cujus virtutes omnes semper æmulatus, et quem sibi etiam in Pontificatu imitari illico statuerit, cum fuisset electus Pontifex, in easdem etiam erumpens voces, quæ Leonis M. erant in sua electione: *Domine audivi auditum tuum; et timui: consideravi opera tua, et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?* Serm. 3. in Anniver. Suæ Assumpt. *Hæc autem Ille,* inquit, *numquam satis laudandus Pontifex pro animi sui demissione, Nos pro veritate dicimus, et confitemur*, in Encyclica sua ad omnes Patriarchas, Primates etc. eundem Leonem M. etiam in modestia, suique despicientia referens. Quod Jubilæum solet quovis anno vigesimo quinto celebrari, omissum vero erat anno 1800. ob tempora turbidissima, ipsamque Romam tenentibus Gallis, istud Leo. XII. a. 1824. primo sui Pontificatus in Vigilia Nativitatis Domini pro anno subsequente 1825. solenniter aperuit. Hoc eodem anno die 28. Augusti Constitutionem hanc edidit:

Leo Episcopus Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Quod Divina Sapientia omnes docet, omnibusque in Salutis via procedentibus his verbis proponit: *Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium* (Proverb. 8. v. 7.) præ oculis Nos habentes, Apostolici Nostri muneris esse dignoscimus, omnem in id curam impendere, ut hoc ipsum nedum Sacræ Doctrinæ, sed et humanarum scientiarum, ac Libera-

lium

lium artium Magistri, studiosæque Juventutis institutores continuo teneant, atque adimpleant, inque auditorum animis insculpere satagant. Hinc enim et Religionis profectus, et salus pendet Reipublicæ. Cumque ad id plurimum conferat recte ordinata Studiorum ratio, omni pariter sedulitate adnitendum per Nos esse censemus, ut tradendarum doctrinarum, ac disciplinarum methodus in temporali Nostra ditione magis magisque, quoad fieri poterit, perficiatur. Quod et Prædecessores Nostri pro temporum vicissitudine curare non destiterunt.

Sane nimis longum esset, Romanorum Pontificum seriem hic contexere, qui in re tanti momenti excelluerunt. Nullo modo autem silentio præterire possumus fel. rec. Pium VII. postremis hisce diebus novam studiorum rationem instaurare voluisse, quam tamen non potuit, morte præventus ad optatum finem perducere. Nos igitur, adhibita selecta nonnullorum Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione, incoepto operi manum admovere, illudque absolvere constituimus, memores quoque eorum, quæ scite, ac prudenter Sixtus V. animadvertit, videlicet „ Literarum cognitionem, liberalesque doctrinas, et disciplinas, quibus Juventus in publicis gymnasiis instruitur, et eruditur, magnam Christianæ Reipublicæ, si cum pietate conjungantur, afferre utilitatem, tunc enim civitates, et Regna optime administrantur, cum Sapientes, atque Intelligentes gubernacula possident. “

Jam opus, Deo misericordiarum Patre adjuvante, expletum fuit, Nosque publici juris illud

lud fieri jubemus. Verum ut animi Nostri erga filios, subditosque Nostros intentionem, et flagrantissimum desiderium Nostrum explicemus, atque Professoribus, et Auditoribus veram, et altissimam Scientiarum, nec non liberalium Artium Originem indicemus, et pro viribus commendemus; hæc S. Augustini Ecclesiæ Doctoris monita in epistola ad Volusianum, numquam satis meditanda, hic inserimus. „ Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet Civitatum duobus præceptis, ex quibus Christus dicit, totam legem, Prophetasque pendere, ullo modo sint comparandæ: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum tanquam teipsum?* Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt; hic Ethica, quoniam vita bona, et honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus, et Proximus; hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est, hic etiam laudabilis Reipublicæ salus, neque enim conditur, et custoditur optime Civitas nisi fundamento, et vinculo Fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum, et verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt. “

Profecto non eo spectat clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinus, ut naturales disciplinas e scholis, humanisque palæstris amandet, non refugit exercitationes liberalium artium, quarum omnium magna, et uberrima copia illi fuit, sed

et

et Magistros, et Auditores admonere, jure merito que voluit, hæc omnia a Deo exordium habere si recta sint, rationique, et Religioni congrua quin etiam Deo, bonarum artium principio, e fini omnino referenda esse. Ac proinde ulteriu docet quorumdam pseudo-philosophorum, et pru dentiam carnis sequentium (quorum numerus ca lamitosis hisce temporibus nimio opere excrevit obstinatissimas contradictiones esse spernendas „ qui propterea putant vel putari volunt, Chri stianam doctrinam utilitati non convenire Rei publicæ, quia nolunt stare Rempublicam firmi tate virtutum, sed impunitate vitiorum. "

Congregationem deinde instituit e Cardinal bus, aliisque viris idoneis constantem, quæ Stud is præsit in ditione Pontificia, atque omnium qui munus in Re literaria gerunt, nec non Studi tractandi rationem, atque ordinem in quavis di sciplina in Universitatibus, gymnasiis, omnibus que palæstris determinat, et præfinit. Non eri facile reperire quidpiam hoc in genere tam bene sapienterque concinnatum.

Deus eumdem Leonem, quem Ecclesiæ suæ Pontificem Maximum providere dignatus est, a ejusdem Ecclesiæ regimen, conservet in vita quam longissime.

INDEX

Numerus primus Partem, secundus paginam designat.

An-

Con-

Hie-

Sym-

Errata Tomuli V.

Pag.	lin.	Errata		Corrige.
15.	31.	§. 53.		§. 54.
20.	30.	numere		numero
32.	24.	dolere		dolore
47.	32.	Hon		Hoc
175.	22.	Clemens VIII.		Clemens VII.
192.	21.	concedente		nisi concedente
256.	29.	Anno 1516.		1816.
290.	12.	ferrebant		fervebant
296.	23.	Ex hoc præsidio	*adde*	dejecti sunt
302.	19.	ab Innocentio XII.		ab Innocentio X.
332.	14.	tum		tam
347.	35.	Alexander VII.		Alexander VIII.
366.	20.	suo ciperent		susciperent
379.	21.	habebat,	*adde*	res se insinuabat.
383.	13.	matrimocii		matrimonii
394.	4.	significantes		significans
411.	5.	matura esse	*adde*	credidissent
439.	15.	in Gallia		Italia
442.	3.	Decernant		Decernunt
447.	6.	Hispaniæ		Portugalliæ.
—	11.	od		ad
463.	19.	Episcopum		Episcopatum
484.	27.	Caronicus		Canonicus.
509.	8.	depriment		deprimant.